

THEOLOGIA MORALIS

AUCTORE

ERNESTO MÜLLER,

EPISCOPO P. M. LINCIENSI, SS. THEOLOGIAE DOCTORE, THEOLOGIAE MORALIS
IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI QUONDAM PROFESSORE
ETC. ETC.

EDITIO SEPTIMA.

RECOGNOVIT ET AUXIT

ADOLPHUS SCHMUCKENSCHLAEGER,

CONSILIARIUS ECCLESIASTICUS, EXAMINATOR PROSYNODALIS, ASSESSOR
TRIBUNALIS MATRIMONIALIS, ET IN SEMINARIO EPISCOPALI LINCIENSI
THEOLOGIAE MORALIS PROFESSOR.

LIBER III.

CUM LICENTIA EM. CARD. ET PRINCIPIS ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS.

VINDOBONAE.

SUMPTIBUS MAYER ET SOC.

1902.

Nr. 6166.

Imprimatur.

Ex Ordinariatu archiepiscopali

VIENNAE die 22. Julii 1901.

Godefridus eppus Orthosiensis,

Vicesgerens.

Lectori benevolo.



Gravibus muneris mei officiis nec non diuturniori corporis infirmitate detentus tardius quam intendi, opus complere potui. Pleraeque materiae in hoc Libro pertractatae juxta studiorum ordinem in Austria et Germania consuetum ad Theologiam pastoralement referuntur, ex se autem partem integram Theologiae moralis constituunt; ideo illas duxi explanandas.

Eandem methodum, quam in prioribus Libris, in hoc quoque Libro observavi; in quaestionibus practicis non decisis praecipue sanctum Alphonsum ducem sum secutus, ob eximias laudes a suprema Ecclesiae auctoritate doctrinae ejus tributas et ob conspectam ejusdem doctrinae sapientiam, quae sanctis tantum Ecclesiae Doctoribus propria est. Utque sincere fatear, post Doctorem Angelicum et Seraphicum novissimus hic Ecclesiae Doctor maxime sibi consequens inter Theologos omnes semper mihi visus est.

Nunc id tantum in desiderio mihi est, ut hic Liber eorum, a quibus tam avide multumque quaerebatur, votis satisfaciat, et omnium, quorum in manus devenerit, usibus deserviat, ad majorem Dei laudem et gloriam.

Omne adhibui studium, ut in omnibus adsequerer Ecclesiae doctrinam et mentem; si nihilominus in tam multis ac passim difficilibus rebus, quae in hoc Libro traduntur, usquam vel latum unguem ab illa forte discesserim, id omnino revocatum volo.

VINDOBONAE die 25. Martii Festo Annuntiationis
B. M. V. 1876.



In editionem alteram.



Prima Libri hujus editione satis ampla tempore non multo penitus exhausta me in eo scribendo non perdidisse operam grato erga Deum corde novi. Alteram igitur ejusdem Libri editionem parans singula in eo tradita magna cura denuo examinabam, atque alia accuratius vel rectius exponendo, alia addendo, imprimis quidem Sedis Apostolicae Decreta novissima, aliaque mihi prius incognita, porro illustria ss. Doctorum et aliorum opera, aptaque Sanctorum exempla, Libri hujus utilitatem pro viribus augere studebam, ad majorem Dei laudem et gloriam.

VINDOBONAE die 19. Martii Festo s. Joseph 1879.



In quintam editionem.



Nova editio! Quantum haec vox gaudium auctori doctissimo semper attulerit, omnes illo tempore eum convenientes norunt. Intuens coelestem favorem exultavit spiritus ejus, et quo gratior erga Deum, eo benignior erga homines fuit.

Ineptum non esse videtur, vitae ejus saltem per pauca lineamenta adducere, cujus sedulitatem jam anno 1889 folia theologica »Linzer theol.-prakt. Quartalschrift« perite ac uberius descripserunt.

Ernestus Müller, ludimagistri pii filius, Irritz Moraviae pago in lucem est editus die 30. Junii 1822. Gymnasii disciplinam Nicolsburgi sub regimine Piaristarum et s. Theologiam in Universitate Vindobonensi absolvit. Ab archiepiscopo Milde, qui ipse Moraviae filius fuerat, anno 1846 presbyter ordinatus, primum cooperatore parochiae Pressbaum admissus, anno tamen exacto in Seminarium clericale revocatus est, ut a studiis praefectus et mox paulo subrector fieret. Gradu dein Doctoris s. Theologiae ab Universitate insignitus, ibidem ab anno 1849 artis paedagogicae magister pro theologis, et ab anno 1857 Theologiae moralis professor extitit. Elapsis sex annis Rector ejusdem Seminarii designatus adeo cumulavit merita, ut Imperator Franciscus. Josephus Capituli Metropolitanus Canonicum eum denominaret, et P. M. Pius IX. p. m. dignitatem Praelati domestici ei impertiret. Sed nondum finis honorum atque laborum. Deo provi-

dente, dioecesis magna Praesul et episcopi magni Linciensis Francisci Josephi dignus successor evasit anno 1885. Attamen ei breve tantummodo tempus concessum fuit; nam post triennium et sex menses eum ex aquis Gastunensibus reducem, paulo ante Solio Pontificio Assistentem nominatum, Rex pastorum ad aeternam mercedem vocavit die 28. Septembris 1888. — Communiter episcopus ss. cordis Jesu dicebatur, cujus cultum specialem imprimis et verbo et opere commendabat; ascetism christianam omni quo poterat modo propagabat, et scientiam cum pietate unire suum clerum indesinenter docebat. Erat lector ss. Patrum assiduus, excellens interpres s. Alphonsi et praecipuus laudator s. Francisci Sales., a quo haud dubie zelum propagandi et adjuvandi folia catholica didicit. Praeter peregrinationem ad limina ss. Apostolorum et ad sepulcrum s. Alphonsi, Doctoris zelantissimi, cordi ejus devoto nil praebuit majus solamen et gaudium, quam beatificationes concivium b. Petri Canisii et b. Clementis Mariae Hofbauer, insuper quod Apostolica Sedes s. Alphonsum et s. Franciscum Salesium Ecclesiae universalis Doctores declaraverit, quorum ultimo titulum Doctoris caritatis assignari tota mente cupivit. Hepaticus plus minus corpore debilis, nihil tamen a laboribus suis remisit, imo multa ad magnam utilitatem cleri populique conscripsit, et sic vivit adhuc in operibus suis. Sed in sua »Theologia morali« eminentissimum acris ingenii et eximiae pietatis documentum reliquit. Hoc opus, a S. P. Leone XIII. frugiferum nuncupatum, ratione ordinis apti, perspicuitatis admirabilis et pietatis sincerae unanimi laude extollitur, hinc vere dignum est, quod servetur et aestimetur et propagetur.

Tali intentione commotus, tomum tertium novae editioni maturum perlustravi et, uti patet, cum legislatio

praecipue in rebus liturgicis nunquam desistat, hujusmodi novas atque novissimas decisiones Romanas apposui. Sed librum etiam aliis declarationibus Sedis Apostolicae atque materiis curae animarum bene inservientibus auxi, omnemque operam dedi, ne tomus auctore in Domino quiescente indignus inveniatur.

Id solum rogo, ut Deus huic quoque recenti editioni atque lectoribus ejus benigniter faveat.

LINCII, die 19. Martii 1891.

Editor.

In sextam editionem.

~~~~~

Liber tertius, aetate minor et ideo prae ceteris duobus libris Theologiae moralis una editione inferior, sexta demum vice in publicum prodit. Hac simul editione praebet mihi opportuna occasio, recentiora decreta Romana addendi, menda pro viribus castigandi, minus clara melius explicandi, et verba saluberrima, quae gloriosissimus Pontifex Leo XIII. suis Encyclicis faciebat, brevi saltem exhibendi. Quantum potui, feci; et fructus hujus laboris in §§. 18, 22, 23, 69, 75, 76, 100, 102, 120, 136, 140, 145, 146, 147, 176, 177, 178, 180, 214, 224, 225, 248 et in Appendice lectori occurrent. Ipsum ac opus benedicere Deus dignetur.

LINCII, die 11. Novembris 1894.

## In septimam editionem.



Haec a multis jam desiderata editio continet decisiones et normas, quae ab Apostolica Sede ac Sacris Romanis Congregationibus nuperrime datae sunt de festo titularis ecclesiae, de celebratione Missae in aliena ecclesia, de Missis votivis atque de Requie, de casibus reservatis papalibus et de Indulgentiis. Insuper decreta S. R. C. hucusque citari solita comparari debuerunt cum novissima et sub auspiciis SS. D. N. Leonis PP. XIII. (excepto adhuc volumine ultimo) promulgata Collectione authentica decretorum ejusdem Congregationis, quorum alia ibi retenta una cum numero proprio etiam in hoc libro apparent, alia vero ibi suppressa etiam in nostra editione non amplius inveniuntur. Praeter alia multa, quae singulis tractatibus addita plus minus praxi inserviunt, etiam Appendix libri de Const. „Apostolicae Sedis“ secundum commentarios modernos et responsiones ss. Congregationum recentes recognita est. Et quando circa aliquam quaestionem diversae opiniones graves existunt, adjecta est et contraria saltem in nota; sic plurium votis satisfecisse puto.

Superest ut gratias agam omnibus, qui consilio vel opera me juverunt, et ut enixe rogem lectores in suis ad Deum precibus me sibi commendatum habere.

LINCII, die 8. Julii 1901.

**Qui supra.**

# Conspectus

rerum, quae in hoc libro pertractantur.

## Liber tertius.

De mediis et subsidiis vitae christianae.

§. 1. Ingressio pag. 1

Veritates praevis considerandae.

|                                                                       | pag. |                                                 | pag. |
|-----------------------------------------------------------------------|------|-------------------------------------------------|------|
| §. 2. Christus auctor et consummator vitae spiritualis                | 2    | §. 5. Vita contemplativa, activa et mixta .     | 5    |
| §. 3. Coelum et terra cooperantur in hominis bonum                    | 2    | §. 6. Via purgativa, illuminativa et unitiva    | 8    |
| §. 4. Etiam hominis cooperatio requiritur ad opus virtutis et salutis | 4    | §. 7. Divisio omnium mediorum vitae spiritualis | 12   |

## Titulus I.

Gratia Christi, primum medium vitae christianae.

§. 8. Animadversio praeliminaris pag. 13

## Disputatio I.

De instrumentis gratiam conferentibus ex opere operato.

## Tractatus I.

De sacrosancto Missae sacrificio.

§. 9. Nexus rerum pag. 14

## Sectio I.

De ss. Missae sacrificio in se spectato.

|                                               | pag. |                                                                    | pag. |
|-----------------------------------------------|------|--------------------------------------------------------------------|------|
| §. 10. Notio et veritas ss. Missae sacrificii | 15   | §. 14. Expositio caeremoniarum Missae. Divisio                     | 26   |
| §. 11. Effectus sacrificii Missae             | 19   | §. 15. a) quatenus in Missa repraesentatur sacrificium crucis      | 27   |
| §. 12. Quantum sit ejusdem valor et effectus  | 23   | §. 16. b) quatenus in Missa sacrificium verum et proprium offertur | 33   |
| §. 13. Minister sacrificii eucharistici       | 25   |                                                                    |      |

## Sectio II.

## De celebratione ss. Missae sacrificii.

|                                                             | pag. |                                                       | pag. |
|-------------------------------------------------------------|------|-------------------------------------------------------|------|
| §. 17. Rubricae Missalis et Decreta<br>S. R. Congregationis | 41   | §. 28. Festum patroni et tituli Eccle-<br>siae        | 84   |
| I. De applicatione Missae.                                  |      | IV. De vasis sacris et para-<br>mentis.               |      |
| §. 18. Pro quibus possit sacrificium<br>Missae offerri      | 45   | §. 29. Vasa sacra                                     | 88   |
| §. 19. Quomodo facienda Missae ap-<br>plicatio              | 49   | §. 30. Paramenta calicis                              | 90   |
| II. De obligatione celebrandi<br>Missam.                    |      | §. 31. Paramenta celebrantis                          | 91   |
| §. 20. Obligatio celebrandi ratione<br>sacerdotii           | 51   | §. 32. Colores paramentorum                           | 96   |
| §. 21. Obligatio celebrandi ratione<br>officii pastoralis   | 53   | V. De Missae formularibus.                            |      |
| §. 22. Obligatio celebrandi ratione<br>stipendii            | 58   | §. 33. Missae prohibitae                              | 98   |
| §. 23. Negotiatio stipendiorum                              | 67   | §. 34. Conformitas Missae cum Of-<br>ficio divino     | 99   |
| §. 24. Reductio et condonatio Mis-<br>sarum                 | 69   | §. 35. Missae votivae                                 | 100  |
| III. De tempore et loco celebra-<br>tionis.                 |      | §. 36. Missae defunctorum                             | 104  |
| §. 25. Tempus celebrationis                                 | 71   | VI. De necessaria sacerdotis<br>celebrantis pietate.  |      |
| §. 26. Locus celebrationis                                  | 75   | §. 37. Necessitas praeparationis                      | 109  |
| §. 27. Altaris ornamenta                                    | 80   | §. 38. Dispositio corporis                            | 109  |
|                                                             |      | §. 39. Dispositio animae                              | 113  |
|                                                             |      | §. 40. Observanda in ipsa Missae<br>celebratione      | 117  |
|                                                             |      | §. 41. Gratiarum actio                                | 121  |
|                                                             |      | §. 42. Epilogus. Ex aliquo dubio<br>s. Bernardi opere | 123  |

## Tractatus II.

## De Sacramentis.

|                  |     |
|------------------|-----|
| §. 43. Ingressio | 125 |
|------------------|-----|

## Sectio I.

## De Sacramentis in genere.

|                                                        | pag. |                                                                                  | pag. |
|--------------------------------------------------------|------|----------------------------------------------------------------------------------|------|
| A. Doctrinae praeliminares.                            |      | §. 52. Condiciones in ministro ad<br>valide conficienda Sacramenta<br>requisitae | 142  |
| §. 44. Notio et veritas Sacramen-<br>torum             | 126  | §. 53. Condiciones ad licite mi-<br>stranda Sacramenta requisi-<br>tae           | 145  |
| §. 45. Effectus Sacramentorum                          | 128  | §. 54. An excommunicatus valide<br>liciteque administret Sacra-<br>menta         | 148  |
| §. 46. Divisio Sacramentorum                           | 131  | §. 55. Obligatio administrandi Sacra-<br>menta                                   | 149  |
| B. De signo sacramentali.                              |      | §. 56. Obligatio indignis denegandi<br>Sacramenta                                | 150  |
| §. 47. Signi sacramentalis compositio<br>et institutio | 132  |                                                                                  |      |
| §. 48. Unio materiae et formae                         | 134  |                                                                                  |      |
| §. 49. Mutatio materiae et formae                      | 135  |                                                                                  |      |
| §. 50. Forma conditionata                              | 137  |                                                                                  |      |
| C. De Sacramentorum ministro.                          |      |                                                                                  |      |
| §. 51. Christus et homo                                | 141  |                                                                                  |      |

|                                                                                          | pag. |                                                           | pag. |
|------------------------------------------------------------------------------------------|------|-----------------------------------------------------------|------|
| D. De Sacramentorum sub-<br>jecto.                                                       |      | §. 60. Sacramenta valida, sed in-<br>formia               | 158  |
| §. 57. Subjectum capax                                                                   | 154  | E. De caeremoniis Sacramen-<br>torum.                     |      |
| §. 58. Conditiones ad valide et licite<br>suscienda Sacramenta .                         | 155  | §. 61. Earum pius et salutaris usus                       | 161  |
| §. 59. An liceat petere Sacramentum<br>a ministro indigno, excommuni-<br>cato, haeretico | 157  | §. 62. Ritualia                                           | 162  |
|                                                                                          |      | §. 63. Epilogus. Ex s. Bonaventurae<br>Com. in Lib. Sent. | 163  |

## Sectio II.

### De singulis Sacramentis.

#### CAPUT I.

##### De Sacramento Baptismi.

|                                                     | pag. |                                                                | pag. |
|-----------------------------------------------------|------|----------------------------------------------------------------|------|
| §. 64. Ingressio                                    | 165  | §. 70. De ministro                                             | 173  |
| A. Doctrinae dogmaticae prae-<br>notandae.          |      | §. 71. De subjecto                                             | 176  |
| §. 65. Notio et veritas Sacramenti<br>Baptismi      | 165  | §. 72. An infantes haeticorum et<br>infidelium sint baptizandi | 180  |
| §. 66. Effectus Baptismi                            | 167  | §. 73. De dispositione adutorum ad<br>Baptismum susciendum     | 182  |
| §. 67. Necessitas Baptismi                          | 168  | §. 74. De loco et tempore Baptismi                             | 184  |
| B. De administratione et sus-<br>ceptione Baptismi. |      | §. 75. De patrinis                                             | 185  |
| §. 68. De materia Baptismi                          | 169  | §. 76. De caeremoniis Baptismi                                 | 186  |
| §. 69. De forma Baptismi .                          | 172  | §. 77. Admonitio s. Augustini ad<br>baptizatos .               | 190  |

#### CAPUT II.

##### De Sacramento Confirmationis.

|                                                           | pag. |                                                               | pag. |
|-----------------------------------------------------------|------|---------------------------------------------------------------|------|
| §. 78. Ingressio                                          | 191  | §. 82. De ministro                                            | 195  |
| A. Veritates praenotandae.                                |      | §. 83. De subjecto, ejusque obliga-<br>tione                  | 197  |
| §. 79. Notio et veritas Sacramenti<br>Confirmationis .    | 191  | §. 84. De loco et tempore Confir-<br>mationis, deque patrinis | 199  |
| §. 80. Effectus hujus Sacramenti                          | 193  | §. 85. De caeremoniis Confirma-<br>tionis .                   | 200  |
| B. De administratione et sus-<br>ceptione Confirmationis. |      | §. 86. Epilog. Ex s. Cyrillo Hieros.                          | 202  |
| §. 81. De materia et forma                                | 193  |                                                               |      |

#### CAPUT III.

##### De ss. Eucharistiae Sacramento.

|                                                   | pag. |                                                           | pag. |
|---------------------------------------------------|------|-----------------------------------------------------------|------|
| §. 87. Transitio                                  | 203  | §. 90. Ejusdem dignitas ineffabilis                       | 208  |
| A. Doctrinae in antecessum<br>advertendae.        |      | B. De confectione et admini-<br>stratione ss. Sacramenti. |      |
| §. 88. Notio et veritas ss. Euch. Sa-<br>cramenti | 203  | §. 91. De materia consecrationis .                        | 210  |
| §. 89. Ejusdem effectus                           | 205  | §. 92. Continuatio                                        | 214  |
|                                                   |      | §. 93. De forma                                           | 217  |

|                                                         | pag. |                                                                           | pag. |
|---------------------------------------------------------|------|---------------------------------------------------------------------------|------|
| §. 94. De ministro                                      | 218  | §. 100. Frequens Communio pruden-                                         | 238  |
| §. 95. De subjecto                                      | 219  | ter promotenda                                                            |      |
| §. 96. Tempus, locus et ritus dispensandae Eucharistiae | 221  | §. 101. Communio spiritualis                                              | 242  |
| §. 97. Modus deferendi ss. Sacramentum ad infirmos      | 226  | D. De cura et cultu ss. Sacramenti.                                       |      |
| C. De sumptione ss. Sacramenti.                         |      | §. 102. Asservatio et renovatio ss. Sacramenti                            | 243  |
| §. 98. Obligatio Communionis .                          | 228  | §. 103. Ejusdem cultus                                                    | 245  |
| §. 99. Ante et post Communionem observanda              | 234  | §. 104. Admonitio s. Chrys. ad sublimes de hoc Sac. concipiendos spiritus | 247  |

## CAPUT IV.

## De Sacramento Poenitentiae.

|                                                                  |     |
|------------------------------------------------------------------|-----|
| §. 105. Sacramentum Poenitentiae, secunda post naufragium tabula | 249 |
|------------------------------------------------------------------|-----|

*Distinctio I.*

## De Sacramento Poenitentiae in se spectato.

## Articulus I.

## De veritate, effectibus et necessitate Sacramenti Poenitentiae.

|                                           | pag. |                                            | pag. |
|-------------------------------------------|------|--------------------------------------------|------|
| §. 106. Poenitentia est virtus .          | 250  | §. 108. Sacramenti hujus effectus          | 254  |
| Apta poenitentiae comparatio              | 252  | §. 109. Ejusdem necessitas                 | 256  |
| §. 107. Poenitentia est verum Sacramentum | 252  | §. 110. De remissione peccatorum venialium | 256  |

## Articulus II.

## De materia, forma et ministro Sacramenti Poenitentiae.

|                                     | pag. |                                         | pag. |
|-------------------------------------|------|-----------------------------------------|------|
| A. De materia hujus Sacramenti.     |      | §. 123. Confessio invalida, et iteranda | 303  |
| §. 111. Materia remota et proxima . | 259  | §. 124. Confessio generalis             | 307  |

## I. De contritione.

|                                       |     |
|---------------------------------------|-----|
| §. 112. Notio et divisio contritionis | 263 |
| §. 113. De contritione perfecta       | 266 |
| §. 114. De attritione                 | 269 |
| §. 115. De necessitate contritionis   | 273 |
| §. 116. Dotes contritionis            | 275 |
| §. 117. De proposito                  | 280 |

## II. De confessione.

|                                          |     |
|------------------------------------------|-----|
| §. 118. Notio et necessitas confessionis | 283 |
| §. 119. Dotes confessionis               | 290 |
| §. 120. Integritas confessionis          | 294 |
| §. 121. Integritas materialis            | 295 |
| §. 122. Integritas formalis .            | 299 |

## III. De satisfactione.

|                                                  |     |
|--------------------------------------------------|-----|
| §. 125. Satisfactionis indoles et materia .      | 310 |
| §. 126. De impositione satisfactionis            | 312 |
| §. 127. De ejus impletione .                     | 316 |
| §. 128. De ejus commutatione                     | 319 |
| §. 129. Recollectio brevis, ex sancto Gregor. M. | 320 |

## B. De forma Sacramenti Poenitentiae.

|                                          |     |
|------------------------------------------|-----|
| §. 130. Forma essentialis                | 321 |
| §. 131. Ritus absolutionis sacramentalis | 322 |



|                                                                     | pag. |                                         | pag. |
|---------------------------------------------------------------------|------|-----------------------------------------|------|
| §. 132. Absolutionis conditiones, absolutio directa et indirecta .  | 324  | §. 138. Restrictio jurisdictionis       | 337  |
| §. 133. Ineffabilis sacerdotis absolutiventis potestas ex s. Chrys. | 325  | §. 139. a) quoad locum et tempus        | 337  |
| C. De ministro Sacram. Poenitentiae.                                |      | §. 140. b) respectu personarum .        | 338  |
| §. 134. Potestas clavium                                            | 326  | §. 141. c) respectu peccatorum          | 345  |
| §. 135. Approbatio et jurisdictio                                   | 327  | §. 142. De potestate reservandi peccata | 345  |
| §. 136. Jurisdictio ordinaria et delegata .                         | 330  | §. 143. Conditiones reservationis       | 347  |
| §. 137. Jurisdictio ab Ecclesia suppleta                            | 334  | §. 144. Casus papales et episcopales    | 349  |
|                                                                     |      | §. 145. De absolutione a reservatis     | 350  |
|                                                                     |      | §. 146. De absolutione complicis        | 356  |
|                                                                     |      | §. 147. De sollicitatione ad turpia     | 358  |

### *Distinctio II.*

#### De administratione Sacramenti Poenitentiae.

#### Articulus I.

##### Praecipuae confessarii dotes.

|                                           | pag. |                               | pag. |
|-------------------------------------------|------|-------------------------------|------|
| §. 148. Confessarii scientia et prudentia | 361  | §. 149. Fortitudo et suavitas | 363  |

#### Articulus II.

##### Officia confessarii.

|                                                                                                | pag. |                                                                       | pag. |
|------------------------------------------------------------------------------------------------|------|-----------------------------------------------------------------------|------|
| A. De ejus officiis in excipienda confessione.                                                 |      | b) Poenitentes externa conditione diversi.                            |      |
| 1. <i>Quoad ejus munera.</i>                                                                   |      | §. 161. Confessarius puerorum et adolescentium                        | 397  |
| §. 150. Obligatio doctoris .                                                                   | 365  | §. 162. Confessarius feminarum .                                      | 398  |
| §. 151. Obligatio medici                                                                       | 367  | §. 163. Confessarius sponsorum .                                      | 399  |
| §. 152. Obligatio judicis,                                                                     |      | §. 164. Confessarius conjugum                                         | 401  |
| a) poenitentes interrogandi .                                                                  | 369  | c) Poenitentes defectibus physicis obnoxii.                           |      |
| §. 153. b) poenitentes disponendi .                                                            | 373  | §. 165. De confessione muti, surdi, et patriae linguae ignari         | 402  |
| §. 154. c) absolutionem concedendi, iterandi, differendi, conditionate impertiendi, dene-gandi | 375  | §. 166. De confessione et absolutione infirmi seu moribundi           | 404  |
| §. 155. An absolvendus confitens peccata tantum in genere vel incerta                          | 378  | §. 167. Casus difficiliore in excipiendis infirmorum confessionibus . | 407  |
| 2. <i>Quoad varia poenitentium genera.</i>                                                     |      | §. 168. Modus juvandi moribundos .                                    | 410  |
| a) Poenitentes animi statu diversi.                                                            |      | B. De officiis confessarii post confessionem exceptam.                |      |
| §. 156. De occasionariis                                                                       | 380  | §. 169. Fidelitas in sigillo sacram. custodiendo                      | 411  |
| §. 157. De consuetudinariis et recidivis .                                                     | 385  | §. 170. Defectus commissi corrigendi                                  | 416  |
| §. 158. De poenitentibus piis                                                                  | 390  | §. 171. Epilogus. Ex monitis s. Franc. Sal.                           | 418  |
| §. 159. De scrupulosis                                                                         | 392  |                                                                       |      |
| §. 160. De conversis ab haeresi                                                                | 395  |                                                                       |      |

## APPENDIX.

## De Indulgentiis.

|                                                         | pag.  |                                                   | pag.  |
|---------------------------------------------------------|-------|---------------------------------------------------|-------|
| §. 172. Conspectus dicendorum                           | 420   | §. 178. De altari privilegiato                    | 442   |
| §. 173. Indulgentiae natura, fons et efficacia          | 420   | §. 179. Indulgentia pro articulo mortis concessa  | . 444 |
| §. 174. Indulgentiarum varietas                         | 424   | §. 180. Benedictio Apostolica                     | . 445 |
| §. 175. De potestate largiendi Indulgentias             | 426   | §. 181. Translatio et cessatio Indulgentiarum     | 447   |
| §. 176. Requisita in subjecto ad Indulgentias lucrandas | . 428 | §. 182. Incitamenta ad lucrificandas Indulgentias | 449   |
| §. 177. De Jubilaeo                                     | . 435 |                                                   |       |

## CAPUT V.

## De Sacramento Extremae Unctionis.

|                                                          | pag.  |                                                                       | pag.  |
|----------------------------------------------------------|-------|-----------------------------------------------------------------------|-------|
| §. 183. Ingressio                                        | 451   | §. 188. Ritus                                                         | . 458 |
| A. Veritates praeviae.                                   |       | §. 189. De ministro                                                   | . 460 |
| §. 184. Notio et veritas Sacrae Extremae Unctionis       | . 451 | §. 190. De subjecto                                                   | . 462 |
| §. 185. Effectus hujus Sacramenti                        | . 452 | §. 191. Quando et quoties hoc Sacramentum ministrandum                | . 465 |
| B. De administratione et susceptione Extremae Unctionis. |       | §. 192. De obligatione illud suscipiendi                              | . 466 |
| §. 186. De materia hujus Sacramenti                      | 454   | §. 193. Epilogus. Ex auctoris ignoti opere: De visitatione infirmorum | . 468 |
| §. 187. De ejus forma                                    | . 457 |                                                                       |       |

## CAPUT VI.

## De Sacramento Ordinis.

|                                                    | pag.  |                                                     | pag.  |
|----------------------------------------------------|-------|-----------------------------------------------------|-------|
| §. 194. Transitio                                  | . 469 | §. 200. Missa ordinationis et Communio ordinatorum  | 484   |
| A. Veritates dogmaticae praemittendae.             |       | §. 201. Preces et Missae ordinatis impositae        | . 485 |
| §. 195. De natura et divisione Ordinis             | 469   | §. 202. Conditiones in ministro requisitae          | . 486 |
| §. 196. Effectus Sacramenti Ordinis                | . 471 | §. 203. Conditiones in ordinandis requisitae        | . 487 |
| B. Doctrinae practicae de Ordine.                  |       | §. 204. Pia et religiosa ordinandorum dispositio    | 488   |
| §. 197. Singulorum Ordinum officia et excellentiae | 472   | §. 205. Virtutes, quae singulis congruunt Ordinibus | . 490 |
| §. 198. Ritus in collatione Ordinum observandi     | . 477 | §. 206. Epilogus. Ex ep. s. Hieronymi ad Nepotianum | . 495 |
| §. 199. Tempus et locus ordinationis               | 483   |                                                     |       |

## CAPUT VII.

## De Sacramento matrimonii.

|                                                                             | pag. |                                                | pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------|------|------------------------------------------------|------|
| §. 207. Conspectus dicendorum                                               | 497  | §. 219. Cognitio religionis                    | 524  |
| A. Doctrinae praeviae.                                                      |      | §. 220. Status gratiae                         | 525  |
| §. 208. Notio, veritas et natura Sacram. matrimonii                         | 497  | C. De matrimonii celebratione.                 |      |
| §. 209. Consensus ad matrimonii validitatem requisitus                      | 502  | §. 221. Solemnitas a Conc. Trid. praescripta   | 527  |
| §. 210. Matrimonii proprietates                                             | 504  | §. 222. Benedictio nuptialis                   | 529  |
| §. 211. Praestantia matrimonii, qua contractus naturalis, et qua Sacramenti | 508  | §. 223. Missa pro sponso et sponsa             | 531  |
| B. De matrimonii praeparatione.                                             |      | §. 224. Observanda quoad matrimonium mixtum    | 533  |
| §. 212. De sponsalibus                                                      | 510  | §. 225. Observanda quoad matrimonium civile    | 536  |
| §. 213. De proclamatione nuptiarum                                          | 513  | D. De statu conjugali.                         |      |
| §. 214. De impedimentorum remotione                                         | 515  | §. 226. Honestas et obligatio actus conjugalis | 538  |
| §. 215. De religiosa sponsorum dispositione                                 | 520  | §. 227. Cohabitatio conjugum, et divortium     | 542  |
| §. 216. Puritas intentionis                                                 | 521  | §. 228. Convalidatio matrimonii                | 545  |
| §. 217. Pietas erga Deum                                                    | 521  | §. 229. Admonitio s. Chrysost. ad conjuges     | 547  |
| §. 218. Pietas erga parentes                                                | 523  |                                                |      |

## Disputatio II.

## De instrumentis, quibus gratia obtinetur ex opere operantis.

|                                                           | pag. |                                                       | pag. |
|-----------------------------------------------------------|------|-------------------------------------------------------|------|
| §. 230. Transitio                                         | 549  | §. 235. Veneratio et invocatio B. M. V.               | 556  |
| A. De Sacramentalibus.                                    |      | §. 236. Cultus Angelorum et Sanctorum                 | 557  |
| §. 231. Notio, divisio et efficacia Sacramentalium        | 549  | §. 237. Processiones                                  | 558  |
| §. 232. De Benedictionibus                                | 551  | §. 238. Confraternitates                              | 559  |
| §. 233. Usus Sacramentalium                               | 554  | §. 239. Recollectio brevis, et cohortatio s. Bernardi | 561  |
| B. De variis devotionis exercitiis, privatis et publicis. |      |                                                       |      |
| §. 234. Piae Preces                                       | 555  |                                                       |      |

## Titulus II.

## Veritas Christi, alterum medium vitae christianae.

|                                                  | pag. |                                  | pag. |
|--------------------------------------------------|------|----------------------------------|------|
| §. 240. Transitio et rerum dicendarum conspectus | 563  | §. 241. Auditio verbi divini     | 564  |
|                                                  |      | §. 242. Studium doctrinae sacrae | 567  |

## XVI

|                             |               |                               |               |
|-----------------------------|---------------|-------------------------------|---------------|
| §. 243. Pia conversatio     | pag.<br>• 570 | §. 246. Meditatio .           | pag.<br>• 575 |
| §. 244. Pia lectio          | • 571         | §. 247. Tres modi orandi .    | • 578         |
| §. 245. Examen conscientiae | • 573         | §. 248. Exercitia spiritualia | • 579         |

### Conclusio.

|                                              |               |
|----------------------------------------------|---------------|
| §. 249. Ex Meditatione XVIII. sancti Anselmi | pag.<br>• 580 |
|----------------------------------------------|---------------|

|                                                                                                       |       |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------|
| Appendix: Censurae, quae in Const. Pii IX. <i>Apostolicae Sedis</i> continentur,<br>Notis illustratae | • 581 |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------|


---

# LIBER TERTIUS.

## De mediis et subsidiis vitae christianae.

### §. 1.

#### Ingressio.

i sanctus rex et propheta *mirabilia* dixit, quae continentur in lege antiqua, sic orans: „*Revela* (Domine) *oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua*“ Ps. 118, 18, majori jure dicere poteris *mirabilia*, et oculis mentis tuae, non conspersis pulvere errorum vel obscuratis passionum caligine, sed purificatis et lumine fidei illustratis, plane videbuntur *mirabilia*, quae tradit lex nova et christiana de virtutibus, deque praeceptis et consiliis, per quae diriguntur illae. Nonne singulae virtutes singulari pulchritudine et praestantia excellunt, suo modo animam perficiunt et exornant, ad multiplicia opera praeclara et salutaria promptum hominem reddunt, praeceptis denique consiliisque sapientissimis temperantur? Nonne omnes virtutes intimo vinculo inter se connectuntur, mutuo se juvant, ad unum supremumque finem supernaturalem concentu praeclaro tendunt? Conspicere licet haec omnia ex eis, quae in Lib. II. de singulis virtutibus christianis tradita sunt. S. Jo an. Chrysost. ait: „*Quid ego praeceptorum sapientiam, coelestium legum virtutem, angelicae vitae ordinem enarrem? Talem enim nobis vitam proposuit, tales nobis leges condidit, et tales mores instituit, ut qui his utantur, Angelorum mox naturam induant, et quantum homini licet, Deo conformes reddantur, etsi omnium hominum malitiam excesserint.*“ (Hom. 11. in Ev. Joan.)

Sed si inardescit animus ad virtutes illas, ob earum valorem et decorem, utilitatem et necessitatem; reliquum est accurate nosse, quatenus praesto sint media ad easdem nobis comparandas et jugiter in nobis perficiendas, et undenam media haec desumantur. De his mediis bonitatis moralis, et supernaturalis quidem, qua filios Dei instructos esse oportet, in hoc Libro agere proposuimus.

## Veritates praevis considerandae.

### §. 2.

#### Christus Dominus auctor et consummator vitae spiritualis.

Venit Jesus, ut vitam habeamus, vitam supernaturalem, et abundantius habeamus. Joan. 10, 10. Qui juxta Apostolum Hebr. 12, 2 est auctor et consummator fidei, idem est auctor et consummator spei et caritatis omniumque aliarum virtutum, totius vitae spiritualis. Nimirum est auctor et consummator vitae spiritualis, quia ipse est plenus gratia et veritate, et nos ex plenitudine ejus omnes accipimus. Dicit Angelicus Doctor: „*A capite Christo in omnia membra ejus gratiae et virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Joan. 1, 16: De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*“<sup>1)</sup> Doctrina sua seu *veritate*, quam verbo et exemplo praedicavit, nobis virtutes revelavit, *gratia* sanctificante easdem virtutes nobis infundit, et ad earum exercitium, quod doctrina sua praecipit vel commendat, *gratia* sua actuali nos excitat et adjuvat. Sicut caput in membra, et vitis in palmites: ita Christus in nos influit, ut in ipso et per ipsum ceu veri filii Dei adoptivi vivamus, et ejus haeredes fieri mereamur.

### §. 3.

#### Coelum et terra cooperantur in hominis bonum.

Quamvis Deus sit auctor et consummator vitae spiritualis, utitur tamen etiam causis secundis, per quas nos dirigit et juvat ad pietatem et salutem, *non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet.*<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> 3. q. 69 a. 4 c. Vid. etiam 1. 2. q. 108 a. 1 c.

<sup>2)</sup> S. Thom. 1. q. 22 a. 3.

Adstat in coelo a dextris Filii sui B. V. Maria, mediatrix ad mediatorem, advocata nostra, per cujus intercessionem nobis communicantur, quaecunque impetrare volumus, gratiarum dona et beneficia. Nam „*Virgo Maria*, ait s. Thomas a Villanova, *in corpore mystico collum est, Christus vero caput Ecclesiae.*“<sup>1)</sup> Gratiae a Christo capite per Mariam in membra Ecclesiae derivantur. Vid. dicta Lib. II. §. 50. Praeterea in periculis protectionem, praesidium in angustiis, in tribulationibus auxilium nobis fert jugiter; denique splendidissimis virtutum exemplis haec sanctissima Mater nos instruit, dirigit et juvat ad terendam viam veritatis, in qua pervenitur ad finem aeternae felicitatis.

Dirigit et juvat nos Deus per *Sanctos* in coelis, qui non solum vitae suae exemplis nos provocant ad meliorem vitam, ad virtutum exercitationem et perfectionem, sed pro nobis etiam intercedunt, patrocinium et auxilium nobis praestant. Observat Angelicus Doctor: „*Ad magnam eorum gloriam pertinet, quod alios juvare possunt, quasi Dei cooperatores existentes.*“<sup>2)</sup>

Dirigit et juvat nos Deus per *ss. Angelos*, qui orationes nostras ac bona opera et pia desideria Deo offerunt, suaque intercessione commendant, bonas cogitationes suggerunt, memoriam piorum propositorum renovant, occasiones bonorum operum suppeditant, tentationes depellunt vel mitigant, nos pugnantes adjuvant et protegunt, daemones abigunt, numquam nos deserunt. „*Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?*“ ait Apostolus Hebr. 1, 14.

In terra praecipue habemus *Christi ministros*, quibus data ab ipso est potestas, ducendi et adjuvandi divinis subsidiis ac praesidiis homines ad vitam spiritualem et sempiternam. Nimirum Christum repraesentant, legatione pro Christo funguntur, pastores et rectores animarum ab ipso constituti.

Denique non solum bona supernaturalia, sed etiam naturalia, ideoque *res omnes*, quae sunt in mundo sensibili, imo mala quoque hujus mundi sunt propter hominem, ut eum juvent ad prosequendum finem, ob quem creatus est.

Nonne igitur Deus coelum et terram, ut ita dicam, movet ad hominis salutem? Nonne coelum et terra cooperantur in

<sup>1)</sup> Serm. de Domina nostra part. 2.

<sup>2)</sup> In IV. Sent. Dist. 15 q. 4 a. 5. Sol. 1 ad 3.

hominis bonum? Unde merito *Thomas Kemp.*<sup>1)</sup> ita Deum alloquitur: „*Ecce omnia tua sunt, quae habeo et unde tibi servio. Verumtamen vice versa tu magis mihi servis, quam ego tibi.*“

#### §. 4.

### **Etiam hominis cooperatio requiritur ad opus virtutis et salutis.**

1. — Deus, „omnium fidelium pastor et rector“, per se et per creaturas, tamquam causas secundas (ut §. 3 diximus), non ita nos regit in via salutis et nutrit pascuis doctrinae et gratiae, ut penitus excludatur vel superflua evadat nostra operatio; quin imo omni vi et contentione enitendum est ad virtutem et salutem: „*Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*“ Matth. 11, 12. Bonitas salusque hominis principaliter quidem, sed non unice a Deo pendet. Operatur Deus subministrando media, cooperari debet homo cum Deo, mediis fideliter utendo. Dicit s. Augustinus: „*Deus est, quem si sequimur, bene, si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus.*“<sup>2)</sup>

2. — Operatio hominis in pietatis et salutis negotio requisita est varia et multiplex, prouti agitur vel de mente a vitiosis habitibus primum expurganda, vel de anima per virtutum exercitium illustranda, vel de anima per caritatem perfectam, quantum in hac vita conceditur, intime cum Deo unienda. Generatim vero tota nostra operatio moralis habet characterem perdurantis pugnae, nam docente s. scriptura „*militia est vita hominis super terram*“ Job 7, 1, „*nec coronatur nisi qui legitime certaverit*“ 2 Tim. 2, 5. Bene s. Hieronymus: „*Stadium est haec vita mortalibus; hic contendimus, ut alibi coronemur. Magnis inimicorum circumdamur agminibus; hostium plena sunt omnia.*“<sup>3)</sup> Unde *Thomas Kemp.* rectissime infert: „*Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*“<sup>4)</sup>

3. — Conditio autem praevia ad viriliter decertandum, et consequenter ad justitiam et perfectionem christianam assequendam, est *firmum et efficax ejusdem desiderium*, auxiliante divina gratia conceptum: „*Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam*

<sup>1)</sup> De Imitatione Christi, Lib. III. cap. 10 n. 3.

<sup>2)</sup> De moribus Eccl. cath. Lib. I. cap. 6 n. 10.

<sup>3)</sup> Epist. 22. ad Eustochium n. 3.

<sup>4)</sup> De imitatione Christi Lib. I. cap. 25 n. 10.



*ipsi saturabuntur.*“ Matth. 5, 6. Etenim 1) fieri nequit, ut quis media virtutis et salutis apprehendat sibi que vim inferat, nisi pie vivere veraciter desideret; et 2) desiderium hominem reddit aptum et capacem ad gratias divinas largiter accipiendas: „*Esurientes implevit bonis*“ . Luc. 1, 53. Est enim desiderium, ut dicit s. Augustinus, <sup>1)</sup> *sinus cordis nostri*, qui eo plura et majora percipit bona, quo magis extenditur. Quare subdit: *Desideremus ergo, fratres, quia implendi sumus!*

Gravissimum momentum pii hujus desiderii pro vita spirituali hominis christiani idem s. Doctor his extollit classicis verbis: „*Hoc nobiscum agit scriptura divina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio Sacramentorum, hoc Baptismus sanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ipsa nostra disputatio, ut hoc desiderium non solum seminetur et germinet, verum etiam in modum tantae capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.*“ <sup>2)</sup>

„*Tota vita christiani boni, sanctum desiderium est.*“ <sup>3)</sup>

4. — Sed advertendum, quod ad perfectionem christianam, quam ut homo attingat, cum Deo cooperari debet, in diversis viis et tantum per gradus ascenditur, ut statim videbis.

## §. 5.

### Vita contemplativa, vita activa, vita mixta.

1. — Spiritus sanctus diversis modis homines allicit et movet ad amorem sanctitatis; ipso enim agente alii principaliter intendunt contemplationi veritatis divinae, alii praecipue intendunt exterioribus actionibus, alii denique utrumque conjungere student; quocirca vita hominum secundum diversa eorum studia convenienter et plene in contemplativam, activam et mixtam dividitur. Et triplex haec vivendi forma est veluti via triplex perfectionis christianae.

2. — Qui *vitam contemplativam* agunt, principaliter occupantur contemplatione veritatis divinae, nempe Dei ipsius et divinorum effectuum seu operum, ut crescentè Dei cognitione ad majorem Dei dilectionem convalescant sanctosque seipsos Deo exhibeant.

<sup>1)</sup> In Epist. s. Joan. Tr. 4 n. 6.

<sup>3)</sup> In Epist. s. Joan. Tr. 4 n. 6.

<sup>2)</sup> In Joan. Evang. Tr. 40 n. 10.

Vita contemplativa igitur praecipue in caritate erga Deum fundatur, virtutes autem morales ad vitam contemplativam disponunt eamque adjuvant, quia moderantur passiones et sic cordis munditiam et quietem causant.

Qui *vitae activae* incumbunt, principaliter operibus externis occupantur, et proximum ad temporalem et aeternam salutem juvare adlaborant. Hinc vita activa praecipue in caritate erga proximum fundatur; virtutes autem morales ad illam essentialiter pertinent, quia ad recte operandum disponunt.

Qui *vitam utramque* conjungunt, non tantum seipsos contemplatione, meditatione, oratione, lectione etc. sanctificare, sed aliis etiam externo ministerio per opera caritatis et misericordiae corporalia vel spiritualia subvenire satagunt.

3. — **Assertio.** *Vita contemplativa est activae praeferenda, mixta est utraque perfectior.* Est doctrina communis, quam etiam P. M. Benedictus XIV.<sup>1)</sup> tuetur.

I. *Vita contemplativa est activae praeferenda.* Colligitur ex verbis Domini: „*Maria optimam partem elegit*“ Luc. 10, 42; etenim juxta ss. Patres per Mariam significatur vita contemplativa, per Martham vita activa. Accedunt rationes sequentes:

1. Vita contemplativa, cum intendat contemplationi veritatis, convenit homini secundum id, quod est optimum in ipso, scilicet secundum rationem; in vita autem activa multum operantur inferiores vires, quae nobis et brutis communes sunt. Ideo vita contemplativa est vere *humana* sensu excellentissimo. — 2. Vita contemplativa magis assimilatur vitae Angelorum in coelis, qui Dei contemplatione (per simplicem tamen apprehensionem) fruuntur, quam vita activa, quae externis laboribus insudat. Est vita contemplativa quasi *angelica* vita. — 3. Vita contemplativa magis accedit ad vitam Dei ipsius, qui „seipso fruatur, non alio“, quam vita activa, quae circa externa et humana versatur. Sic vita contemplativa est vita velut *divina*. — 4. Vita contemplativa est *continua*, nam quae incipit in terra, consummatur in coelo, dum vita activa cum necessitate hujus vitae aufertur. *Ibi enim, ait s. Augustinus,*<sup>2)</sup> *Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus, sicut ipsa vita aeterna, communis.*

<sup>1)</sup> De Servor. Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 26 n. 4.

<sup>2)</sup> De Civitate Dei Lib. XXII. cap. 30 n. 1.

Non potest dici, vitam contemplativam esse inutilem aliis. Etenim qui ejusmodi vitam agunt, deprecationibus et obsecrationibus, mortificationis exercitio conjunctis, atque virtutum exemplis, Ecclesiae nec non reipublicae civili magis quam alii frequentissimo ministerio prodesse possunt.<sup>1)</sup>

4. — II. *Quamvis vita contemplativa sit praeferenda activae, haec tamen bona est et laudabilis.* Nam Jesus optimam partem elegisse Mariam dixit, „ut etiam pars Marthae indicaretur bona“, prout s. Gregorius M. observat.<sup>2)</sup> Sane, proximo externis operibus servire est bonum et laudabile, imo et necessarium in praesenti vita. Praeterea Angeli quoque habent aliquid de vita activa, quamdiu mundus durat, ex eo, quod „administrationi inferioris creaturae intendunt“. Ad hoc significandum Jacob vidit Angelos in scala ascendentes, quod pertinet ad contemplationem; et descendentes, quod pertinet ad actionem.<sup>3)</sup>

5. — III. *Vita mixta perfectior est, quam contemplativa et activa seorsim considerata,* tum quia utriusque praestantiam complectitur, tum quia est vita, quam Christus, Magister et Dominus noster, gessit,<sup>4)</sup> B. V. Maria amplexa est,<sup>5)</sup> Apostoli ac subinde multi Sancti exercuerunt. Ad rem s. Bernardus: „*Bonum* (inquit Apostolus 2 Tim. 3) *acquirat gradum, qui bene ministraverit, forte meliorem, qui bene vacaverit Deo, optimum autem, qui perfectus est in utroque.*“<sup>6)</sup>

Praeprimis sacerdotes animarum curam gerentes hanc vitae rationem observent oportet. Audiamus Doctorem Angelicum sic loquentem: „*Ad praelatos (et aequae ad sacerdotes) non solum pertinet vita activa, sed etiam debent esse excellentes in vita contemplativa. Unde s. Gregorius M. in Pastoralibus 2, 1: Sit praesul actione prae-*

<sup>1)</sup> Jam s. Augustinus in op. De morib. Eccl. cath. Lib. I. n. 86 loquens de iis, quibus videntur Anachoretarum res humanas plus quam oportet deseruisse, ait illos non intelligere, *quantum nobis eorum animus in orationibus prosit et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.*

<sup>2)</sup> In Ezech. Lib. II. Hom. 2. n. 9.

<sup>3)</sup> S. Thom. 2. 2. q. 181. a. 4 ad 2.

<sup>4)</sup> S. Gregor. M. Mor. in Job Lib. XXVIII. cap. 13 n. 33. S. Thom. 3. q. 40 a. 1.

<sup>5)</sup> S. Bernardus ait: „*In hac una et summa Maria et Marthae negotium, et Mariae non otiosum otium invenitur.*“ In Assumpt. B. V. M. Serm. 2. n. 9. S. Ildelfonsus: „*Dei Genitrix semper Virgo Maria utramque vitam ad plenum exercuit, activam laudabilem, quam opere Martha excoluit, contemplativam optimam, quam Maria audiendo et eligendo obtinuit.*“ Serm. 5. Assumpt. B. V. M. Similiter s. Anselmus: Hom. 9. in Evang. Luc.

<sup>6)</sup> De Assumpt. B. V. M. Serm. 3. n. 3.

*cipuus, prae cunctis in contemplatione suspensus.*"<sup>1)</sup> Ipsa vita activa dirigenda est per contemplationem, ut idem s. Doctor advertit.<sup>2)</sup> Praeterea ab exercitiis vitae contemplativae, veluti a contactu cum Deo, provenit unctio quaedam spiritualis praedicationum, aedificatio conversationis cum proximo, successus fructusque in cura animarum. Eo minus negligamus jam nunc in terra assuefieri vitae contemplativae, quia haec mox erit in coelo vita semper duratura; eminvero, ut apte s. Bernardus<sup>3)</sup> observat, *numquid non rudis quodammodo videtur anima, quae divinae contemplationis penitus expers illam intraverit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita?*

\* S. A u g u s t i n u s : De consensu Evangelistarum Lib. I. n. 8 (vitae activae et contemplativae proprietates describit subjungens, s. Joannem Evang. dicta Christi, praesertim quae s. Trinitatis veritatem et aeternae vitae felicitatem insinuarent, uberius describentem, in virtute contemplativa commendanda suam intentionem posuisse, ceteros Evangelistas, temporalia, facta Domini et dicta ad informandos mores copiosius prosecutos, circa virtutem activam fuisse versatos). De Civitate Dei Lib. XIX. cap. 19 (de vita activa, contemplativa et mixta). S. G r e g o r i u s M.: Moral. in Job Lib. IV. n. 56—61 (de vita contemplativa et activa). In Ezech. Lib. I. Homil. 3. n. 9—13 (de comparatione vitae activae et contemplativae ad invicem). Lib. II. Homil. 2. n. 7 et seq. (de vitae activae et contemplativae officiis, figuris, ordine etc.) Lib. I. epist. 5., Lib. VII. epist. 4. S. P e t r u s D a m i a n i : Opusc. 13. de perfectione monachorum cap. 8 (de vita activa et contemplativa sub figura Liae et Rachelis). S. A n s e l m u s : Homil. 9. in Evang. Luc. (de vita contempl. et act., B. V. Maria in utraque singularis). S. B e r n a r d u s : De assumptione B. V. M. Serm. 3. (de vita activa et contemplativa). In Cant. Serm. 52. (de contemplatione). De diversis Serm. 87. al. 52. ex parvis (de osculo sponsi seu gratia contemplationis). S. B o n a v e n t u r a : Meditationes vitae Christi cap. 45—49. S. T h o m a s : Summa Theol. 2. 2. q. 179—182. P. M. B e n e d i c t u s X I V . : De Servorum Dei Beatificat. etc. Lib. III. cap. 26 n. 4. L u d o v i c u s d e P o n t e S. J. : Meditationes de praecipuis fidei nostrae mysteriis P. III. Introductio pag. 1—22. Nova edit. Noerdlingae 1857.

## §. 6.

### Tres gradus vitae spiritualis seu via purgativa, via illuminativa et via unitiva.

1. — In evolutione vitae spiritualis, sive sit contemplativa sive activa sive mixta, innumeri plane gradus reperiuntur; potis-

<sup>1)</sup> 2. 2. q. 182 a. 1 ad 1.

<sup>2)</sup> 2. 2. q. 182 a. 4.

<sup>3)</sup> De Assumpt.. B. V. M. Serm. 3. n. 3.

simum autem tres merito distinguuntur: 1. *inchoatio*, 2. *profectus*, et 3. *perfectio*. Etenim, ut s. Bonaventura<sup>1)</sup> ait, „ad integritatem perfectionis requiritur necessario *perfectus recessus a malo, perfectus processus in bono, perfectus status in optimo*.“ Qui gradus assimilantur motibus corporalibus, nam in his *primum* est recessus a termino, *secundum* accessus ad alium terminum, *tertium* quies in termino, ut s. Thomas<sup>2)</sup> notat.

Tres illi gradus clare in scriptura indicantur: „*Diverte a malo, et fac bonum; inquire pacem et persequere eam*.“ Ps. 33, 15. „*Ultero enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*.“ Marc. 4, 28, sub *herba* inchoatio, sub *spica* profectus, sub *pleno frumento* perfectio vitae christianae intelligitur juxta explicationem s. Gregorii M. et s. Bedae Venerabilis.<sup>3)</sup> „*Alia autem ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*“ Matth. 13, 8, alii nempe in statu *incipientium* mediocrem adferunt fructum, alii in statu *proficientium* proferunt ampliorum, alii denique in statu *perfectorum* plurimum adferunt.<sup>4)</sup> „*Reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta*“ Rom. 12, 2, est quippe juxta s. Anselmum „voluntas Dei *bona* in incipientibus, *beneplacens* in proficientibus, *perfecta* in perfectis“. Etiam in *Psalmis Gradualibus*, quos Ecclesia in tres partes dividit, Cardin. Bona<sup>5)</sup> designari putat tres status vitae internae, ita ut prima pars incipientibus conveniat, secunda proficientibus, tertia perfectis. — Eisdem gradus vitae christianae etiam ss. Doctores commemorant, ut s. Augustinus,<sup>6)</sup> s. Gregorius M.<sup>7)</sup> s. Bernardus,<sup>8)</sup> s. Thomas,<sup>9)</sup> s. Bonaventura.<sup>10)</sup>

<sup>1)</sup> Breviloq. P. V. cap. 6.

<sup>2)</sup> 2. 2. q. 24 a. 9.

<sup>3)</sup> Vid. Maldonat in h. l.

<sup>4)</sup> S. Augustin. Lib. de sancta Virginitate cap. 45 et 46. Item Suarez De ultimo fine hominis Disp. XI. Sect. 6 n. 5, Ludov. de Ponte, Neumayr.

<sup>5)</sup> De divina Psalmidia cap. 15. §. 1.

<sup>6)</sup> In Epist. s. Joan. Tr. 5 n. 4, ubi ait: „*Numquid mox ut nascitur*

*caritas, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*.“

<sup>7)</sup> In Ezech. Lib. II. Homil. 3. n. 4: „*Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud proventus, aliud perfectio*.“

<sup>8)</sup> In Cant. Serm. 4. n. 1. Serm. 1. in festo s. Andr. Apost. n. 5.

<sup>9)</sup> 2. 2. q. 24 a. 9.

<sup>10)</sup> In op. infra citato.

Aliis verbis gradus illi vocari solent *via purgativa*, *via illuminativa* et *via unitiva*. Rectissime, quod indubie constat ex propos. 26 Michaelis Molinos ab Innocentio XI. damnata: *Tres illae viae, purgativa, illuminativa et unitiva est absurdum maximum, quod dictum fuit in mystica.*

2. — Exacte non minus quam perspicue tres gradus seu status vitae spiritualis P. M. Benedictus XIV. in opere: De Servorum Dei Beatificatione etc.<sup>1)</sup> sic explanat:

I. In statu *incipientium* sunt, qui justificationem obtinuerunt, sed passiones non habent ita moderatas, ut facile superare possint tentationes, ita ut continua indigeant pugna ad conservandam et exercendam caritatem, vel alias virtutes, sine quibus ipsa esse non potest: et ad hunc statum pertinet *via purgativa*, quae per se tendit ad disponendam animam ad justificationem a peccatis praeteritis, et ad satisfaciendum pro illis, tum ad praeservationem a futuris.

II. Illi sunt in statu *proficientium*, qui passiones redactas habent ad aliquam moderationem, ita ut peccatis mortalibus facile abstineant, sed difficile peccata venialia evitent, cum temporalia eos multum delectent, et mens variis phantasmatis et cor multis desideriis agitur: et ad hos pertinet *via illuminativa*, quae per se tendit ad profectum virtutum et majorem passionum moderationem, quae non solum in gravioribus peccatis vitandis, sed etiam in levioribus minuendis, et in moralibus virtutibus exercendis praebet facilitatem.

III. In statu denique *perfectorum* sunt, qui animum habent a temporalibus omnibus ita abstractum, ut pace fruente nec variis desideriis agitentur nec passionibus ut plurimum moveantur, sed in Deum sint principaliter intenti, et aut semper aut frequenter attenti: et ad hos pertinet *via unitiva*, quae praecipue occupatur in unione cum Deo per amorem ex actuali usu et exercitio illius.

3. — S. Ignatius in admirabili Exercitiorum spiritualium libro pro triplici hac via commentationes et doctrinas coelesti sapientia exhibet. Praestituto fine hominis, tamquam principio et fundamento totius vitae et scientiae spiritualis 1. eis, qui *viam purgativam* ingrediuntur, proponit meditationes de peccato et de novissimis hominis, ut detestatio odiumque peccati, praesertim

---

<sup>1)</sup> Lib. III. cap. 26 n. 5.

mortalis, animae altissime ingeratur, atque inordinatae passiones saltem metu poenarum frenentur; docet optimum modum, conscientiae examen particulare et generale instituendi, et regulas tradit utilissimas ad discernendos spiritus, ne incipientes a daemone decipiantur. — Sequitur contemplatio „de regno Christi“, quae est veluti amplificatio considerationis de fine hominis, et caput viae illuminativae atque unitivae. In hac enim contemplatione Christus sistitur ceu Rex et Dux coelestis nos vocans ad sui sequelam in pugna contra hostes Dei et nostrae salutis, ut eum et sequamur in gloria et triumpho coelesti. Sapienter Christi sequela per *modum pugnae* proponitur, siquidem tota nostra operatio in sequela Christi per virtutum exercitium habet characterem pugnae, ut §. 4 n. 1 probatum est. Singillatim deinde 2. pro *via illuminativa* assignat meditanda mysteria vitae et passionis Christi, quam videlicet orando, laborando et patiendo imitari debemus tamquam praestantissimum omnis virtutis exemplar. His interjicit contemplationem „de duobus vexillis“, quae est invitatio ad vitam perfectam et praesertim apostolicam, dein considerationem „de tribus hominum classibus“ ad impedimenta hujusmodi vitae penitus tollenda, atque considerationem „de tribus modis humilitatis“ allicientem ad appetendam perfectionis apicem; quae tres commentationes innituntur fundamentali considerationi de regno Christi. Insuper convenienter pro hac via tradit regulas sublimiores ad dignoscendos spiritus, ne proficientes in virtutibus a daemone retardentur; regulas de electione facienda, de reformatione vitae et status, aliaque utilissima pro vita christiana instituenda. — Denique 3. pro *via unitiva* proponit meditationes de glorificatione (resurrectione et ascensione) Christi, Regis aeterni, ad ejus amorem in nobis magis magisque accendendum, et ad eundem finem postremo contemplationem „ad amorem spirituales in nobis excitandum“, ob infinitam Dei bonitatem et amabilitatem. — Docet tres modos orandi, quorum primus magis incipientibus, alter proficientibus, tertius perfectis convenit. Vid. infra §. 247. Et tradit regulas pretiosas ad sentiendum in omnibus cum Ecclesia catholica. — En systema omni numero absolutum et quasi a divina sapientia mutuatum veritatum aptissimarum, deducendo animam per gradus fortiter et suaviter ab imis ad summa!

\* S. Gregorius M.: In Ezechielem Lib. II. Homil. 3. n. 3—6.  
S. Bernardus: In Cantica Serm. 3. et 4. (de triplici profectu animae,

qui fit per osculum pedis, manus et oris Domini). S. T h o m a s: Summa Theol. 2. 2. q. 24 a. 9; q. 83 a. 4. S. B o n a v e n t u r a: Pharetra Lib. I. cap. 33—36 (multa ex ss. Patribus de Incipientibus, Proficientibus et Perfectis). — S u a r e z: Tom. I. de Religione Lib. II. de oratione cap. 11 n. 3 (fuse haec explicat). S c h r a m O. B.: Institutiones Theologiae mysticae Tom. I. P. I. cap. 2 §§. 25 et 26. Ed. nova Paris. 1868.

### §. 7.

#### Divisio omnium mediorum vitae spiritualis.

Deus operatur vitam spiritualem, sed homo Deo cooperari debet media salutis, quae subministrat, rite adhibendo, ut revera vitam habeat et abundantius habeat, quod in triplici vitae genere et per tres praecipuos gradus fieri potest. Haec modo sufficienter, ut puto, pro re nostra delineata sunt.

Jam vero media et praesidia, quae Deus immediate vel mediate (§. 3) nobis concedit, quaeque nos adhibere debemus (§. 4), in quocunque vitae genere versemur (§. 5), et in quocunque gradu vitae spiritualis simus constituti (§. 6), generaliter sunt *gratia* et *veritas Christi* (§. 2), quae per diversa adminicula seu instrumenta in nos derivantur; ita ut omnis nostra sufficientia ex Christo 2 Cor. 3, 5, omnis gloriatio nostra in Christo sit 1 Cor. 1, 31.

Quapropter totam doctrinam de mediis vitae christianae in duabus partibus absolvemus, nimirum respectu habito ad gratiam Christi et ad veritatem Christi.

---



# TITULUS I.

## Gratia Christi primum medium vitae christianae.

### §. 8.

#### Animadversio praeliminaris.

Gratia divina duplex est: sanctificans et actualis. *Gratia sanctificans* est principium et radix virtutum infusarum.<sup>1)</sup> Numquam seorsim a gratia sanctificante, sed cum ipsa gratia infunduntur et augetur virtutes, et in eodem quidem gradu, in quo infunditur et augetur gratia; et eisdem actibus, quibus augetur gratia sanctificans, etiam augetur virtutes.<sup>2)</sup> *Gratia actualis* illustrat mentem, excitat et movet voluntatem ad actus virtutum exercendos. Ideo utraque gratia merito consideratur tamquam medium vitae christianae, quae praecipue in virtutibus earumque actibus consistit; *virtutes animi sunt, quibus ipsa recta vita et honesta constat*, dicit s. Augustinus.<sup>3)</sup>

Gratia Christi per diversa media seu instrumenta in nos derivatur; alia enim sunt, quae conferunt gratiam ex opere operato, nempe Sacramenta et Missae Sacrificium; alia sunt, per quae accipitur gratia non ex opere operato, sed impetratur vi promissionis Christi, ratione precum Ecclesiae etc., ex opere operantis, quo spectant Sacramentalia, oratio, et alia.

Hinc 1. agemus de instrumentis, per quae gratia confertur ex opere operato, et 2. de instrumentis, per quae gratia impetratur ex opere operantis.

---

<sup>1)</sup> S. Thom. 1. 2. q. 110 a. 3 ad 3.

Sect. 2. *Theol. Wirceb.* De virt. theolog. n. 47—51.

<sup>2)</sup> Suarez: De Sacram. Disp. VII.

<sup>3)</sup> Lib. II. de libero arbitrio n. 50.

## DISPUTATIO I.

De instrumentis gratiam conferentibus ex opere  
operato.

### TRACTATUS I.

De sacrosancto Missae sacrificio.

§. 9.

#### Nexus rerum.

Sacrificium Missae ad Sacramenta et bona opera se habet tamquam causa universalis, quae licet non semper, tamen saepissime supponitur, quum maxime per illud gratiae actuales concedantur tum ad bona christianaque opera facienda tum ad rite et utiliter recipienda Sacramenta, praeterquam quod juvare possit ad impetrandum, ut Sacramenta nobis conferantur et applicentur.<sup>1)</sup>

Quam ob rem incipimus tractare de Missae sacrificio, et 1) quidem de eo in se spectato, et 2) de ejus celebratione, consideraturi doctrinas ad scientiam nostram stricte pertinentes, aliis, quae in Theologia dogmatica habentur, breviter et eatenus tantum adnotatis, quatenus pro illis fundamentum constituunt.

#### Sectio I.

##### De Missae sacrificio in se spectato.

Huc pertinent 1. hujus sacrificii notio et veritas, 2. effectus, 3. valor et efficacia, 4. minister, atque 5. caeremoniae.

---

<sup>1)</sup> Anton. de Gaudier, S. J. De perfectione vitae spiritualis Tom. II. P. V. (de instrumentis perfectionis) Sect. 10 cap. 11. Edit. altera Paris 1857. Suarez: De Sacram. Disp. 79. Sect. 1 in fine.

## §. 10.

## Notio et veritas ss. Missae sacrificii.

1. — Generatim *sacrificium est oblatio rei sensibilis per ejus destructionem aut immutationem Deo facta ad supremum ipsius dominium contestandum*. Dicitur 1) *oblatio*, ut genus sacrificii indicetur; pertinet enim ad oblationem, cujus plures species extant. <sup>1)</sup> Dicitur 2) *rei sensibilis oblatio*, ut distinguatur ab oblatione, quae corde fit et improprie sacrificium appellatur, prouti spiritus contribulatus Ps. 50, 19, hostia laudis Ps. 49, 14. Sacrificium dicitur 3) *oblatio Deo facta*, quia pertinet ad cultum patriae, qui soli Deo debetur. 4) *Fit ad supremum Dei dominium profitendum*; veluti tributum namque sacrificium est, quod Deo praestatur in recognitionem supremae ipsius majestatis atque nostrae erga eum subjectionis. Hic est primarius sacrificii finis, quo discernitur a Sacramentis, quorum finis primarius est sanctificatio hominis. Ideo consequenter 5) *fit per rei destructionem vel immutationem* e. g. occidendo et comburendo animalia, fractione et manducatione panis; <sup>2)</sup> quia sic perfecte significatur tum absolutum dominium Dei, qui sicut omnia creare, ita et omnia destruere potest, tum plena nostra quoad omnia subjectio erga Deum. <sup>3)</sup> Attamen rei destructio non necessario requiritur ad essentiam sacrificii, si hoc est tantum *relativum* seu *commemorative* alterius, quod repraesentatur.

2. — *Sacrificium Missae est verum et proprium sacrificium, in quo sub speciebus panis et vini Christus realiter praesens incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruenta obtulit, ad fructus Sacrificii cruenti uberrime percipiendos*. Quibus verbis duplex veritas exprimitur, videlicet 1. sacrificium Missae esse verum et proprium sacrificium, 2. sacrificium Missae esse essentialiter idem ac sacrificium crucis, quod per illud commemoratur et realiter repraesentatur.

3. — **Assertio I.** „*Sacrificium Missae est verum et proprium sacrificium*. Sic Conc. Trid. definivit: „*Si quis dixerit, in Missa non*

<sup>1)</sup> S. Thom. „Omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur.“ 2. 2. q. 85 a. 3 ad 3, coll. q. 86 a. 1 c.

<sup>2)</sup> Idem: „Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicuntur.

— Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat.“ 2. 2. q. 85 a. 3 ad 3.

<sup>3)</sup> Tali signo, ait s. Alph. Lib. VI. n. 304, significatur, ita a Deo tamquam supremo Domino nos et nostra destrui posse, sicut res oblata immutatur.

*offerri verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit.*“ Sess. 22. can. 1. Quae fidei doctrina ex fontibus revelationis probatur in Dogmatica. Porro concurrunt in hoc divino sacrificio omnes conditiones sacrificii veri supra n. 1 expositae, nimirum fit *oblatio rei sensibilis Deo*, quia Christus continetur sub speciebus panis et vini, et offertur aeterno Patri; adest *finis* sacrificii proprius, quia sacrificatio fit in contestationem supremi dominii, quod Deus habet, vitae et mortis, et absolutae omnium dependentiae ab ipso. Fitque *destructio* victimae, quamvis in ea explicanda non una omnium est sententia. Dicam, quod *probabilius* mihi videtur.

1. *Destructio* quaedam, nempe *moralis*, jam fit in consecratione, quatenus Christus verbis consecrationis in statu decliviori, ut Card. Lugo<sup>1)</sup> loquitur, in statu victimae se constituit, videlicet in statu cibi potusque, destinati ad consumptionem, ita ut exinanitus vere dici possit et debeat. 2. *Destructio plena et realis* fit in sumptione, quatenus Christus in statu victimae, nempe in statu cibi potusque existens per sumptionem consumitur i. e. vita sacramentali destituitur, seu Christi corpus et sanguis ac tota humanitas per specierum consumptionem in nobis esse desinit (manente tamen in nobis ipsius divinitate); quare Apostolus ait, per sumptionem annuntiari mortem Christi: „*Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*“ 1 Cor. 11, 26.<sup>2)</sup>

Duplex illa destructio in Missae sacrificio conformitatem habet cum destructione Christi in sacrificio crucis. Jam erat Dominus noster *aliquo modo destructus*, pendens in cruce, toto corpore distentus, laceratus, attritus, non erat species ei neque decor Isai. 53, quasi vermis, non homo Ps. 21. Denique *penitus destructus* est (quoad vitam naturalem) voluntaria emissionem spiritus.

Juxta hanc sententiam non tantum consecratio, sed etiam sumptio *essentialiter* pertinet ad sacrificium Missae, quod incipit consecratione et consummatur sumptione: simili modo, quo sacri-

<sup>1)</sup> De Euchar. Disp. 19. Sect. 5 n. 67.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 305 ait: „... in consecratione ponitur victima, et in sumptione consumitur. — Ut in

altari fiat sacrificium, opus est, ut prius ibi victima ponatur integra, et deinde destruat. — Destructio vera et realis non habetur nisi per sumptionem sacerdotis, qua destruitur sacramentalis essentia Christi.“

ficium crucis incoepit per passionem Christi in cruce, et consummatum est per ipsius mortem, hinc dicebat: *Consummatum est.*<sup>1)</sup>

In sacrificio cruento Christus semetipsum voluntarie tradidit in passionem et mortem sustinendam; in sacrificio incruento semetipsum voluntarie tradit in cibum potumque consumendum.<sup>2)</sup>

Nonnulli dicunt, Christum per consecrationem constitui in *statu mortui, modo mortuo, statu quodam mortuo* (quod tamen non uno modo explicant); ideoque in consecratione sola consistere essentiam sacrificii Missae. Sed huic sententiae inprimis obstare videtur, quod sacrificium Missae est repraesentativum sacrificii crucis; atqui Christus non per mortem *in facto esse*, sed per mortem *in fieri* i. e. per passionem et mortem ex ea sequentem seu patiendo et moriendo obtulit sacrificium in cruce;<sup>3)</sup> igitur esse nequit, ut Christus in Missae sacrificio per consecrationem veluti jam mortuus seu in statu mortui repraesentetur; et profecto ss. Patres et Doctores dicunt, sacrificium Missae referre *imaginem passionis*, Christum *quasi recipere passionem*, et similiter.<sup>4)</sup>

4. — **Assertio II.** *Sacrificium Missae est essentialiter idem ac sacrificium crucis*, ut Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2 docet; videlicet una eademque est *hostia*, quae in cruce oblata est, et in sacrificio eucharistico offertur; idem nunc *offerens* sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit; *sola offerendi ratio* est diversa: a) sacrificium crucis erat cruentum, reali Christi passione et sanguinis effusione; sacrificium Missae est incruentum, solum repraesentans Christi passionem et sanguinis effusionem; b) illud fuit meritorium, per hoc merita Christi applicantur, seu ut Conc. Trid. dicit, „oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur“.

Sacrificium Missae, ut modo innuimus, cruentam Christi passionem et mortem mystice repraesentat, seu est *commemorative*

<sup>1)</sup> Suarez: De Sacram. Disp 57, Sect. 6: „Sacrificium Christi cruentum, licet in passione fuerit inchoatum, tamen *essentialiter* mortem requisivit: ita ut, si mors non fuisset revera subsequuta, sacrificium non fuisset *essentialiter* perfectum, nec consummasset redemptionem nostram, supposita Dei institutione et revelatione.“

<sup>2)</sup> Ad objectionem: In hoc Sacrificio est principalis offerens Christus, qui vero non se manducat in altari; ergo manducatio non est oblatio, sed aliquid consequens, — Lugo (de Sacram. Euch. Disp. 19, Sect. 6 n. 80) optime respondet: „*Etiam in cruce Christus*

*fuit offerens, et tamen non se occidit, sed exhibuit occidendum: sic etiam in altari se exhibet manducandum, quod sufficit, ut manducatio ipsa tribuatur Christo magis proprie, quam ejus occisio. Ea enim fuit solum permissive, sumptio vero fit etiam ex ejus praecepto.*“

<sup>3)</sup> S. Thom. 3. q. 50 a. 6.

<sup>4)</sup> Sic s. Gregorius M.: „*Quoties ei hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.*“ In Evang. Lib. II. Rom. 37. n. 7. Alia Franzelin: De ss. Euchar. pag. 363—364. Romae 1867.

*et realiter repraesentativum sacrificii in cruce peracti.* Sed quo modo? Jam quidem in illa destructione prius considerata, vi consecrationis et sumptionis, qua Christus tamquam victima ponitur et consumitur, vidimus aliquam analogiam cum destructione Christi per passionem et mortem in cruce. Attamen multo expressius et apertius relatio sacrificii incruenti ad cruentum designatur per separatam panis et vini consecrationem, quatenus *vi verborum* Corpus ponitur sub specie panis, Sanguis sub specie vini. S. Thomas dicit: „*Consecratio utriusque speciei valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione.*“<sup>1)</sup> Et Bellarmin: „*Ipsium corpus et sanguis Domini, ut sunt sub illis speciebus (panis et vini), signa sunt corporis et sanguinis, ut fuerunt in cruce; repraesentat enim Eucharistia passionem Christi.*“<sup>2)</sup>

Ideoque hoc respectu „ad essentiam sacrificii necessaria est consecratio utriusque rei, scilicet panis et vini, divino jure et praecepto, a quo nullus facultatem habet dispensandi.“<sup>3)</sup>

Hic advertendum, quod in Rubrica de defect. IV. n. 8 habetur: *Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, non posset ullo modo haberi; si id fiat ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet; si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit et Missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.* Hinc communiter dicunt, quod si difficillime haberi possit species deficiens et notabilis inde oriretur offensio populi, Missa absolvi debet; quia jus naturale vitandi scandalum praevalet juri divino positivo integrandi sacrificium.<sup>4)</sup>

Facilius evenire potest casus, quo calici *non vinum infundebatur, sed aqua.* Quo in casu, si celebrans id advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquae, *apponat aliam hostiam et vinum cum aqua* in calice, offerat utrumque saltem mentaliter, mox consecret (incipiendo a verbis: *Qui pridie*) et sumat, quamvis non sit jejunus.

<sup>1)</sup> 3. q. 76 a. 2 ad 1.

<sup>2)</sup> De Missa Lib. II. cap. 15.

<sup>3)</sup> Ita Benedictus XIV.: De ss. Missae sacrif. Lib. II. cap. 10 n. 18.

Vid. s. Alphons. Lib. VI. n. 306.

Late Lugo: De Euchar. Disp. 19. Sect. 8.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 306.

Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare ac statim sumere, et prosequi cetera. Ita Rubr. Tit. IV. de def. vini n. 5.

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 304—306. — Bellarmin: De Missa Lib. I. per 27 cap. (in hoc ultimo cap. de quaestione, in qua parte Missae proprie consistat essentia sacrificii). Lugo: Tract. de Euchar. Disp. 19. Sect. 1—8. (Sect. 2—6. de essentia sacrificii). Holzclau: Theol. Wirceburg., de Euchar. cap. 4 a. 2. Abelly: Medulla theologica P. II. Sect. 11 §§. 1 et 2 (in altero de essentia sacrificii). Ratisb. 1859. Franzelin: De ss. Euchar. Sacramento et Sacrificio pag. 357 et seq. Romae 1868. Schwetz: Theolog. dogmat. Tom. III. §. 12 et seq. Gihl: Das hl. Messopfer dogmatisch, liturgisch und ascetisch erklärt, §§. 11—16. Freiburg 1877. Katschthaler: De SS. Eucharistia cap. 3 a. 1—3. Ratisbonae 1883. Probst: Liturgie des IV. Jahrhunderts und deren Reform. Münster 1893. Oswald: Die dogmatische Lehre von den hl. Sacramenten. 5. Aufl. Münster 1894. Hurter: Theol. dogm. Tom. III. Ed. X. Oeniponte 1900.

### §. 11.

#### Effectus sacrificii Missae.

1. — Sicuti sacrificium crucis, ita sacrificium altaris, quod illius realis repraesentatio et applicatio est, non tantum latreuticum et eucharisticum seu gratiarum actionis, sed etiam propitiatorium et impetratorium est, ut semper docuit et tenuit Ecclesia, atque dogmatice definivit Consilium Trident. Sess. 22. can. 3 contra reformatores. Igitur sacrificium Missae effectus habet *a) relate ad Deum*, quatenus est latreuticum et eucharisticum; et *b) relate ad homines*, quatenus propitiatorium et impetratorium est; et hi effectus posteriores, propitiatio et impetratio, *fructus* sacrificii proprie appellantur.

Missae Sacrificium omnes effectus commemoratos *ex opere operato* producit, intuitu meritorum Christi et ejus promissionis, independenter a bonitate vel malitia sacerdotis celebrantis; unde fit, ut sacrificium ex opere operato non minus prosit si a sacerdote indigno, quam si a digno offeratur; quod valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiae, quia Ecclesia semper est sancta et Deo grata. At vero fructus sacrificii, ex opere operato provenientes, possunt augeri *ex opere operantis*, nempe sacerdotis celebrantis et fidelium adstantium, ita ut eo uberius sit fructus, quo major est vel sacerdotis offerentis vel fidelium, pro quibus offert, dignitas ac devotio. Augeri etiam possunt *ratione precum Ecclesiae*, quare

Missa de Requie, licet ex parte sacrificii non magis defunctis prosit quam Missa de Sanctis, tamen ex parte orationum, quae pro illis fiunt, magis prodest, quarum autem defectus suppleri potest per majorem devotionem sive celebrantis sive celebrari jubentis, imo etiam per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.<sup>1)</sup>

2. — Effectus sacrificii sanctissimi commemoratos ex opere operato paulisper considerare expediet.

1. Sacrificium Missae dicitur *latreuticum*, quatenus perfectissimam laudem et adorationem sanctissimae Trinitati exhibet. Qui effectus est primarius, cui reliqui subordinantur.

2. *Eucharisticum* est, cum perfectissimam beneficiorum recognitionem et acceptissimam gratiarum actionem pro beneficiis concessis Deo praestat.

3. *Propitiatorium* est, quatenus Deum peccatis offensus placat, ut peccata poenasque remittat. Et quidem a) remissionem peccatorum sacrificium altaris non immediate Sacramenti instar praestat, sed mediate, quatenus impetrat auxilia gratiae, quibus peccator moveatur ad perfectam eliciendam contritionem vel ad suscipiendum cum attritione Sacramentum Poenitentiae, quo remittuntur peccata.<sup>2)</sup> Dicit enim Concilium Trid. Sess. 22. cap. 2: „*hujus (sacrificii) oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.*“ Deinde b) remissionem poenarum temporalium justis impetrat pro culpis remissis, ut constat ex Conc. Trid. l. c., ubi dicitur, sacrificium etiam *pro poenis, satisfactionibus* offerri, et ideo dici potest etiam satisfactorium. Haec porro poenarum remissio fit immediate per hoc, quod satisfactiones Christi applicantur. Dicit enim Concilium Trid. Sess. 25. cap. 1, animas in purgatorio detentas potissimum acceptabili sacrificio juvari; atqui illae juvari nequeunt, nisi immediata poenarum remissione.<sup>3)</sup>

4. *Impetratorium* dicitur, quia bona spiritualia nec non temporalia, sed haec, quatenus ad salutem animae conducunt, a Deo

<sup>1)</sup> S. Thom.: Suppl. q. 71 a. 9 ad 5. Similiter ratione precum Ecclesiae *Missa votiva* potest esse efficacior ad finem, pro quo celebratur, quam *Missa diei*.

<sup>2)</sup> Etiam venialia peccata mediate

tantum vi hujus sacrificii delentur. S. Alph.: Lib. VI. n. 311.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 310. Benedictus XIV.: De Missae Sacr. Lib. II. c. 13 n. 17.



impetrat iis, qui offerunt vel pro quibus offertur; nam Concilium Trid. Sess. 22. cap. 2 definivit, sacrificium offerri etiam *pro aliis necessitatibus*. Et hinc efficit quoque, sed mediate tantum, augmentum gratiae sanctificantis, nempe impetrando auxilia divina ad perficiendos actus, quibus gratia haec augetur.

Missae sacrificium, quantum de se est, effectus suos *infallibiliter* producit. Quod plane evidens est, quatenus sacrificium est *latreuticum* et *eucharisticum*; semper quidem laus et honor et gratiarum resolutio ex hoc sacrificio in Deum redundat. Porro ut est *propitiatorium*, infallibiliter impetrat subjecto capaci donum poenitentiae tempore opportuno; quodsi peccator non convertatur, id non ex defectu sacrificii, sed ex defectu cooperationis evenit; itemque certo impetrat remissionem poenarum temporalium, modo indignitas non obstet in iis, pro quibus offertur.<sup>1)</sup> Ratio est, quia ex institutione Christi vim habet absolutam applicandi fructus passionis et satisfactiones Christi, ut colligitur ex Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1. Denique ut *impetratorium* etiam producit infallibilem effectum, cum non minus efficax esse possit quam oratio, quae ex divina promissione talem effectum habet (v. Lib. II. §. 49 n. 2); et quamvis non semper obtineatur id bonum, quod petitur, accipitur tamen aliud, quod salubrius est; et si non statim, certe tempore opportuno, prouti Deo visum fuerit; quocirca sacrificium impetratorium numquam effectum caret, dummodo ex parte nostra obstaculum non ponatur.<sup>2)</sup>

3. — Fructus sacrificii intuitu participantium ex opere operato procedens dividitur in *generalem*, *specialem* et *specialissimum*. 1) Fructus *generalis* advenit toti Ecclesiae, fidelibus omnibus, vivis et defunctis. De hoc fructu copiosius ceteris participant adstantes sacrificio, et abundantius adhuc illi cooperantes e. g. sacerdoti inservientes. Imo indirecte ad ipsos infideles et avulsos ab Ecclesia, ut qui membra Ecclesiae non sunt, ejus membra fiant, hic

<sup>1)</sup> Gradus poenae, qui remittatur, pendet a dispositione plus minusve perfecta. *Quod tollitur pars poenae, et non tota poena per hoc sacramentum (sacrificium), non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanae*, dicit d. Thomas: 3. q. 79 a. 5 ad 3.

<sup>2)</sup> Lugo: Disp. 19. Sect. 9. Bellarmin: De Missa Lib. II. cap. 5. La Croix: Lib. VI. P. 2. n. 52—60. Elbel: De Sacr. Conf. 17. n. 170 et 171. Franzelin: De ss. Euchar. Sacr. et Sacrif. pag. 350 et seq.

fructus generalis extenditur.<sup>1)</sup> 2) Fructus *specialissimus* obtingit soli sacerdoti celebranti (supposita dispositione sufficienti), qui fructum praedictum nec alteri cedere neque pro illo stipendium accipere potest, vi propos. 8 ab Alexandro VII. damnatae.<sup>2)</sup> Qui fructus est propitiationis et impetrationis. 3) Fructus *specialis* obvenit certis illis hominibus vivis vel defunctis, pro quibus ad determinatum finem sacerdos speciali intentione sacrificium applicat. Hi participant de sacrificio, ut est impetratorium et propitiatorium pro peccatis et, si nihil obstet, etiam pro poenis residuis. Hic fructus ab aliis dicitur *ministerialis*, quia pro arbitrio ministri applicatur, ab aliis etiam *medius*, nempe inter generalem et specialissimum. — Ratio divisionis fructuum modo expositae inde desumitur, quod sacrificium Missae debet prodesse tum iis qui offerunt tum illis, pro quibus offertur: atqui sacerdos est (post Christum) offerens principalis, ergo debet ipse fructum participare (specialissimum); et cum offerat nomine totius Ecclesiae, hinc etiam toti Ecclesiae debet advenire fructus (generalis). Denique cum hoc sacrificium specialiter offerri possit et saepe ex obligatione offerri debeat pro certis quibusdam personis, certo eis communicatur fructus (specialis).

\* S. Gregorius M.: Lib. II. In Evang. Homil. 37. n. 7, 8 et 10 (sacrificium propitiatorium et impetratorium). S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 311 et 312. — Bellarmin: De Missa Lib. II. cap. 1—5. Benedictus XIV.: De ss. Missae Sacrificio Lib. II. cap. 13 n. 16—20. Suarez: De Sacram. Disp. 79. Sect. 1—10. Lugo: De Sacramento Eucharistiae Disp. 19. Sect. 9. La Croix: Theol. mor. Lib. VI. P. II. n. 40—46, 52—60. Sporer: Theol. Sacram. P. II. cap. IV. Sect. 2. Reiffenstuel: Theol. mor. T. VI. Tr. XIV. Disp. 5. q. 4. Abelly: Medulla Theologica P. II. Tr. I. cap. 4. Sect. 11. §. 3. (Ratisb. 1859.) Schwetz: Theol. Dogm. Vol. III. §. 16. Franzelin S. J.: Tractatus de ss. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio pag. 346—356. Romae 1868. Gühr: Das hl. Messopfer dogmatisch, liturgisch und ascetisch erklärt §. 18 u. f. Freiburg 1877. Oswald: Die dogmatische Lehre von den hl. Sacramenten der kathol. Kirche. 5. Aufl. Münster 1894. Hurter: Theol. Dogm. Ed. X. Tom. III. Oeniponte 1900.

<sup>1)</sup> Franzelin: De ss. Euchar. Sacram. et Sacrificio pag. 355.

<sup>2)</sup> Fructus specialissimus est veluti *actio immanens*, quae nequit ab agente in alium transire, alteri cedere,

atque hac ratione nequit sacerdos celebrans novam eleemosynam accipere. Sic Benedict. XIV.: De Missae Sacrif. Lib. III. cap. 21 n. 4.

## §. 12.

**Quantus sit sacrificii Missae valor et effectus.**

1. — *Valor* hujus sacrificii dicitur ejusdem dignitas, ut in se spectatur; qui absque dubio infinitus est ob dignitatem infinitam offerentis, qui ipse Christus est, et ob dignitatem infinitam rei oblatae, quae pariter Christus est.

Ex hoc valore seu dignitate intrinseca sacrificium Missae *vim* seu *sufficientiam* habet ad infinitam laudem et gratiarum solutionem Deo exhibendam, porro ad peccata, quaecunque commissa sunt et committi possunt, remittenda bonaque omnia possibilis a Deo impetranda innumeris hominibus, quin exhausti possit.<sup>1)</sup>

2. — Quod vero attinet *effectus*, sacrificium Missae a) *relate ad Deum*, ut latreuticum et eucharisticum, effectus causat *infinite*, quia Deus per illud infinite laudatur et glorificatur, infinita pariter gratiarum solutio pro beneficiis acceptis Deo redditur. Etenim sacrificium aptitudinem ad hos effectus infinitos habet, ut vidimus, nihilque impedit, quominus hujusmodi effectus producat.<sup>2)</sup>

b) *Relate ad homines*, ut est propitiatorium et impetratorium, certo effectus seu fructus *intensive finitos* i. e. ad certum gradum restrictos in hominibus, pro quibus offertur, causat ob finitam capacitatem hominum; nulla siquidem creatura bonorum infinitorum capax existit. Major autem vel minor erit fructus, prout capacitas seu dispositio illius, cui applicatur, major vel minor reperitur.

An vero sacrificium habet effectum seu fructum *extensive infinitum* i. e. comparate ad numerum eorum, quibus fructus applicatur, non restrictum, ita ut non minuatur propter multitudinem eorum, pro quibus sacrificium offertur? In hujus quaestionis solutione distingui debent fructus generales et speciales.

<sup>1)</sup> Seu, ut s. Alphonsus Lib. VI. n. 312 loquitur, potest hoc sacrificium infinitos effectus producere et juvare infinitos homines.

<sup>2)</sup> Ad rem s. Alphonsus: „*Tantum Deus per Missam honoratur, quantum honoris meretur. Etenim in ea idem, quem ipse dedit Christus in cruce se offerendo, honor renovatur. Unde sola*

*Missae plus Deo praebet honoris, quam ei dederunt et dabunt omnes Sanctorum orationes et poenitentiae, omnes Apostolorum labores, omnia Martyrum tormenta, omnes Seraphinorum, ipsiusque divince Matris Mariae ardores. — Jesum Deo in Missa offerendo (etiam) maximas Deo referimus gratias et debitum nostrum adimplemus.*“

1. Quoad fructus *generales* communis et certa est doctrina, eos esse extensive infinitos seu indefinitos, adeo ut omnes Missae assistentes vel cooperantes, omnes omnino fideles capaces, vivi et defuncti, quancumque sint, fructum participant ex opere operato sine diminutione ob multitudinem participantium. Ratio est, quia sacrificium Missae, cum sit infiniti valoris, prodesse potest hominibus innumeris in infinitum, quin fructus unquam diminuatur vel exhauriantur. Alias crescente Ecclesia decresceret efficacia sacrificii, et quo plures Missae assisterent, eo minus singuli de fructu illius participarent: quae omnia absurda maxime, fidelium persuasioni contraria, ipsique sacrificii dignitati injuriosa sunt.

2. Quoad fructus *speciales* duplex exstat sententia. a) Alii tenent, fructum Missae specialem ad certum gradum esse restrictum, ita ut pluribus applicatus minus singulis prosit. Ratio eorum potissima est, quia licet Missa in se et quoad sufficientiam sit infiniti valoris, tamen effectus est limitatus et restrictus in certa quantitate ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut ex opere operato (independenter ab hominum dispositione) determinatum produceret effectum.<sup>1)</sup> b) Alii vero cum s. Alphonso<sup>2)</sup> docent, fructum specialem non esse arcte limitatum, adeoque si Missa (per intentionem specialem) offeratur pro pluribus (e. g. pro 10, 100), singulos tantum percipere fructum, quantum perciperet unicus, pro quo solo offerretur. Ratio est valor infinitus sacrificii, et ostendi nequit, a Christo factam esse restrictionem illam, quam auctores primae sententiae supponunt. Nefas autem est, plura recipere stipendia pro una Missa; id enim Ecclesiae decretis sapienter est interdictum, v. infra §. 22 n. 3.

*Sententia s. Alphonsi est favorabilior fidelibus et bonitatem Christi magis commendat, quam sententia opposita; quod ex sequenti praesertim consideratione patet: a) pauperes, qui stipendium dare ne-*

<sup>1)</sup> Inter hujus sententiae defensores Isambert (In 3. q. 83. dist. 7. a. 12) alique concedunt, sacrificium Missae, ut *impetratorium*, tantum prodesse multis quam uni, sed ut *satisfactorium*, pro pluribus speciatim oblatum, minus singulis prodesse, quam si pro uno tantum offerretur, arbitrantur. Sed haec distinctio funda-

mento solido destitui videtur. Adhuc istius sententiae fautores concedunt, diversos sacrificii fructus, nempe *la-treuticum, eucharisticum, satisfactorium* et *impetratorium* valide a celebrante dividi et diversis applicari posse.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 312, qui hanc sententiam vocat communissimam.

queunt pro fructibus specialibus Missae sibi comparandis, saltem per applicationem pro populo diebus dominicis et festis fructum specialem cum ceteris parochianis percipiunt, ex sententia s. Alphonsi *singuli tantum, quantum perciperet unus*, si pro hoc solo applicaretur; ex opposita sententia vero singuli tantum partem fructus specialis inter omnes parochianos dividendi; — b) ex doctrina s. Alphonsi *parochiani*, quibus Missa a paroco applicatur, *fructum non minorem participant, si plures sint, quam si sint pauciores*; at vero ex opposita sententia sequitur, quod applicatio pro populo fidelibus in parochia ampliori minus prodest, quam fidelibus in parochia angustiori, et quod crescente continuo populo in parochiis, etiam continuo decrescit pro singulis parochianis sacrificii fructus; — quae nescio quis velit approbare.

### §. 13.

#### Minister sacrificii eucharistici.

1. — Ex doctrina Ecclesiae haec sunt tenenda:

1. Christus Dominus est *principalis offerens*. *Idem nunc offerens*, — *qui se ipsum tunc in cruce obtulit*, docet Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2, et semper tenuit Ecclesia catholica. <sup>1)</sup> Offerit autem Christus seipsum, quatenus principaliter per sacerdotem consecrat, seque constituit in statu cibi et potus tamquam victimam, consumendam per sumpcionem sacerdotis celebrantis, in contestationem supremi dominii Dei, atque totam efficaciam sacrificio impertit. Conf. §. 10 n. 3.

2. Minus principalis, attamen *vere et proprie offerens* est sacerdos rite ordinatus, tamquam minister Christi. Etenim a Christo habet potestatem offerendi Corpus et Sanguinem ejus, ex definitione Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1 et can. 1.

3. Universa etiam Ecclesia militans ac visibilis, id est, omnes fideles conjuncti et subordinati pastoribus et sub uno supremo pastore visibili, vicario Christi, constituentes unum corpus Christi mysticum, unam sponsam, offerunt sacrificium Missae, attamen *improprie* tantum et *mediate*, per suos sacerdotes tamquam ministros, legatos et mediatores constitutos inter Deum et homines. „Sacerdos actione sua, fideles per ejus actionem offerunt“, dicit

---

<sup>1)</sup> Vid. Bellarmin: De Missa Lib. I. cap. 6. Petavius: De Incarnat. Lib. XII. cap. 11 et seq.

Benedictus XIV.<sup>1)</sup> Idemque ex liturgia sacra perspicitur: „*Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat.*“ Porro: „*Memento omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium etc.*“ Rursus: „*Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae etc.*“ Deinde post consecrationem: „*Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, . offerimus etc.*“

Consequenter qui non sunt *membra Ecclesiae catholicae*, nempe infideles, haeretici, schismatici, excommunicati, — vel non sunt *membra Ecclesia militantis*, videlicet Angeli et Sancti in coelis atque animae purgatorii, non pertinent ad offerentes hoc ss. sacrificium.<sup>2)</sup>

2. — Fideles (per sacerdotes) sacrificium offerunt dupliciter: 1. *modo generali*, ut sunt membra Ecclesiae, cujus nomine sacerdos illud offert; quo sensu etiam absentes offerre censentur; potius autem ad offerentes pertinent, qui Missae devote assistunt vel sacerdoti celebranti inserviunt, nec non ii, qui cum corporaliter Missae interesse nequeant, mente se conjungunt sacerdoti Missam celebranti. 2. *Modo speciali*, in quantum speciali concursu ad sacrificii oblationem cooperantur, illud petendo vel procurando per stipendii donationem. — Porro omnes fideles, quatenus sunt offerentes, participant de fructibus sacrificii eucharistici, pro modo, quo ad illud concurrunt, v. §. 11 n. 3.

Possunt fideles assistentes fructus Sacrificii etiam aliis utiliter applicare, quum sacrificium sit alteri applicabile ab offerente, et expresse sacerdos oret: „*Memento ... omnium circumstantium, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus etc.*“

## §. 14.

### Expositio caeremoniarum Missae.

#### Divisio.

In ritibus et caeremoniis, quibus Ecclesia in Missae celebratione utitur, res altissimae latent, quas accurate nosse sacerdoti plurimum proderit, ut sacrosanctum altaris sacrificium omni, qua opus est, pietate, reverentia ac devotione celebret.

<sup>1)</sup> De ss. Missae Sacrif. Lib. II. cap. 13 n. 12. Pulchre s. Bona Ventura: „*Deus (in Missa) mittit filium suum Christum in altare; et iterum*

*mittit Ecclesia eundem Christum ad Patrem, ut pro peccatoribus intercedat.*“ Expos. Missae cap. 2.

<sup>2)</sup> La Croix: Lib. VI. P. 2. n. 23.

Cumque in Missa offeratur verum et proprium sacrificium, quo simul cruentum sacrificium crucis incruente repraesentatur: ideo caeremoniae et ritus Missae duplici modo considerari possunt et debent: 1<sup>mo</sup> quatenus Missae sacrificium est repraesentatio sacrificii crucis, et 2<sup>do</sup> quatenus idem est verum et proprium sacrificium, in quo salutaris virtus sacrificii a Christo Domino in cruce peracti nobis copiosissime applicatur.

Et secundum hanc duplicem distinctionem modo ritus et caeremonias Missae explicabimus.

### §. 15.

#### **Explicatio Missae, quatenus in ea repraesentatur sacrificium crucis.**

1. — Christus patiendo et moriendo in cruce sacrificium pro redemptione generis humani consummavit. Passio et mors Domini est centrum totius oeconomiae divinae et salutis humanae, et ut tale etiam in Missa consideratur et repraesentatur. Videlicet primum innuitur praeparatio redemptionis et salutis nostrae, antequam Christus advenisset; deinde incarnatio commemoratur, qua Christus (secundum humanam naturam) est destinatus et institutus ad opus redemptionis peragendum (Hebr. 10, 5 et seq.), porro tota ipsius vita passionem et mortem in cruce antecedens pie recolitur; posthac vero passio et mors Salvatoris nostri divini fere in medio liturgiae tamquam res principalis et centralis mystice repraesentatur; sed et resurrectio et ascensio Christi, quibus mysterium passionis gloriosa victoria splendidoque triumpho est coronatum, manifeste memoratur; nec non iterum venturus cum gloria ad suos quoque glorificandos haud dubie praesignatur. Seu aliis verbis: sistitur in Missa Christus — Patribus promissus et ab eis desideratus, — nobis datus, nobis natus, — pro nobis in mundo conversatus, — passus, crucifixus et mortuus, — resurrectione et ascensione glorificatus, et iterum venturus ad suos glorificandos. Hoc modo ritus Missae veluti compendio quodam exhibent praecipua caritatis beneficia a Christo nobis praestita, eum in finem, ut illa recolentes piis gratitudinis et amoris, reverentiae et devotionis, contritionis et fiducia affectibus inter sacra accendamus, atque simul ad Christi imitationem, praeprimis patiendo cum illo et spiritualiter moriendo, efficaciter incitemur, juxta Ecclesiae monitum: „*Imitamini, quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium*

*celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis.*“ (In ordinatione Presbyteri.)

### I. Christus a Patribus desideratus.

2. — Sic ab *initio Missae usque ad Introitum* inclusive significatur. Etenim, dum in Psalmo „*Judica*“, in Confessione generali et in versiculis: *Deus, tu conversus etc., Ostende nobis Domine etc.*, exhibetur homo exul, ab inimicis afflictus, culpis constrictus, qui Dei misericordiam, veritatem et gratiam, enixe desiderat: nonne in eo apte signantur Patres, sub acerbis peccati miseriis gementes, propitiationem et redemptionem per Messiam promissum vehementer desiderantes? Item per Introitum, qui plerumque ex V. T. est compositus, clamores veterum Patrum Messiae adventum expectantium in memoriam revocantur;<sup>1)</sup> similiterque per Antiphonae repetitionem frequentes illorum clamores designantur.<sup>2)</sup>

Legitur Introitus in sinistro cornu altaris, in quo significantur Judaei, sicuti in dextero gentiles, quia ex populo Judaeorum Christus carnem assumpsit.<sup>3)</sup>

### II. Christus — nobis datus, nobis natus.

3. — Tempus miserendi et salvandi homines advenit incarnatione Verbi, ideoque introitum excipit invocatio *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, quasi Ecclesia dicat: Sancte Pater, qui filium tuum misisti, ut ex Virgine Maria nasceretur, miserere nobis; Christe, Fili Dei, qui ex Maria Virgine incarnari dignatus es, miserere nobis; Sancte Spiritus, qui Mariam Virginem tua gratia implevisti, quando Christum concepit, miserere nobis.<sup>4)</sup> Nativitatem Domini Angelicus Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, nobis in memoriam vivide revocat.

Cumque Christus jam infans totus fuerit in precibus pro genere nostro ad Patrem in coelis fundendis, Hymnum Angelicum convenienter sequitur Oratio seu Collecta.

### III. Christus — in mundo conversatus, passus, sparso verbi semine.

4. — Quae sequuntur usque ad Evangelium exclusive, designant praedicationem s. Joannis B. et vitam absconditam Christi.

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De ss. Missae sacrificio Lib. II. cap. 4 cum aliis.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura: Expositio Missae cap. 2.

<sup>3)</sup> S. Bonaventura: op. c. cap. 2.

<sup>4)</sup> Idem l. c.



Legitur Epistola ante Evangelium, ut indicetur munus praecursoris Christi, qui venit parare vias ejus.<sup>1)</sup> — Modo legitur de antiquo, modo de novo Testamento, quia Joannes ad utrumque spectat.<sup>2)</sup> — Legitur in cornu sinistro altaris, quia Judaei primi vocati sunt ad Evangelium.<sup>3)</sup>

*Graduale* laboris dolorisque signum est: multi per Joannis praedicationem conversi sunt ad poenitentiam.

*Alleluja* signum est consolationis et jubilationis: gaudebant discipuli in conversatione cum Christo.

*Tractus* exprimit poenitentiae moerorem; *Sequentia* ejusdem rationis sunt cum Alleluja.<sup>4)</sup>

5. — Succedit lectio *Evangelii*, qua praedicatio Christi significatur.<sup>5)</sup> — Transfertur Missale a cornu sinistro ad dexterum altaris, ut indicetur, verbum salutis, quod Judaei respuerunt, missum esse ad gentes; quemadmodum translatio Missalis in fine Missae ad cornu Epistolae innuit, quod Judaei in fine mundi ad fidem convertentur.<sup>6)</sup>

Missale, dum Evangelium legitur, oblique versus altaris angulum positum est, ut significetur Evangelium praedicandum esse omnibus gentibus. Evangelium incipitur per verba: *In illo tempore*, nempe quo Christus vivebat in terra vel praedicabat, nisi initium Evangelii exprimat tempus, quo narrata evenerunt.

Et quia multi praedicationi Christi et Apostolorum crederent, Evangelicae lectioni subsequitur *Symbolum* fidei, in quo manifesta est fidei professio et doctrinae sequela.<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> Innocentius III.: De mysteriis Missae Lib. II. c. 29. Benedictus XIV.: De ss. Missae sacrificio Lib. II. c. 5 n. 11.

<sup>2)</sup> Innocentius III. op. c. Lib. II. c. 29.

<sup>3)</sup> Benedictus XIV.: op. c. Lib. II. c. 6 n. 6.

<sup>4)</sup> Innocentius III.: op. c. Lib. II. c. 31. Finita Epistola Subdiaconus manum osculatur celebrantis sacerdotis, quia Joannes ad Christum discipulos destinavit; et sicut Christus laudavit Joannem, ita sacerdos benedicit Subdiacono. Rupertus: De divinis officiis Lib. I. cap. 32.

<sup>5)</sup> Quoniam autem Jesus misit

Apostolos etiam tunc temporis, praedicare regnum Dei, ideo celebrans sacerdos dat benedictionem Diacono Evangelium lecturo. Innoc. III. op. c. Lib. II. c. 35.

<sup>6)</sup> Innoc. III. Lib. II. c. 34. Benedict. XIV.: De ss. Missae sacrific. Lib. II. c. 6 n. 6; s. Alph. et alii.

<sup>7)</sup> Sub verbis: *Et incarnatus est . . . homo factus est sacerdos genuflectit*, „in repraesentationem ac venerationem illius eximiae humilitatis, qua humiliavit et exinanivit se ipsum Filius Dei, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo.“ Bened. XIV.: op. c. L. II. c. 8 n. 15.

6. — Cum vero Lazaro resuscitato multi in Christum crediderint, pontifices et Pharisei collegerunt consilium et cogitarunt, ut interficerent eum. Jesus autem non palam ambulabat apud Judaeos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis (Joan. 11), et secreto docebat, orabat et Patri suo ad instantem passionem et mortem se offerebat. Haec significantur per ea, quae *Offertorii* nomine in Missa fiunt. Scilicet latibulum Christi eo notatur, quod submissa voce offertorium dicitur.<sup>1)</sup> Quod Christus voluntarie se obtulit Patri ad mortem, quam pontifices et Pharisei moliebantur, pro nobis sustinendam, designatur per oblationem panis et vini tamquam mox consecrandi (unde dicitur *hostia immaculata, calix salutaris*), et per depositionem patenae cum hostia et calicis in forma crucis. Rursus mortem Christi instantem exprimunt signa crucis, quae supra oblata fiunt. Miscetur aqua vino in calice offerendo, ut ob oculos ponatur, quod e latere Christi aqua simul cum sanguine exierit.<sup>2)</sup>

7. — *Praefatio* quid aliud significat, nisi triumphum Christi in die Palmarum, quo turbae discipulorum gaudio exsultantes et Angelis concinentes laudabant Dominum: *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (Patris sui, Joan. 5, 43): *Hosanna in excelsis*.<sup>3)</sup>

8. — In eis, quae ab initio Canonis usque ad Consecrationem sequuntur, latet historia a die Palmarum usque ad crucifixionem Christi. Oravit divinus Redemptor proxime ante passionem, sublevatis oculis in coelum, ad Patrem pro Ecclesia sua, nempe pro discipulis et eis, qui per ipsum essent credituri, et oravit, ut in hoc mundo *serventur a malo, et omnes sint unum*, atque in futura vita *sint cum ipso in gloria coelesti* Joan. 17; similiter et plane ad ipsius exemplum sacerdos orat initio Canonis, elevatis pariter oculis, pro Ecclesia catholica, ut clementissimus Pater eam *custodire, adunare* (unire) et *regere* dignetur, orat specialiter pro Summo Pontifice, centro unitatis („unitas enim sacerdotalis a Petri cathedra exorta est“, ut s. Cyprianus dicit), pro episcopo, a quo et cum quo unitas foveri debet, orat pro omnibus fidelibus, ut a Deo protegi et aeterna gloria perfrui mereantur. Tria signa crucis, quae for-

<sup>1)</sup> S. Bonaventura: Expositio Missae c. 3. Innocentius III.: De myster. Missae Lib. II. c. 54.

<sup>2)</sup> Conc. Trid. Sess. 22. cap. 7.

<sup>3)</sup> Innocentius III. op. c. Lib. II. c. 61.

mantur ad verba: *haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata*, significant, quod Christus a Deo Patre pro nobis traditus est Rom. 8, 32, quod Christus semetipsum pro nobis tradidit Isai. 53, 12, et quod Judas eum manibus inimicorum tradidit.<sup>1)</sup> Quinque crucis signa, quae fiunt ad verba: *benedictam, adscriptam* etc. in mentem vocare possunt diversas passiones, quas Christus usque ad crucem pertulit: irrisiones apud pontifices, Pilatum et Herodem, flagellationem et coronationem cum spinis.<sup>2)</sup> Totus Canon recitatur secreto, ut indicetur, quod Christus false accusatus nihil dicebat; sed sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum. Isai. 53, 7.<sup>3)</sup>

#### IV. Christus — crucifixus et mortuus, resurrectione et ascensione glorificatus, iterum venturus ad suos glorificandos.

9. — Passionem Domini cruentam in cruce per separatam panis et vini consecrationem mystice repraesentari, neminem latet, v. §. 10 n. 4. *Elevatio hostiae et calicis* innuit Christum in cruce exaltatum. *Fractio hostiae* (praeter alia infra explicanda) mystice significat, Christum in cruce pependisse flagellis in toto corpore scissum,<sup>4)</sup> viribus fractum, *attritum propter scelera nostra* Isai. 53, 5. *Pater noster* orationem Christi in cruce pendentis significat. Dum dicitur: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, mentibus nostris observatur Christus, qui summa mansuetudine pertulit passionem ad satisfaciendum Patri pro peccatis mundi. Fiunt repetitis vicibus signa crucis super hostiam et calicem ad commemorandam virtutem crucis et modum passionis Christi.<sup>5)</sup> In specie, *quinque crucis* signa fiunt in memoriam quinque vulnerum, quibus Christus erat transfixus. *Tria* signa crucis designare possunt extensionem corporis et effusionem sanguinis et fructus passionis,<sup>6)</sup> vel passiones, quas Christus in anima, in corpore et in honore sustinuit, vel tres horas, quibus Christus a sexta usque ad nonam pependit

<sup>1)</sup> Ita s. Bonaventura: Expos. Missae cap. 4.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura l. c. censet, per illa signa indicari, quod Christus in quinque sensibus passus est. S. Thomas 3. q. 83 a. 5 ad 3 dicit, ad designandum, quod Christus venditus est sacerdotibus, scribis et Pharisaeis, fieri trinam crucem; et ad designandam personam Judae vendi-

toris et Christi venditi, duplicem crucem addi.

<sup>3)</sup> S. Bonaventura: op cit. cap. 4.

<sup>4)</sup> S. Thomas: „Fractio hostiae primo quidem significat ipsam divisionem corporis Christi, quae facta est in passione.“ 3. q. 83 a. 5 ad 7.

<sup>5)</sup> Idem 3. q. 83 a. 5 c.

<sup>6)</sup> Idem l. c.

in cruce.<sup>1)</sup> Nil Ecclesia praetermittit, quo in animis imprimat sacerdotum et adstantium, idem esse sacrificium altaris cum sacrificio crucis; atque ideo vult, ut omne verbum, quod exprimat corpus et sanguinem Domini, cum signo crucis proferatur. Utinam praesertim sacerdotes post consecrationem animo sibi objicerent Jesum immolatum in cruce! Ita Benedictus XIV.<sup>2)</sup>

10. — Mors Christi mystice repraesentatur communionem sacerdotis, juxta Apostoli verba: „*Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*“ 1 Cor. 11, 26. Vid. §. 10 n. 3.<sup>3)</sup>

11. — Resurrectio et ascensio Domini eo ipso commemoratur, quod Christus sub speciebus panis et vini praesens est immortalis et gloriosus, prouti est post resurrectionem et ascensionem; ideoque in oratione post Consecrationem dicitur, Missae sacrificium offerri in memoriam passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis Domini nostri Jesu Christi. Nihilominus tamen Antiphona, quae dicitur *Communio*, laetitiae symbolum, potest significare gaudium discipulorum viso Domino post ipsius resurrectionem;<sup>4)</sup> sicut repetita salutatio *Dominus vobiscum* innuit salutationem Christi Apostolis post resurrectionem apparentis: *Pax vobis*. Et dum sacerdos dicit: *Ite Missa est*, et populum *benedicit*, in mentem revocatur, quod Christus ascensurus Apostolos *remisit* Jerosolymam, ut manerent ibi et exspectarent Spiritum sanctum, et quod dein elevatis manibus *benedixit* eis, et ascendit in coelum; nec non praesignatur, quod iterum venturus est judicare vivos et mortuos, „et se nobis ostendet, et fidelibus suis dabit benedictionem suam dicens: *Venite, benedicti Patris mei*, et tunc laeti vadent in mansiones suas, de quibus dicitur: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*. Ad quas mansiones nos perducatur ipse Pontifex et Sacerdos, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.“<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Vid. d Thom. 3. q. 83 a. 5. ad 3. S. Bonav. Exp. Missae c. 4.

<sup>2)</sup> De ss. Missae sacrificio Lib. II cap. 16.

<sup>3)</sup> Arnoldi S. J.: De imitatione ss. Cordis Jesu Lib. IV. cap. 13 inducit Christum sic loquentem: „*Sed et in unaquaque anima, quae sanctissimum participat Sacramentum, mortis meae repraesentatio aliqua fit et comme-*

*moratio. Sicut enim per passionem in strato crucis amisi vitam mortalem, ita sacramentalem vitam amitto in corde fidelium per Communionem.*“

<sup>4)</sup> Innoc. III. De myst. Miss. Lib. VI. c. 10, vel ut s. Bonaventura op. c. c. 4 asserit, quod discipuli gaudium resurrectionis Domini mutuo sibi nuntiaverunt.

<sup>5)</sup> S. Bonaventura op. c. cap. 4.

## §. 16.

**Explicatio Missae, quatenus in ea sacrificium verum et proprium offertur.**

1. — Ritus et caeremoniae huc spectantes referuntur partim ad *Christum*, quatenus est victima incruenta et offerens principalis, partim ad *materiam sacrificii*, panem et vinum, partim ad *sacerdotem*, qui est offerens secundarius, partim ad *Ecclesiam*, a qua et pro qua per sacerdotem sacrificium offertur; porro ad id tendunt, ut sacrificii hujus majestas et salutaris virtus magis eluceat et commendetur ad sacrum hoc mysterium digne reverenterque offerendum ac percipiendum.

Ut jam hi ritus convenienter exponantur, *tres* principales Missae partes necesse est distinguere, nempe 1. praeparationem sacerdotis populi ad celebrationem sacri mysterii, dein 2. celebrationem ipsam mysterii, quod praecipue consecratione et communione peragitur; 3. denique gratiarum actionem celebratione illius completa.

## 1. Praeparatio ministri populi ad sacri mysterii celebrationem.

2. -- Haec pars Missae ab initio usque ad Canonem percurrit totaque in eo est, ut sacerdos cum populo adstante per spiritualem purgationem, illuminationem et unionem cum Christo dignus existat tanto mysterio celebrando, fructibusque uberrimis exinde colligendis atque in totam Ecclesiam diffundendis.

3. — A. *Purgatio* fit, cum ad altare accedentes humili miseriae et peccatorum confessione, sanctis propositis, fiducialibus et instantibus precibus ad Deum directis, Sanctorumque simul suffragiis imploratis, nos rite disponere satagimus, ut „ad altare Dei“, „ad sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire per Chr. Dom. nostrum“, et obsecrata sanctissima Trinitate, ut misereatur nostri, illico Christum nobis datum, nobis natum, quasi pignus misericordiae certissime consequendae celebamus.

4. — B. *Illuminatio* intenditur per doctrinam Prophetarum et Apostolorum in Epistola, tamquam lucem a Christo communicatam, — per verba et facta Christi in Evangelio, tamquam solem suo lumine totum mundum collustrantem,<sup>1)</sup> — denique per fidei

<sup>1)</sup> S. Thomas: „Praemittitur instructio fidelis populi, quia hoc Sacramentum est mysterium fidei: quae quidem instructio dispositive fit per

doctrinam Prophetarum et Apost., . perfecte per doctrinam Christi in Evangelio contentam.“ 3. q. 83 a. 4 c.

professionem in Symbolo ; haec enim omnia, dum fidem pietatemque excitant et augent, „sensus et corda illuminant“ seu efficiunt, ut crescat in mentibus lumen fidei, in cordibus splendor virtutum. Ideoque *Graduale* apte innuit profectum in virtutibus faciendum ;<sup>1)</sup> *Tractus* gemitum de defectibus commissis ; *Alleluja* designat gaudia regni coelestis, ad quae eundo de virtute in virtutem pervenimus.<sup>2)</sup> Haec enim consequi debent in populo ex praedicta doctrina. Populus stans audit Evangelium, et signo crucis in fronte, ore et pectore se signat, ut paratum se ostendat ad Christum sequendum, ejusque doctrinam libere et candide profitendam.

Praemittitur autem lectionibus salutatio *Dominus vobiscum*, in signum communionis et pacis, qua clerus et populus Christo junguntur,<sup>3)</sup> et recitatur *Oratio*, quae *Collecta* etiam appellatur, vel quia sacerdos, qui veluti mediator est inter Deum et hominem, vota omnium colligit ; vel quia brevis est oratio, quam sacerdos recitat super populum congregatum ; vel quia omnes collectis in se animis cum sacerdote orare debent.<sup>4)</sup>

5. — C. *Unio* cleri populi cum Christo pulcherrime designatur per oblationem, quae in Offertorio fit. Etenim advertendum a) quod sacerdos offert panem et vinum non in se spectatum, sed ut mox consecrandum,<sup>5)</sup> quapropter dicit: *Suscipe S. Pater — hanc immaculatam hostiam*, in quam panis hic est convertendus — *Offerimus calicem salutaris*, in quem hic calix est redigendus ; et alioquin *panis significat corpus Christi*, quod in cruce fuit instar frumenti conculcati et igne decocti in panem ; atque *vinum significat sanguinem Christi*, qui effusus est instar vini in torculari expressi. Advertendum b) quod sacerdos et populus etiam semetipsos, tamquam mysticum Christi corpus in rebus oblatis figuratum, Deo offerunt ; siquidem per *panem*, qui multis granis per aquam conficitur, significatur, quod multi fideles per aquae baptismum cum Christo conjuncti unum corpus Christi mysticum efficiunt ;<sup>6)</sup> atque *mixtione aquae et vini* in calice repraesentatur populi fidelis cum Christo capite unio, ut Conc. Trid. Sess. 22. cap. 7 docet. Sacerdos benedicit aquam, quae significat populum, non vinum,

<sup>1)</sup> S. Thomas : l. c.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura : Exp. Mis-  
sae cap. 2.

<sup>3)</sup> Benedictus XIV. : De ss. Mis-  
sae sacrif. Lib. II. c. 5 n. 1.

<sup>4)</sup> Idem l. c.

<sup>5)</sup> Idem Lib. II. c. 10 n. 2 et n. 18,  
s. Alph. et alii.

<sup>6)</sup> S. Bonaventura l. c.

quod Christum significat.<sup>1)</sup> Itaque sacerdos offerens *panem et vinum* implicite et quasi anticipando offert *ipsum corpus et sanguinem Christi*, et simul offert *semetipsum omnesque Christi fideles* per gratiam et gloriam in similitudinem Christi transformandos. Ideo etiam immiscens aquam vino precatur: „*da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes* (per gratiam et gloriam). Et rursus, cum Deus non respiciat nisi contritos et humiles corde, prosequitur: *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur* (nos, sacerdos et populus fidelis, qui nosmetipsos Tibi offerimus) *a Te Domine etc.* Atque fiducia erectus Spiritum Sanctum, a quo omnis descendit sanctificatio, invocat: *Veni sanctificator, omnipotens aeternae Deus, et benedic hoc sacrificium* (panem et vinum, clerum et populum) *Tuo nomini praeparatum* (panem et vinum ad transsubstantiationem in corpus et sanguinem Christi, clerum et populum ad transformationem in similitudinem Christi).

Dein post ablutionem manuum, qua designatur perfecta emundatio a peccatis etiam minimis,<sup>2)</sup> et recitato Psalmo 25, in quo exprimuntur virtutes praecipue requisitae ad digne celebranda sacra mysteria, sacerdos fiducia et humilitate pari ductus iterum ss. Trinitatem exorat, ut „*hanc oblationem*“ (panis et vini, nec non mystici corporis Christi) suscipiat.

Sed imbecillitatis suae conscius ad circumstantium suffragia confugit dicens: *Orate fratres etc.* Et ipse, qui alios ad orandum monuit, secreto quoque orat, ut sacrificium jam praeparatum a Deo acceptetur.

6. — Jam instat sanctissima actio, per quam Christus ad dexteram Patris sedens ceu victimam incruentam se sistet in altari: quocirca sacerdos et adstantes fideles „*sursum corda*“ erigunt ad Dominum, et nihil terrenum et humile, sed coelestia et sublimia tantum cogitantes, totique Deo intenti in *Praefatione* (seu prologio ad ss. actionis mysterium) Angelorum choris consociantur, et cum ipsis Dei laudes persolvunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus etc.* atque Christum mox ad altare venientem magnificent: *Benedictus, qui venit in nomine Domini; Hosanna in excelsis.*

<sup>1)</sup> Sicut in fine Missae defunctorum non benedicatur populus, ita nec aqua, quae eundem populum signi-

ficat. *Benedictus XIV.* op. c. Lib. II. cap. 10 n. 11.

<sup>2)</sup> *S. Thomas*: 3. q. 83 a. 5 ad 1.

## II. Sacri mysterii celebratio.

### A. De iis, quae ad consecrationem referuntur.

7. — Haec habentur in *Canone*, quae est veluti firma regula perficiendi sacrificium.<sup>1)</sup>

Canon intime cohaeret cum Praefatione, quod indicatur per verba: *Te igitur*, quasi sacerdos in persona Ecclesiae dicat: Quia admisisti, clementissime Pater, ut te cum Angelis laudaremus, fiducialiter jam accedimus ad thronum divinae Majestatis Tuae.<sup>2)</sup>

Sacerdos commemorat I<sup>mo</sup> res oblatas, *haec dona*, a Deo nobis data, *haec munera*, a nobis ipsi oblata, *haec sancta sacrificia illibata*, vi consecrationis futurae; quae petit, ut Deus accepta habeat et benedicat; — commemorat II<sup>do</sup> eos, pro quibus sacrificium offertur, nempe *Ecclesiam cath.* cum Papa etc., omnes *orthodoxos, atque catholicae et apostolicae fidei cultores* i. e. praedicatores, fidei defensores, Ecclesiae praesules et eorum subditos,<sup>3)</sup> specialiter eos qui offerunt, vel pro quibus offertur hoc sacrificium laudis, *pro redemptione animarum suarum* a culpa et poena, *pro spe salutis aeternae et incolunitatis suae* corporalis, Deoque *reddunt vota sua*, desideria, postulationes; — commemorat III<sup>tio</sup> gloriosam semper Virginem Mariam et Sanctos, quorum suffragia implorat ad ea impetranda, quae petit.

Sanctorum „igitur“ meritis suffultus atque precibus, rursus orat, ut Deus *hanc oblationem* — *placatus accipiat*, manusque extensas tenet super oblata, in corpus et sanguinem Christi mox convertenda: quo ritu se et populum cum Christo Deo offert, ut hujus sacrificii virtute impetret a Deo *pacem* in terris, *vitam aeternam* in coelis.<sup>4)</sup>

Et prosequitur: „*Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationalibem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*“ Sub hac oblatione non solum panis et

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: „Canon idem valet ac regula; ea voce utitur Ecclesia, ut significet, Canonem Missae esse firmam regulam, juxta quam N. T. sacrificium est celebrandum. Canonem s. Gregorius *Precem*, Vigilii *Textum Canonicae Precis*, s. Cyprianus *Orationem*, Walafridus et alii *Actionem*

appellant, quod in eo Sacramenta Domini conficiantur.“ De sacros. Missae Sacrif. Lib. II. c. 12 n. 1.

<sup>2)</sup> Ita s. Bonaventura: Expos. Missae c. 4.

<sup>3)</sup> Idem l. c.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV. op. c. Lib. II. c. 14 n. 5.



vinum, sed Ecclesia ipsa in his significata intelligitur.<sup>1)</sup> Hinc 1. sacerdos nomine Ecclesiae orat, ut panis et vinum convertantur in corpus et sanguinem Christi; qua transsubstantiatione oblatio fit *benedicta*, quia Christus est victima a Patre sanctificata et benedicta, *adscripta*, quia Christus est victima divinae Majestati penitus devota et addicta, *rata*, quia ipse est victima a Patre tamquam perfecta adprobata, *rationabilis et acceptabilis*, quia ipse est aeterna ratio et Deo Patri infinite placens, ad differentiam victimarum irrationalium, per se Deo non placentium, quae in antiqua lege offerebantur. — 2. Sacerdos orat, ut nos ipsi in omnibus simus *benedicti* gratiis divinis, *adscripti* numero electorum in libro vitae (Apoc. 13, 8; 17, 8) *rati*, firmi et stabiles in Dei servitio, *rationabiles*, corpus et passiones rationi, rationem Deo subdendo (Rom. 12, 1) et *acceptabiles*, digni ut in vitam aeternam acceptemur; *ut nobis corpus et sanguis fiat — Domini nostri J. Christi*, scilicet ut consecratio et oblatio nobis fiat fructuosa.<sup>2)</sup>

8. — Nunc sacerdos adgreditur ipsum sanctissimum mysterium tractandum, quo Christus incruente se immolat, qui in cruce se ipsum cruce obtulit, multipliciter hactenus praesignatum. Succedit enim *Consecratio*. Ideo sacerdos quasi personam mutat, et Christum repraesentans iisdem verbis, quibus Christus in ultima coena usus est, in consecrando pane et vino utitur.

Ad implendum mandatum Christi: „*Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*“ (cum dicit „*Unde et memores*“) sacerdos etiam nomine Ecclesiae<sup>3)</sup> offert hoc sacrificium divinae Majestati.

Et quum haec oblatio, quamvis *in se* Deo Patri maxime sit accepta, tamen *ex parte sacerdotis vel populi* non possit esse accepta: ideo sacerdos Deum orat, ut supra hanc hostiam, prouti a ministro et populo offertur, *vultu propitio*, peccata remittendo, *et sereno*, gratias suas elargiendo, respicere dignetur; uti olim supra munera Abel, Abraham et Melchisedech, quae sacrificium altaris adumbrarunt et a Deo praecipue accepta habita sunt.<sup>4)</sup>

Et illico hanc mirae profunditatis Orationem subjungit: „*Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus*

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: Lib. II. c. 15 n. 1

<sup>3)</sup> Benedictus XIV. op. c. Lib. II. c. 16 n. 1.

<sup>2)</sup> S. Thomas: 3. q. 83 a. 4 ad 7. S. Bonaventura op. c. cap. 4. Benedict. XIV. op. c. Lib. II. c. 15. n. 1 et 2.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV. op. c. Lib. II. c. 16 n. 10—21.

s. *Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae* —. Quibus verbis humillime precatur, ut *Angelus* assistens divinis mysteriis, vel (quod valde probabilius est) Christus ipse, qui in s. Script. dicitur magni consilii Angelus, sacrificium Corporis et Sanguinis *perferat*, non elevando, sed interpellando, *in sublime altare* i. e. in ipsum coelum, *in conspectu divinae majestatis*, nempe ut illud sacrificium Deo Patri offerat et repraesentet; vel secundum alios, ut Christus vota sua et supplicationes sacerdotis populi que Patri repraesentet, pro Ecclesia interpellet; vel adhuc ut Christus corpus suum mysticum, Ecclesiam inquam, quae in hoc Sacramento significatur, cum Deo Patre et Ecclesia triumphante jungat.<sup>1)</sup> Quid vero prohibet, quin multiplex ille sensus, facile compossibilis, praefatis verbis inesse et vere intentus esse dicatur? Igitur sacerdos orat a) ut Jesus Christus corpus suum et sanguinem repraesentet Deo Patri pro salute nostra, b) ut supplicationes Ecclesiae simul Deo Patri offerat, et gratiam referat, c) ut ipsam Ecclesiam suam peregrinantem cum Deo Patre et Ecclesia triumphante consociet et jungat. Ecce, quomodo ima summis sociantur, terrena coelestibus junguntur, unumque ex visibilibus et invisibilibus fit.<sup>2)</sup>

9. — Amplius, quemadmodum sacerdos Deum precatus est, ut Ecclesiam militantem in triumphantis consortium admittere dignetur, ita nunc idem petit pro Ecclesia patiente, orans ut Deus fidelibus defunctis, *qui dormiunt in somno pacis*, quatenus securi sunt de sua salute et poenas submissee tolerant, *locum refrigerii*, post ignem, *lucis*, post tenebras, *pacis*, post separationem a visione Dei, indulgeat *per eundem Christum Dom. nost.*; ad verbum: *Christum* caput inclinans, in memoriam Christi, qui inclinato capite tradidit Spiritum et ad inferos descendit.<sup>3)</sup>

10. — Denique sacerdos specialiter *sibi ipsi et adstantibus*, quorum nomine offert sacrificium, idem consortium, nempe Sanctorum, Ecclesiae triumphantis efflagitat,<sup>4)</sup> *per Christum Dom. nost.*,

<sup>1)</sup> Vid. Innocentius III. Myster. Missae Lib. V. c. 6. S. Bonaventura: Expos. Missae c. 4. S. Thomas: 3. q. 83 a. 4 ad 9. Bellarmin: Lib. VI. de Missa c. 34. §. *Quinta objectio*. Suarez: De Euch. Sacrif. Disp. 83. Sect. 2. §. *Ad dicitur ultimo*. Benedictus XIV.: De Missae sacrif. Lib. II. c. 16 n. 24 et 25.

<sup>2)</sup> S. Gregorius M. Lib. IV. Dialog. c. 58.

<sup>3)</sup> De Herdt: Sacrae liturgiae praxis Tom. II. n. 99, cum aliis.

<sup>4)</sup> Benedict. XIV. op. c. Lib. II. cap. 18 n. 2.

*per quem*, ut prosequitur, *haec omnia*, naturalem panem et vinum, *Domine, semper bona creas*, quia per ipsum facta sunt et fiunt omnia, *sanctificas*, per oblationem, *vivificas*, per consecrationem, *benedicis*, per sacrificii effectus, *et praestas nobis*, per Communionem. *Per ipsum*, quatenus Christus est mediator Dei et hominum, *et cum ipso*, ut est persona divina a Patre et Spiritu S. distincta, *et in ipso*, quatenus est unus Deus cum Patre et Spiritu S., „*est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus S. omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum.*“ His verbis Canon finitur.<sup>1)</sup> Respondet populus *Amen*, quasi confirmans suo consensu, quae omnium nomine sacerdos in Canone oravit.<sup>2)</sup>

## B. De iis, quae ad Communionem referuntur.

11. — Absoluto Canone fit ad Communionem praeparatio,<sup>3)</sup> nempe 1. per orationem Dominicam, deinde 2. per alias preces, quibus sacerdos *a)* instat in petenda liberatione ab omnibus malis, *praeteritis*, quae sunt peccata commissa, *praesentibus*, quae sunt tentationes peccatorum, et *futuris*, quae sunt poenae peccatorum seu temporales seu aeternae;<sup>4)</sup> — *b)* instat in efflagitanda *pace*, quae et omnia bona complectitur et dignum Principi pacis praeparat habitaculum.<sup>5)</sup> Et quidem pacem a Deo implorat, postquam se signaverat *signo crucis*, Christus enim in cruce pacem nobis promeruit, *cum patena*, quae est symbolum pacis ob Eucharistiam in ea reponendam;<sup>6)</sup> — rursus dum partem s. hostiae calici immittit, de quo ritu infra; — deinceps cum orat: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, siquidem Christus pro peccatis nostris satisfaciendo pacem restituit; — denique in I<sup>ma</sup> ex tribus orationibus, quae Communioni praemittuntur.<sup>7)</sup> Specialiter pro se

<sup>1)</sup> Sunt qui putant orationem Dominicam, quae sequitur, adhuc partem Canonis efficere; verior est tamen contraria opinio, quae statuit, Canonem ad sextam Orationem illis praedictis verbis terminari. Benedict. XIV. Lib. II. c. 19 n. 1.

<sup>2)</sup> Idem Lib. II. c. 18 n. 16.

<sup>3)</sup> S. Thomas: 3. q. 83 a. 4 c. Benedict. XIV. op. c. Lib. II. c. 19 n. 1, et alii communiter.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV Lib. II cap. 19 n. 7.

<sup>5)</sup> Continet pax 1. amicitiam cum Deo, 2. tranquillitatem animi et serenitatem in tentationibus et persecutionibus, 3. mutuam inter ipsos homines concordiam. Ita *Corn. a Lap.* in Joan. 14, 27.

<sup>6)</sup> Benedictus XIV. Lib. II. c. 19 n. 11.

<sup>7)</sup> In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax omittitur. S. Thom. 3. q. 83 a 4 c.

sacerdos in II<sup>da</sup> oratione postulat remissionem peccatorum et donum perseverantiae, et in III<sup>ta</sup> petit, ut Sacramentum sibi prosit *ad tutamentum mentis et corporis*, contra hostes salutis, contra peccata spiritualia et corporalia, et *ad medelam percipiendam*, nempe concupiscentiae ut diminuatur, et vitiorum ut exstinguantur.

12. — Sed his (ut innuimus) *fractio s. Hostiae* interponitur, mysteriis plena. Per eam designatur, ut supra §. 15 n. 9 diximus, Christus in cruce scissus propter scelera nostra; sed amplius significatur etiam multiplicitas fructuum ex sacrificio dimanantium.<sup>1)</sup>

Nimirum dividitur Hostia in *tres* partes, ut exprimatur sacrificium altaris prodesse Ecclesiae militanti, patienti et triumphanti: pars *una* calici immissa significat, Missam offerri pro vivis, qui passionis Christi per calicem et crucem significatae participes sunt; quare sacerdos ante commixtionem cum Hostia format *signum crucis super calicem*, atque apte his fidelibus, nempe vivis *pacem Domini* apprecatur, qua sublevemur in pressuris hujus saeculi, et dum fit commixtio et consecratio (consecrati) Corporis et Sanguinis, *vitam aeternam* a Deo petit; — porro *altera* pars extra calicem reservata indicat, Missam offerri in honorem Sanctorum, qui cum Christo triumphant in coelo; — et *tertia* pars priori addita innuit, Missam offerri pro animabus in purgatorio, ut citius a poenis absolvantur et cum Sanctis gloria coelesti perfruantur.

13. — Praeparatione ad Communionem peracta sacerdos semetipsum monet de sublimitate eorum, quae acturus est: *Panem coelestem etc.*,<sup>2)</sup> et verbis humilitatis a Centurione mutuatis: *Domine, non sum dignus — sub tectum*, corpus — *et sanabitur* (ab omni peccato, languore spirituali, imperfectione) *anima mea*, se ipsum signat cum s. Hostia dicens: *Corpus Dom. etc.*, et similia verba profert, dum s. sanguinem sumit; quibus exprimitur ss. Sacramentum esse pignus vitae et gloriae aeternae.

### III. Gratiarum actio, mysterii celebratione peracta.

14. — „*Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*“ Ita s. Augustinus. Namque post Antiphonam „*Communio*“ dictam, quia olim inter populi Communionem cantabatur, sequitur oratio *Postcommunio*, ad gratias Deo agendas, quod tanti mysterii nos voluerit esse participes, et ad gratiam postulandam,

<sup>1)</sup> S. Thomas: 3. q. 83 a. 5. ad 7. *Ego sum panis vivus, qui de coelo des-*

<sup>2)</sup> Christus ipse de se testatur: *cendi.* Joan. 6, 51.

ut ejus fructus et quidquid operari sanctificationem potest, conservemus. Dimittens sacerdos populum, *Ite Missa est* (dimissio est) dicit, et populus (per ministrum) pro sacrificio et fructibus inde perceptis *Deo gratias* apte reponit. Iterato sacerdos salutat populum: *Dominus vobiscum*, et in fine ei *benedicit*, ut gratiae acceptae in ipso jugiter permaneant et sumant majus quotidie incrementum. Postremo per lectionem Evangelii sec. Joan.<sup>1)</sup> fit quasi recollectio brevis eorum, quae Christus in hoc mysterio per sacerdotem operatus est. Ipse *vita — lux hominum — lux in tenebris lucet — in propria venit — verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*: quam vere singula haec applicantur mysterio celebrato! Et quam apte minister nomine populi dicit: *Deo gratias*, ut tota Missa desinat in gratiarum actionem. *Hoc nec dici brevius, nec audiri laetius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest*, s. Augustinus dicit.

## Sectio II.

### De celebratione ss. sacrificii Missae.

Praemissis iis, quae de Rubricis et Decretis S. R. C. tamquam regulis pro Missae celebratione praevis sciri debent, agendum erit: 1. de applicatione Missae, 2. de obligatione celebrandi, 3. de tempore et loco celebrationis, 4. de vasis et paramentis ad celebrationem requisitis, 5. de Missae formularibus, 6. de observandis a sacerdote ante, intra et post celebrationem.

#### §. 17.

### Rubricae Missalis et Decreta S. R. Congregationis.

#### A. De Rubricis.

1. — *Rubricae dicuntur regulae in liturgia servandae*. Liturgia (a λέΐτος et ἔργον) generatim significat munus seu ministerium publicum. Cumque nulla actio sit apud christianos tam publicum ministerium, quam actio sacerdotis Deo sacrificium offerentis: hinc ab ipsis Ecclesiae nascentis incunabulis Missa, quam diversis nominibus appellarunt graeci et latini Patres, generali denomina-

<sup>1)</sup> Ultimum Evangelium, prout recitari debet. S. R. C. (3792) 30. Aug. primum, a sacerdote *oblique* stante 1892.

tione dicta fuit liturgia.<sup>1)</sup> Cumque praeter oblationem sacrosancti sacrificii, Horas canonicas recitare, Sacramenta conferre aliasque ecclesiasticas functiones peragere, pariter sint publica ministeria, nomine Ecclesiae a sacerdotibus exercenda: hinc factum est, ut nomen *Liturgia* ad illa omnia extenderetur. Itaque Rubricae sunt regulae, juxta quas Sacrificium Missae celebrari, Sacramenta administrari, officium divinum persolvi et aliae functiones sacrae a sacerdotibus peragi debent.

Nobis hic tantum sermo instituendus est de Rubricis Missalis, deque earum quidem obligatione; in quem finem breviter praenotamus, *alias* Rubricas praescribere pertinentia ad ipsam sacrificii essentiam (e. g. de materia, forma, intentione ministri), ad quae aliunde ex divino jure est obligatio; *alias* Rubricas determinare modum, quo ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem sacrum convenienter peragatur.

2. — De quaestione, utrum Rubricae Missalis sint *praeceptivae* seu obligantes sub peccato, an mere *directivae* seu proponentes instructionem per modum consilii, olim valde confuse loquuti sunt doctores.<sup>2)</sup> Ast praevaluit sententia omnino tenenda, quae docet, Rubricas de agendis *intra Missam* esse *praeceptivas* et obligare sub gravi vel levi pro materiae natura. Quae veritas jam exinde deducitur, quod Rubricae intra Missam servandae, praeterquam quod multa continent, ad quae aliunde est obligatio, rem sanctissimam immediate respiciunt. Et citra omne dubium constat ex Bulla s. Pii V. Missali praeposita, in qua habetur: „*Mandantes et districte omnibus — in virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut Missam juxta ritum, modum et normam, quae per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae in hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant.*“ Praeceptum evidenter exprimitur verbis: „*Mandantes et districte in virtute sanctae obedientiae praecipientes*“; et obstringit quoad Rubricas intra Missam servandas, cum de caeremoniis et precibus in ipsa Missae celebratione sermo fiat.

<sup>1)</sup> Bellarmin: Lib. IV. de Euch. cap. 1. Kössing: Liturg. Vorlesungen über die hl. Messe, 2. Aufl. S. 16, 17. Regensb. 1856.

<sup>2)</sup> S. Alphonsus: Lib. VI.

n. 399 quatuor sententias refert. Ipse eam, quam nos sequimur, sententiam tenet. Nec aliter docet Benedictus XIV.: De ss. Missae Sacrif. Lib. III. sap. 13 n 3, cum Suarez et aliis.

Quid censendum de Rubricis *extra Missam* (ante et post) servandis? Aliae sunt praeceptivae, aliae directivae. Nimirum *praeceptivae* sunt, quae exigunt aliunde praecepta, ut confessionem sacramentalem celebrationi praemittendam, quando opus est, jejunium naturale; porro juxta s. Alphonsum omnes Rubricae de defectibus sunt praeceptivae,<sup>1)</sup> quamvis alii contradicant. Reliquae itaque, quas tamen accurate determinare non minus periculosum quam difficile est, et quae sane paucissimae tantum sunt, censi possunt *directivae*; sed harum quoque transgressio, licet non sit peccaminosa per se, ratione tamen motivi inhonesti e. g. socordiae, levitatis, venialiter culpabilis evadere, et ratione contemptus vel scandali gravis transire potest in peccatum mortale.<sup>2)</sup>

### B. De Decretis S. Rituum Congregationis.

3. — Praeter Rubricas Missalis habentur Decreta S. Congreg. Rituum, quae pariter constituunt regulam rituum, qui in Missae celebratione servandi sunt.

Haec Decreta partim *generalia* sunt, pro universa Ecclesia edita, partim *particularia*, ad petitiones particulares data, et nomen accipiunt ab Ecclesiis, ad quarum petitiones emanarunt, ut *in Mechliniensi, Monasteriensi* etc.

Particularia spectant tantum ad illos, ad quos diriguntur, nisi sint declarationes legis universalis in casu particulari; tunc sicut Decreta generalia, ab universa Ecclesia servari debent. Cf. Lib. I. §. 51 n. 3. Decreta autem particularia, quae sunt purae gratiae et privilegium concedunt, ad alios extendi nequeunt.<sup>3)</sup>

An Decreta S. R. C. sunt praeceptiva vel tantum directiva? *Praeceptiva* sunt a) si emanant in forma rigorosa decreti, vel ad-

<sup>1)</sup> Dicit enim Lib. VI. n. 347: „*Ea, quae inter defectus computantur, non amplius possunt esse de consilio, et ideo nequeunt ab aliqua culpa esse immunia.*“ Consentire videtur Benedictus XIV.: De sacrif. Missae Lib. III. cap. 13 n. 3.

<sup>2)</sup> Apposite W. Maier: Ein wahrhaft kirchlich gesinnter Priester ist in seinem Thun und Lassen genugsam bestimmt, wenn er weiß, welcher der Wille oder die Directive der Kirche ist. Dieser folgt er willig, ohne erst,

man möchte sagen, nach Mietlingsart die Strenge der Verpflichtung zu untersuchen und nur da der Kirche zu folgen, wo die Strafe oder Drohung an und für sich Widerspenstigen treibt; der willige Gehorsam wird aber umsomehr ein freudiger sein, wo es sich um das Allerheiligste handelt.“ Die liturgische Behandlung des Allerheiligsten etc. S. 13. Regensb. 1860.

<sup>3)</sup> De Herdt: Sacrae liturg. praxis. Tom. I. n. 6. Ed. 8. 1889.

jectam habent mandati clausulam e. g. *ab omnibus servetur, servari ab omnibus mandavit*; b) si versantur circa Rubricas praeceptivas, easque declarant et interpretantur. *Directiva* censentur, si sunt tantum declarationes dubiorum, nulla clausula decreti rigorosi adjecta, vel si versantur circa Rubricas solum directivas; quae tamen nihilominus debita reverentia haberi, et quatenus sunt dubiorum resolutiones, cuicunque doctorum opinioni contrariae praeferri debent.<sup>1)</sup>

### COROLLARIUM.

4. — Ex obligatione, sanctissimum Missae sacrificium juxta normam ab Ecclesia praescriptam exacte peragendi, sequitur quod sacerdos nequit licite celebrare Missam, si partem liturgiae notabilem vel partium leviorum quantitatem notabilem omittere debeat. Sic, ut exempla proferantur,<sup>2)</sup> sacerdos, qui brachium habet impeditum, quominus valeat utraque manu elevare hostiam in Missa, absque dispensatione Apostolica nequit celebrare. S. C. R. (1202) 2. Julii 1661. Prohibetur celebrare, qui manum dexteram habet impeditam ab apoplexia, etiamsi cum sinistra hostiam consecratam elevare et benedictionem dare possit, S. R. C. (1698) 26. Sept. 1682; secus in casu contrario et speciali.<sup>3)</sup> Potest celebrare, qui oculo dextero caret, secus si careat oculo sinistro, nisi oculo dextero Canonem sine deformitate legere possit; quod iudicio episcopi subijciendum est.<sup>4)</sup> Qui solum genuflectere nequit, non prohibetur celebrare, secluso scandalo.<sup>5)</sup> Plures auctores permittunt infirmo, qui non potest celebrare sine baculo, ut baculo utatur.<sup>6)</sup>

Si quis alio modo quam *sedendo* Missam celebrare nequeat, a celebratione abstinere tenetur, et tantum permittitur ipsi more

<sup>1)</sup> De Herdt: l. c. n. 7 et 8. S. Alph.: Lib. VI. n. 401.

<sup>2)</sup> Vid. *Decreta authentica* Congr. S. Rituum ex Actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata sub auspiciis SS. D. N. Leonis PP. XIII. Romae 1898—1900.

<sup>3)</sup> Quidam sacerdos, manu sinistra carens, aliam sibi sumpserat affabre ita confectam, ut inspicientium oculis ab integra manu dextera nil omnino differret; qua usus parem se reddidit cunctis tuto ac rite implendis

caeremoniis praescriptis: hostiam quippe antea aptavit, ut dein facile in partes dividi posset. Pius IX. de speciali gratia concessit ei facultatem celebrandi Missam primo privatim, post publice et etiam sine assistentia alterius sacerdotis, stricte tamen praecipiens, ut nullimode sacramentales species cum manu fictitia pertractentur. S. R. C. (2948) 13. Aug. 1847.

<sup>4)</sup> S. Alph.: Lib. VII. n. 404.

<sup>5)</sup> De Herdt op. c. Tom. I. n. 3.

<sup>6)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 402.



laicorum communicare; attamen Apostolica Sedes quandoque sacerdotibus pedum debilitate laborantibus concessit facultatem, Missam privatim celebrare sedendo, excepto Canone; imo non desunt exempla, quod dignioribus Ecclesiae ministris et episcopis praesertim, pedum infirmitate oppressis, permisit sessionem sub ipso quoque Canone et consecratione, „cum praecipuum episcoporum officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo curae suae concredito et pro se ipsis“; et Summi Pontifices Honorius IV., Pius II., Pius III. stare non valentes integram Missae celebrationem sedentes perfecerunt.<sup>1)</sup>

## I. De applicatione Missae.

### §. 18.

#### Pro quibus possit sacrificium Missae offerri.

1. — Sacrificium Missae offerri potest et offertur pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, sive justis sive peccatoribus, atque pro omnibus fidelibus defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2 et can. 3. Sess. 25. in Decr. de purgat.<sup>2)</sup> Offertur pro his omnibus *nomine Ecclesiae*, pro vivis etiam *ipsorum nomine*, quia sunt offerentes per sacerdotem, v. §. 13 n. 1.

Sacrificium divinum *animabus purgatorii* prodest ex infallibili Christi promissione, quae perhibetur Matth. 26, 28: „*Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*“ Attamen non certa lege, sed juxta beneplacitum divinae misericordiae defunctis poena luenda remittitur.<sup>3)</sup>

Potest oblatio sacrificii *specialiter* pro determinatis personis vel personarum ordinibus a sacerdote fieri, quae magis prodest (ceteris paribus) illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque, cum *specialis fructus* iisdem inde proveniat. Quam veritatem negavit Synodus Pistoriensis, admittens quidem, in Missa fieri

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: Epist. ad Pontifical. caeremon. magistrum, de celebratione Missae a sedente, die 11. Dec. 1757. (Mühlbauer: Decreta authentica S. R. C. Tom. II. pag. 88—99.)

<sup>2)</sup> Mortaliter peccaret sacerdos, qui aliquem de Ecclesia vellet excludere ab universali oblatione et fructu sui

sacrificii, quia ex institutione Christi et ex praescripto Ecclesiae manere debet sacrificium publicum et commune; neque sic agens sacerdos aliquid efficeret, quia Christi Ecclesiaeque voluntatem et intentionem evertere nequit. Sic La Croix: Lib. VI. P. II. n. 24, Lugo, Laymann etc.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 310.

posse specialem commemorationem aliquorum, precando Deum peculiariter pro ipsis, sed traducens velut falsam opinionem in populum invecam, quod alii, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant. Hanc Synodi doctrinam Pius VI. *Auctorem fidei* sub n. 30 damnavit ut *falsam, temerariam, perniciosam, Ecclesiae injuriosam inducentem in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

2. — Quaeritur 1. *An Missae sacrificium offerri possit pro excommunicatis?*

Resp. Excommunicati sunt aut *tolerati*, cum quibus fideles possunt communicare, aut *vitandi*, cum quibus communicare fidelibus non licet, ideo, quia nominatim et sententia publicata sunt excommunicati. 1) Pro excommunicatis *toleratis*, sive *vivis* sive *defunctis*, Missam celebrare licet, nomine Ecclesiae; quia, cum fideles non prohibeantur cum eis communicare in sacris, orationes publicas et sacrificium pro iisdem offerre permissum est. Consequenter etiam stipendium accipi potest pro Missa in illorum bonum celebrata.<sup>1)</sup> At 2) non licet offerre sacrificium nomine Ecclesiae pro excommunicatis *vitandis*, quia expresse interdictum est jure can. ex *cap. 2 de sent. excommunic.* Quod etiam valet, quamvis talis excommunicatus sit in statu gratiae (per contritionem perfectam), vel contritus vitam finierit, quia excommunicationis vinculum non est solutum. Privatim autem seu tamquam persona privata sacerdos potest pro excommunicato vitando, dum *in vivis* est, intra Missam sub *Memento* Deum deprecari, ut ipsi propitius esse dignetur;<sup>2)</sup> itemque, si *defunctus* fuerit, potest pro eodem sacerdos privatim, nihil addendo, in Missa orare, dummodo indicia ille exhibuerit, quod contritus obierit.<sup>3)</sup> Sed non potest sacerdos in hujusmodi casu stipendium accipere, quia proprie Missam non applicat; et fructum specialem Missae per intentionem specialem alii applicare debet, pro qua ipsi stipendium ordinarium accipere licet. Vid. §. 22 n. 1 *Notandum.*

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 309. Lib. VII. n. 164.

<sup>2)</sup> Idem Lib. VI. n. 308. Lib. VII. n. 162 et 163.

<sup>3)</sup> Aliud est, in Missa pro aliquo orare, aliud, Missam pro aliquo offerre;

orare pro aliquo in Missa potest sacerdos tamquam persona privata, „cum in sacro offerendo sacerdos numquam private se habet, sed Ecclesiae nomine litat“, ut recte Gallo S. J. Suppetiae etc. (Vol. I. pag. 127 Romae 1872) observat.

3. — Quaeritur 2. *An Missae sacrificium offerri possit pro infidelibus, haereticis et schismaticis?*

Resp. Certum est, pro non baptizatis, haereticis et schismaticis *vivis*, non tantum generaliter, sed etiam particulariter pro uno vel altero sacrificium Missae offerri posse, non ipsorum nomine, ut patet ex dictis §. 13 n. 2, sed nomine Ecclesiae, eum in finem, ut qui membra Ecclesiae non sunt, membra Ecclesiae fiant; modo nihil addatur specialiter in Missa, sed per solam intentionem sacerdotis applicetur Missa istorum conversioni. Ideoque licet in Missa pro illis a Deo petere auxilia et bona supernaturalia, quibus lumen fidei accipiant et salutem, non vero bona temporalia, nisi haec forte et quatenus esse possint media quaedam externa conversionis et salutis pro ipsis.<sup>1)</sup> Ratio a) quia sacerdos sic celebrans se Christo conformat, qui in cruce pro omnibus se obtulit; — b) quia alioquin in oblatione calicis *pro totius mundi salute* orare jubetur, et in festo *b. Petri Canisii* Ecclesia in Missa Deum precatur, — *ut ejus exemplis et monitis errantium corda ad salutem resipiscant*; — c) quia infidelium et haereticorum conversio in ipsius Ecclesiae bonum cedit. — Eo magis potest Missa *pro catechumenis* offerri, qui jam ad Ecclesiam pertinent per fidem et baptismi desiderium. Si Missa licite celebratur pro infideli vel haeretico vel schismatico, etiam stipendium pro Missae applicatione accipere licet. Vid. Responsa S. Sedis infra posita.

Pro acatholicis *defunctis* Missae sacrificium in nullo casu applicari potest nomine Ecclesiae, a) quia quibus non communicavimus *vivis*, non communicemus *defunctis*, ait Innocentius III. c. 12, X. lib. 3. tit. 28, et b) quia Missae celebratio pro acatholicis *defunctis* non potest componi cum dogmate catholico de necessitate fidei catholicae ad obtinendam salutem, quod urgebat Gregorius XVI. die 16. Febr. 1842 in Brevi ad episc. Augustae Vindelic., et in Brevi d. 19. Julii ad abbatem Benedictin. in monasterio Scheyern. Ideoque Apostolica Sedes pluries praescrpsit, ut si Missae fundentur pro familia, ad quam praeter catholicos etiam acatholici pertinent, fundatio fieri debeat cum restrictione, quod Missae non nisi pro catholicis familiae membris fundentur. — Eo minus pro *Judaeis* et *ethnicis* *defunctis* Missam celebrare fas est.

<sup>1)</sup> Suarez: De Sacr. Disp. 78. Sect. 2.

An pro *catechumenis* defunctis? Alii affirmant, alii negant; sententia affirmans est praeferenda, ex cap. *Apostolicam* de Presb. non bapt.

Videtur autem, quod sacerdos pro aliquo haeretico defuncto *privatim* et *sub conditione*: si forte decesserit in haeresi solum materiali adeoque cum signo fidei, et simul fuerit in statu gratiae, possit sub *Memento defunctorum* orare, secluso omni scandalo: a) quia per hanc privatam orationem tam minus obtinet communicatio cum haeretico in sacris, quam per orationem privatam in Missa pro excommunicato fideli vitando, quam licitam esse constat; — b) quia per conditionem adjectam dogma de necessitate fidei catholicae ad salutem integrum servatur.<sup>1)</sup> Stipendium Missae pro tali oratione privata accipere non licet, quia (coll. §. 22 n. 1) stipendium datur pro applicatione fructus specialis, quae in tali casu non fit, et debet hic fructus pro alio applicari.

Proposito dubio: Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna *pro graeco-schismatico*, qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro se sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente? S. Congr. Officii die 19. Aprilis 1837 respondit: *Juxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem*. Quam resolutionem Gregorius XVI. approbavit.

Proposito dubio: Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare *pro Turcarum aliorumque infidelium intentione*, et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere? S. Off. 12. Julii 1865 respondit: *Affirmative, dummodo non adsit scandalum ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse*.

Ad quaesita: 1) An liceat Missam offerre pro illis, qui in manifesta haeresi moriuntur, praesertim quando hujusmodi applicatio nota esset? 2) An liceat etiam in casu, quo hujusmodi applicatio Missae tantum sacerdoti et illi, qui dat eleemosyam, nota esset? — S. Off. 7. Apr. 1875 rescipsit: Ad 1) et 2) *Negative*.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Theologi antiquiores hujus quaestionis vix mentionem injiciunt. Sporer: Theol. Sacr. T. II. cap. 4 Sect. 4. n. 269 „pro solatio eorum, quorum parentes, consanguinei etc. in haeresi lutherana vel calviniana decesserunt“, obiter innuit, quod possint et privatim pro iis orare, et si sacerdotes sint, in sacris eorum recordari *sub conditione*: Si forte decesserint in haeresi solum materiali et alioquin in statu gratiae fuerint. Idem tradunt Tapfer: Expositio incruenti Missae sacrificii pag. 166. Ed. 2. Gassner: Handbuch der Pastoral, 1. B. 739.

Oswald: Die dogm. Lehre von den hl. Sacramenten, B. 1. S. 725. 5. Aufl. Münster 1894. Marc: Inst. mor. II. n. 1601, qui tamen adjungit: „Quodsi sacerdoti stipendium pro aliquo haeretico in particulari offeratur, respondere poterit se posse applicare Missam (de Requie) pro omnibus fidelibus defunctis cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo.“ Ed. 8. 1896. Huic assentit Pruner: Pastoraltheologie. S. 41. 1900.

<sup>2)</sup> V. Acta S. Sedis Vol. 25 p. 444 et 445.

4. — Fidei dogma est, Missae sacrificium *in memoriam et honorem Sanctorum* offerri, Conc. Trid. Sess. 22. cap. 3 et can. 5; ideoque ad finem 1. *latreuticum*, quatenus cum Sanctis et in Sanctis Deum glorificamus; — 2. *eucharisticum*, dum gratias Deo agimus pro donis gratiae et gloriae in ipsos collatis, et pro beneficiis eorum intercessione nobis a Deo concessis; — 3. *impetratorium* nobis, ut eorum intercedentibus meritis bona spiritualia vel temporalia a Deo obtineamus, imo etiam impetratorium ipsis Sanctis, dum Deum rogamus, ut eorum cultum et honorem in terra augere dignetur.<sup>1)</sup> — Praeterea ex hoc sacrificio Sanctis *gaudium* continuo accrescit, gaudium, inquam, non *essentiale*, quod ex visione Dei habent, sed *accidentale*, quod habent de quocunque bono, quod fit in terra. Nimirum gaudent videntes, per sacrificium Missae Deum infinite honorari, pro ipsorum gloria Deo gratias agi, bona immensa hominibus, fidelibus et infidelibus, justis et peccatoribus in eorum salutem conferri.<sup>2)</sup>

## §. 19.

## Quomodo facienda Missae applicatio.

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Ut fructus *specialis* Missae alicui obveniat, requiritur intentio seu *applicatio specialis* sacerdotis. Nulla autem requiritur intentio sacrificantis, ut fideles *generalem* fructum participant, et sacerdos *specialissimum*. Ratio I<sup>mi</sup> est, quia sacerdos in ordinatione accepit potestatem dispensandi et applicandi sacrificii fructum, cui vult; quare si non utatur hac potestate, fructus specialis remanet in thesauro Ecclesiae.<sup>3)</sup> Et ideo sacerdos, licet nemini Missam celebrare promiserit, semper tamen intentionem specialem elicere debet. Ratio II<sup>di</sup> est, quia hoc ipso, quod sacrificium juxta Christi institutionem et Ecclesiae praescriptum peragitur, de se operatur illos fructus. Hinc si sacerdos sit in statu gratiae, semper obtinebit fructum specialissimum; secus vero, si non sit in gratia, quia sacrificando peccabit.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Innocentius III. c. cum Martha, dicit: „Plerique reputant non indignum, sanctorum gloriam (accidentalem) usque ad iudicium augmentari, et ideo Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare.“

<sup>2)</sup> S. Thom.: In IV Sent. Dist.

XII. q. 2 a. 1. Solut. 2. Suarez: De Sacr. Disp. 78. Sect. 3. Sporer: Theol. sacram. T. II. cap. 5 Sect. 3 n. 329, et alii.

<sup>3)</sup> S. Alph H. A. Append. III. n. 110.

<sup>4)</sup> Vid. La Croix: Lib. VI. P. II. n. 50.

2. — **Principium II.** Sufficit autem ad applicandum fructum specialem intentio *habitualis* seu prius elicitata et non retractata; quia applicatio Missae se habet per modum donationis verbalis, quae semel facta valet, donec expresse revocetur.<sup>1)</sup> Porro intentio seu applicatio specialis Missae a sacerdote fieri debet ante celebrationem vel saltem ante consecrationem vini.<sup>2)</sup> Sufficit etiam intentio *implicite* determinata, ut si dicas: Offero hoc sacrificium pro eo, qui dedit stipendium, vel ad intentionem scripto vel mente determinatam etc.

Consultum est, intentioni primariae addere aliam, secundariam applicandi fructum specialem aliis (in Missa celebranda ex stipendio propinquis offerentis stipendium, si adsint ex praesumpta ejusdem voluntate), si forte is, pro quo sacrificium speciatim offertur, fructus non sit capax.<sup>3)</sup>

Si sacerdos alii Missam applicare intendit, quam cui ex superioris praecepto vel ex stipendio applicare debuisse, fructum percipit ille, cui applicare intendit, quia Deus respicit ad intentionem quam sacerdos habuit, non quam habere debuisse.<sup>4)</sup>

Applicatio sub conditione praeterito vel praesenti tempore jam impleta est valida e. g. offero pro Andrea, si obierit vel aegrotet, dummodo ita sit; non autem sub conditione non impleta et futura e. g. offero pro illo vivo, ut ipsi post mortem Sacrificium prosit, quia effectus Sacrificii suspendi nequit.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De Missae Sacrif. Lib. III. cap. 16 n. 8. S. Alphonsus: Lib. VI. n. 335, aliique communissime.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 335. In quam rem Benedictus XIV. observat: „Quidam putant fieri applicationem posse etiam post Consecrationem, sed ante sumptionem. Cujus quaestionis enodatio pendet ex celebris illius quaestionis decisione, in quam Missae actione sita sit sacrificii vis et essentia. Sane Suarez, qui sacrificii essentiam ponit in consecratione, monet sacerdotem, ut Missam applicet ante Consecrationem. Contra Salmanticenses, qui non in Consecratione tantum, sed etiam in sumptione

statuunt sacrificii essentiam, docent, posse sacerdotem etiam post consecrationem Missam applicare, quam nondum applicaverit. Verum sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, *in praeparatione ad Missam*, antequam sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare.“ De Missae Sacrif. Lib. III. cap. 16 n. 9.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 336.

<sup>4)</sup> Benedict. XIV. op. c. Lib. III. cap. 9 n. 4. S. Alph. n. 334, Lugo: De Euch. Sacr. Disp. 19. Sect. 10 n. 210 et seq.

<sup>5)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 337, cum aliis. Late Laymann: Lib. V Tract. 5. n. 13—15.

Applicatio ad intentionem illius, *qui primus stipendium dabit*, ex prohibitione Pauli V. die 15. Nov. 1605 graviter est illicita,<sup>1)</sup> imo etiam invalida est, si causa applicationis hic et nunc non existit, ex supra dictis. Si tamen sacerdos praevideret, quod brevi Missae a se postulentur pro defuncto, bene potest anticipare celebrationem et postea recipere stipendia, quia jam offeruntur pro persona determinata.<sup>2)</sup>

## II. De obligatione celebrandi Missam.

Suavissima et perquam honorifica obligatio offerendi ss. altaris sacrificium sacerdoti incumbere potest triplici ratione: 1. ratione sacerdotii, 2. ratione officii pastoralis, 3. ratione stipendii.

### §. 20.

#### A. De obligatione celebrandi ratione sacerdotii.

1. — Dominus noster Jesus Christus in ultima coena sanctissimo Missae sacrificio instituto Apostolis suis dixit: „*Hoc facite in meam commemorationem*“ Luc. 22, 19; quibus verbis disertissime praeceptum Apostolis eorumque successoribus injunxit, sacrificium Missae celebrare, juxta expressum Synodi Tridentinae definitionem Sess. 22. can. 2: „*Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, a. s.*“ Hoc praeceptum obligat singulos sacerdotes, etiamsi non habeant curam animarum, nec alium quemcunque titulum Missam celebrandi praeter sacerdotium;<sup>3)</sup> quia sacerdos potissimum consecratus est pro celebranda Missa in Dei laudem et gloriam, atque in bonum universae Ecclesiae, quocirca Deo et Ecclesiae ex Ordine suscepto obligatur ad sacrificium altaris offerendum.

2. — Quod attinet quaestionem, *quoties* teneatur sacerdos Missam celebrare, sententia communis tenet, sacerdotem quemlibet, etiamsi non habeat animarum curam, sub mortali obligari ad celebrandum *ter* vel *quater* in anno, seu festis solemnioribus; quod eruitur ex Decreto S. Congr. Conc. mense Nov. 1696, ubi dicitur:

<sup>1)</sup> De qua prohibitione plura habet Bened. XIV. De Missae sacrif. Lib. III. c. 9 n. 7 et 8.

<sup>2)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 15 n. 82.

<sup>3)</sup> S. Thom.: 3. q. 82 a. 10. Benedictus XIV.: De Missae sacrif. Lib. III. cap. 1 n. 3 et 4. S. Alph.:

Lib. VI. n. 313.

*Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter et potest ab episcopo puniri.* Porro vix dubium esse potest, quin sacerdos etiam non curatus, saltem sub veniali, obligetur ad celebrandum singulis dominicis et festis diebus, cum Concilium Trid. Sess. 23. cap. 14 de Ref. praescribat: „*Curet episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*“<sup>1)</sup> Sacerdotes autem curati, ut ex hoc Concilii Decreto liquet, Missas celebrare debent non tantum praedictis diebus, idque sub gravi, ut parochiani praeeptum grave, audiendi sacrum, implere possint (hae quippe obligationes sunt correlativae), sed tenentur praeterea tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missae sacrificium peragere, cum e. g. celebranda Missa opus sit ad viaticum infirmo deferendum.<sup>2)</sup> Imo Christi et Ecclesiae sensui magis consentaneum est, singulis diebus sacrificium offerre, quam non offerre, modo cum iis, quibus aequum est, dispositionibus celebretur, ut Benedictus XIV.<sup>3)</sup> merito infert, quia sacerdos, dum celebrat, *Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, defunctis requiem praestat, sese omnium bonorum participem efficit.*<sup>4)</sup> E contrario, ut s. Bonaventura<sup>5)</sup> ait, *sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates.* Hinc s. Alphonsus<sup>6)</sup> sacerdotem a culpa levi non excusandum putat, qui quotidie celebrare posset et sine ulla justa causa, sed tantum ob desidiam, a celebrando abstineret; atque dicit, quamvis bonum sit, ex humilitate a celebrando abstinere, melius tamen esse Missam celebrare, quia per actum humilitatis Deo honor finitus, per Missam infinitus honor exhibetur; praeterquam quod Angeli et Sancti laetificantur, vivi et defuncti adjuvantur.<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> Testante Benedicto XIV. in op. de Missae sacrif. Lib. III. cap. 1 n. 9 Theologi, qui scripsere post Synodum Tridentinam, vocem illam Concilii *curet*, vim habere praeepti existimant.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV. loco cit. n. 8 et 10.

<sup>3)</sup> Op. c. Lib. III. cap. 2 n. 10.

<sup>4)</sup> Thom. Kemp.: De Imitatione Christi Lib. IV. cap. 5.

<sup>5)</sup> De praeparatione ad Missam cap. 5.

<sup>6)</sup> Lib. VI. n. 359 *Dubitatur deinde.*

<sup>7)</sup> Der Priester in der Einsamk. und am Altare II. Abth. 1. Belehr. n. 17.



Cum sacerdos quidam aetate florens, probis tamen et incorruptis moribus conspicuus, dominicis tantum et festis diebus Missam celebrare soleret, tum propter juvenilem aetatem tum propter defectum mortificationis, tum etiam quia timebat, ne tanto abuteretur mysterio, atque diceret se non eam vitam vivere, quam postularet quotidiana Missae celebratio: s. Franciscus Salesius illi persuasit, ut quotidie Missam celebraret, praeclare ostendens, sancto et frequenti sacrificii usu futurum esse, ut ipsius juvenilis aetas confirmaretur, tentationum impetus refringerentur, ejus infirmitas stabiliretur et viae asperae complanarentur, porro adjiciens, quod si humilitatis causa intenderet a celebranda Missa abstinere, de Ecclesia ejusque necessitatibus et de leniendis defunctorum purgatoriis poenis cogitaret, tum ne Deum augmento gloriae suae, Angelos gaudio, reliquos Sanctos peculiari voluptate coelesti fraudaret. Quibus consiliis sacerdos ille conquevit, et respondit: Fiat, fiat; ac triginta annorum spatio, quo ex eo tempore vixit, nunquam sine legitima causa Missam celebrare omisit. Bened. XIV. de Missae sacrif. Lib. III. cap. 2 n. 4. Cum s. Cajetanus Neapoli commorans certior fieret, quemdam Cardinalem amicitiae vinculo sibi conjunctum Romae multorum negotiorum causa non amplius singulis diebus sicut antea, Missam celebrare, aestu vehementissimo et periculo mortis non deterritus Romam profectus est, ut eum commoveret ad Missam iterum quotidie celebrandam. Ita refert s. Alph. op. c. n. 17, et habetur in Bulla Canoniz. ab Innocentio XII. edita §. 7. S. Vincentius a Paulo in Bulla Canoniz. a Clemente XIII. a. 1737 celebratae §. 25 laudatur, quod ab incruento altaris Sacrificio numquam abstinuit, ita vivens, ut quotidie offerre posset, et quod nonnullis ante obitum mensibus, cum ob tiliarum morbum pedibus insistere non valeret, quotidie aderat Missae Sacrificio et pane Angelico reficiebatur.

## §. 21.

**B. De obligatione, celebrandi ratione officii pastoralis.**

1. — Animarum pastores ex praecepto divino tenentur Missae sacrificium pro ovibus suis offerre, juxta declarationem Concilii Trid., quod Sess. 23. cap. 1 de Ref. dicit: *Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre etc.* Quod divinum praeceptum declarans Apostolica Sedes accurate determinavit: 1. quis, 2. ubi, 3. quomodo, et 4. quando Missam pro populo applicare teneatur.

2. — **Punctum I.** *Quis teneatur Missam pro populo applicare.* Huic obligationi adstricti sunt *parochi* omnes, tum saeculares tum regulares, nec non ii, quibus munus parochiale precario titulo concreditum est seu parochiarum provisores et administratores apud nos nuncupati; ex Const. Benedicti XIV. *Cum semper* 19. Aug. 1744, et ex Const. Pii IX. *Amantissimi Redemptoris* 3. Maji 1858. Immunes ab hoc onere sunt sacerdotes, qui curam tantum adjutricem, secundariam, subsidiariam habent, seu capellani, cooperatores parochi S. R. C. (2892) 14. Junii 1845 in Monast.,

capellani carcerum, nosocomiorum aliorumque ejusmodi locorum, quamvis independenter a parochis ibi sacramenta ministrent. S. C. C. die 2. Junii 1860.

Si parochi, eo magis *episcopi* tamquam principales animarum pastores pro populo sibi commisso Missam celebrare debent,<sup>1)</sup> prout declaravit Leo XIII. in lit. Apost. 10. Junii 1882, et quidem „post adeptam possessionem“ S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 22. Ad id non tenentur episcopi titulares ex Const. cit. Leonis XIII., Vicarii capitulares Sede vacante S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 23, Vicarii generales S. C. de Prop. fide 5. Febr. 1803, neque Vicarius Apostolicus et Missionarii, „dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae jam sint, atque ad ea Vicarius Apostolicus et Missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant“. S. C. de Prop. fide 23. Martii 1863.

3. — Parochus *per se ipsum* Missam pro populo celebrare debet „excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica“; nec attendenda est consuetudo contraria, S. Congr. Conc. die 25. Sept. 1847 in Mechlin., et al. Haec enim obligatio est *personalis*, quia in ea explenda parochus ministerium mediatoris inter Deum et populum exercet. Si vero aliqua causa canonica, e. g. infirmitate, absentia legitima, ab hoc officio implendo detinetur, alium sacerdotem potest et debet pro populo celebrantem procurare. S. C. C. 24. Aug. 1867; S. R. C. (2967) 22. Julii 1848 et al. Est enim hoc onus simul *reale* utpote muneri pastoralis adnexum, quod proinde parochus, si nequeat per se ipsum, per alium debet implere.<sup>2)</sup>

Parochus *duabus parochiis* praepositus duas Missas diebus praescriptis applicare tenetur pro populo, sive per se (si bis celebrare ipsi concessum sit), sive unam per se et alteram per alium sacerdotem; nisi unio duarum parochiarum sit plenaria et extinctiva, ita ut ex duabus ecclesiis parochialibus una evaserit, S. C. C. 12. Martii 1774, non obstante redituum exiguitate S. C. C. 25. Sept. 1858, et si non potuit secundam Missam celebrare,

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 326.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 326. Ideoque si *parochus simul est canonicus*, eademque die Missam conven-

tuallem celebrare debet, alium sacerdotem ad Missam parochialem celebrandam et applicandam substituere tenetur. S. C. C. 31. Martii 1708.

tenetur per hebdomadam applicare Missam pro populo secundae parochiae S. C. C. 9. Maji 1874.

Si parochus vicarium commiserit ad Missam pro populo celebrandam, stipendium ipsi. justitia exigente, tribuere debet, utpote qui ad id non est obligatus. S. C. C. 4. Sept. 1869, et al.

4. — **Punctum II.** *Ubi Missa applicanda pro populo celebrari debeat.* In propria ecclesia parochiali celebrari debet. S. C. C. 15. Sept. 1629, et al. Attamen eadem S. Congr. die 14. Dec. 1872 concessit, *parochum die festo a sua parochia legitime absentem satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo, in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet.*

Non requiritur, ut applicetur Missa sollemnis pro populo, sufficit Missa privata. S. R. C. (2939) 27. Febr. 1847 et (2967) 22. Julii 1848.<sup>1)</sup>

5. — **Punctum III.** *Quomodo fieri debeat Missae applicatio.* Gratis facienda est; nimirum animarum pastores, qui sunt obligati, „medium seu specialem sacrificii fructum populo sibi commisso applicare debent; adeoque hoc sacrificium nec pro aliis applicare neque pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere possunt,“ ut in Bullis Benedicti XIV. et Pii IX. supra memoratis edicitur et S. Congr. Conc. constanter declaravit.

6. — **Punctum IV.** *Applicatio Missae pro populo ab animarum pastoribus* (de quibus n. 2) *fieri debet omnibus diebus dominicis et festis, nempe tum iis qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia suppressi ac translati sunt, qui vero antea ut festi de praecepto erant colendi juxta Const. Urbani VIII. *Universa per orbem* 13. Sept. 1642.<sup>2)</sup> Sic S. R. C. in causa Strigonien. (3042) 9. Maji 1857 respondit et ad omnia dubia abigenda Pius IX. in encycl. *Amantissimi Redemptoris* 3. Maji 1858 declaravit.<sup>3)</sup> Nimirum Urbanus VIII. in citata Constitutione numerum festorum diminuit et dies festos ex praecepto ab omnibus observandos determinavit. Postmodum autem*

<sup>1)</sup> Pro dioecesi Lincensi, in qua ex consuetudine Missa sollemnis pro populo applicatur, a S. Sede concessa est facultas faciendi celebrare „missam pro populo“ diebus dominicis et festis etiam per cooperatores.

<sup>2)</sup> Haec Constitutio verbotenus invenitur in ephem. Wiener Diöcesanblatt 1863. S. 63, 64.

<sup>3)</sup> Haec Encycl. legi potest in iisdem eph. 1863. S. 85—88.

Summi Pontifices alios adhuc dies festos abrogandos censuerunt, ut Benedictus XIV. die 1. Sept. 1753<sup>1)</sup> et Clemens XIV. die 22. Junii 1771 pro imperio Austriaco,<sup>2)</sup> Pius VI. pro urbe, Pius VII. die 9. Aprilis 1802 pro Gallia. At nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem pastoribus impositam pro populo Missam applicandi; ideoque standum est catalogo Urbani VIII., et pastores debent omnibus istis festis celebrare pro populo, quibus animarum pastores debebant, dum memorata Urbani VIII. Constitutio in pleno suo robore vigeat, ut Pius IX. in laudata sua encycl. edixit.<sup>3)</sup> Quod vero attinet dies festos translatos, si una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicam, una tantum Missa pro populo a parochis applicanda est, ut in eadem ep. encycl. declaratur.<sup>4)</sup>

Si gravi inopia laborent parochi aut munus parochiale titulo precario exercentes, episcopus eis permittere potest, ut die dominico vel festo stipendium, quo infra hebdomadam carerent, ipsis oblatum recipiant et pro offerente sacrificium applicent, ea tamen adjecta conditione, ut Missam pro populo infra hebdomadam celebrent. Ita Benedictus XIV. in Const. cit. *Cum semper* §. 8.<sup>5)</sup>

Qui peculiare aliquod *reductionis*, ut dicunt, Indultum ab Apostolica Sede obtinere, ipsi eodem perfrui possunt, juxta tamen condiciones in Indulto expressas et donec parochorum officium

1) Ibidem. S. 69—70.

2) Ibidem. S. 76—78.

3) Ratio haec adducitur: — „quamvis Romani Pontifices — enixis sacerorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum indigentis et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin sacrum audire deberent, tamen iidem praecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque

omnia eo prorsus modo peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enuntiata Urbani VIII. Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti.“

4) Id ergo obtinet, si festum cum tota sua solemnitate (*pro choro et foro*) transfertur; non vero, quando tantum Officium cum Missa transfertur (*pro solo choro*, ut ordinarie evenit), in quo casu Missa pro populo applicanda est die, quo occurrit festum, non die, in quem Officium et Missa transferuntur. S. C. C. die 24. April. 1875.

5) Conc. Prov. Vien. Tit. II. cap. 6 addit: „— et diem, in quem Missam pro populo applicandam transferunt, publice denuntient.“

exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant. Ita Pius IX. in encycl. saepe memorata, in qua tamen adjungit: „Cum nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore *aliqua hujus obligationis remissio* parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta.“ Sed et episcopis, qui supplicaverant, facultas commissa est, „dispensationem ab applicatione Missarum pro populo in diebus festis suppressis indulgendi pro iis tantum parochis, quorum praebenda annum redditum scutatorum bis centum non exsuperet.“ Imo haec facultas pro episcopis Bohemiae extensa est *ad parochos*, quorum census, demptis oneribus, 300 scutata non superat. S. C. C. die 10. Martii 1888. <sup>1)</sup>

#### Additio.

7. — *An jus, quo circa applicationem Missae pro populo Ecclesia occidentalis dirigitur, eodem modo locum obtinet in Ecclesiis orientalis ritus?* Desuper notandae sunt resolutiones S. Congr. de Propag. Fide die 23. Martii 1863. Videlicet ad proposita

#### Dubia:

I. An obligatio applicandi Missam pro populo, quae secundum jus Ecclesiae occidentalis imponitur episcopis et parochis, locum pariter habeat in iisdem personis ritus orientalis? Quatenus affirmative,

II. An quoad dierum determinationem servari debeant leges et consuetudines rationabiles, quae vigere reperiantur in aliquibus dioecesibus ejusdem ritus?

III. An in defectu talium legum et consuetudinum ejusmodi dierum determinatio fieri debeat juxta normam et integram extensionem legum occidentalium?

IV. An ob graves rationes et circumstantias locus fieri possit alicui reductioni dierum, qui determinati sunt a legibus occidentalibus, et deveniri etiam ad totalem dispensationem, obligatione tamen injuncta orandi pro populo, in iisdem Missis quae applicari pro eodem deberent?

S. Congr. die et anno cit. respondere censuit: Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative*. Ad III. *Negative*. Ad IV. *Provisum in tertio, et ad mentem*.

„Mens autem S. Congregationis fuit, quod secundum opportunitatem inculcetur episcopis Ecclesiae orientalis obligatio, qua etiam in ea gravantur animarum pastores, applicandi aliqua vice Missam pro populo; et in eo quod ad determinationem spectat dierum, iisdem exponeretur disciplina occidentalis Ecclesiae, ut ex hac normam habeant ad dignoscendum, usque dum ea convenire posset in eorundem dioecesibus, et quocumque in casu ad proponendum S. Sedi eas moderationes, quas necessarias putaturi essent.“ <sup>2)</sup> Adeo sapiens et aequa est disciplina S. Sedis!

<sup>1)</sup> Cf. Schüch, Pastoral - Theologie, 8. Aufl., S. 465.

<sup>2)</sup> Acta S. Sedis Vol. I. pag. 408 et 409 (coll. pag. 402—404).

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 324 *Quaer.* II, n. 325 et 326. — Wiener Diöcesanblatt Jahrgang 1863 S. 57, 69, 75, 85, 93. Jahrgang 1873 S. 181—188, 218. Probst: Verwaltung der Eucharistie als Opfer §. 19, 2. Aufl. Tübingen 1867. Gassner: Handbuch der Pastoral I. B. S. 886—916. Salzburg. Ricker: Leitfaden der Pastoral-Theologie 2. Aufl. §. 132. Wien 1878. Schober: De Caeremoniis Missae etc., Append. II pag. 165—191. Ratisb. 1882. Schüch: Handbuch der Pastoral-Theol. Aufl. 8, §. 226. Innsbr. 1882. Pruner: Pastoraltheologie S. 31—33. Paderborn. 1900.

## §. 22.

### C. De obligatione celebrandi ratione stipendii.

1. — Notum supponimus, quod ex dictis Lib. II. §. 79 n. 8 et §. 100 n. 2 constat, licitum esse sacerdoti stipendium accipere ad celebrandam Missam, quam ex alio titulo non tenetur pro aliquo applicare.

Notandum, quod *stipendium ex communi Ecclesiae disciplina sacerdotibus traditur pro applicando fructu speciali seu medio sacrificii.*<sup>1)</sup>

Illud porro stipendium, ut Benedictus XIV. observat,<sup>2)</sup> multas curas in Ecclesia concitavit, vel ad coërcendam sacerdotum avaritiam, vel ad aliquam normam statuendam, ne ipsi detrimentum caperent ob aliorum libidinem et ne hoc necessario subsidio destituerentur, vel denique, ne fidelium voluntas fraudetur, qui stipendium offerunt, ut res divina pro ipsis vel pro aliis adhuc vitam agentibus aut pro defunctis conficiatur. Ideoque multa ab Ecclesia edita sunt Decreta, ad quorum normam sequentia statuimus

### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Quum Concilium Tridentinum Sess. 22. (de observandis et evitandis in celebr. Missae) injunxerit episcopis, ut de medio tollant, quicquid avaritia contra reverentiam sacrificii Missae induxit, nominatim importunas et immoderatas eleemosynarum pro Missis exactiones: ideo *episcoporum est, in suis dioecesibus Missarum stipendium taxare.* Quae taxatio, ut Benedictus XIV.

<sup>1)</sup> Bened. XIV. Instit. 56. n. 1.  
De Syn. Dioeces. Lib. XII. cap. 7 n. 4.  
De sacrificio Missae Lib. III. cap. 8  
n. 1. S. Alph.: Von den Missbräuchen

bei der Annahme der Messstipendien  
n. 29.

<sup>2)</sup> Instit. 56. n. 1.

observat,<sup>1)</sup> consultius in Synodis fieri consuevit, quamquam extra illam fieri possit, vel etiam a consuetudine induci.

Facienda vero est ea quantitate, quae decet juxta locorum et temporum circumstantias; non tamen opus est, ut eleemosyna tanta sit, qua integram sustentationem sacerdoti celebranti pro integra die suppeditet; quia Ecclesia stipendium permittit, ut sacerdos aliquod ex ipso stipendio levamen ad vitam sustentandam, non vero totam sustentationem suscipiat; ut cum Benedicto XIV.<sup>2)</sup> communiter Theologi docent.<sup>3)</sup>

Judicio episcopi Missarum stipendia taxantis stare debent etiam regulares, ex Decreto S. C. C. 15. Jan. 1639, quo sancitum fuit: *Eleemosynam pro qualibet Missa per regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis.*

Sacerdos, qui ultra eleemosynam ab episcopo determinatam quidquam exigit, non solum contra Ecclesiae legem, verum etiam contra justitiam commutativam delinquit;<sup>4)</sup> attamen non potest ab episcopo prohiberi, ne a sponte dantibus uberiores stipem accipiat; ita enim censuit S. Congr. Conc. 16. Jan. 1649 et 2. Mart. 1861. Porro episcopus ex causa rationabili (e. g. ad sacrificii vilipensionem, turpe commercium, aliorum damna excludenda) prohibere potest, ne sacerdotes stipendium minus justo accipiant, ut ex declaratione S. C. C. 16. Julii 1689 colligitur.<sup>5)</sup>

*Quomodo autem taxanda sunt stipendia Missarum, pro quibus legendis testator aliquam pecuniae summam reliquit?* Taxanda sunt juxta dioecesis legem seu morem, et si ipse testator pretium determinavit, sed infra loci morem, ab episcopo juxta debitam proportionem Missae sunt reducendae. Ita declaravit S. C. C. 23. Novembris 1697 ad 5.

<sup>1)</sup> De Missae sacrif. Lib. III cap. 21 n. 10 et 11.

<sup>2)</sup> Op. cit. n. 12. Instit. 56. De Syn. Dioec. Lib. V. c. 9 n. 1.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph.: Lib. VI. n. 319.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV.: De Missae sacrif. Lib. III. cap. 21 n. 13.

<sup>5)</sup> Episcopus Septempedanus exposuit, *sacrosanctum Missae sacrificium quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii julii pro*

*qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualement unius integri julii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate.* Cui dubio S. C. C. respondit: *Affirmative quoad eleemosynam manualement.* Item die 26. Jan. 1743. Sed ubi non expressis verbis lata est prohibitio, sacerdos minus stipendium acceptare potest, dummodo turpis intentio et abusus non subsint.

Si sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebret, non recepto stipendio, non tenetur pro ipso defuncto sed potest pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus sacrificium applicare. S. C. Inq. 27. Aug. 1895.

3. — **Principium II.** *Plura stipendia nec pro unica integra Missa, neque pro diversis Missae unius fructibus sacerdos citra grave injustitiae peccatum et restitutionis obligationem accipere potest.*

*Prima* pars hujus principii probatur ex proposit. 10 ab Alexandro VII. a. 1665 damnata: *Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unicum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Et profecto a) talis stipendiorum cumulatio sapit sordidum quaestum, b) non constat certo, quamvis valde probabile sit (coll. §. 12 n. 2), sacrum pro pluribus oblatum tantum prodesse, quantum prodest uni soli applicatum; quare sacerdos se exponit periculo formali defraudandi proximum, et c) est voluntas stricte ex justitia obligans eorum, qui stipendia erogant, ut tot Missae celebrentur, quot stipendia sunt soluta; quae ratio est potissima. — Neque eo casu, quo sacerdos sciens acceptavit stipendia *exigua, minora congruo*, numerum Missarum minuere potest: sed tenetur Missas ab offerente petitas celebrare, S. C. C. 23. Nov. 1697 ad 3; quippe acceptando stipendia sacerdos ad numerum Missarum determinatum se obligavit, et jus est aliis acquisitum.<sup>1)</sup>

Quodsi eleemosynarum dator *non determinaverit numerum Missarum*, tunc tot sunt celebrandae, quot juxta taxam communem dioeceseos forent celebrandae. S. C. C. decl. II. ad Decr. d. 21. Junii 1625.

*Alter*a pars principii propositi constat ex declaratione S. C. C. 13. Dec. 1659. Nempe ad quaesitum: *An duplex stipendium pro fructu satisfactorio atque impetratorio sumi liceret*, respondit: *Id minime permitti posse.* Hinc non licet accipere eleemosynam alteram, ut applicetur fructus satisfactorius e. g. alicui defuncto, alteram ut applicetur impetratorius e. g. alicui infirmo. — Eo minus

<sup>1)</sup> Ast sacerdos potest incongrua stipendia dantem de defectu monere, et ex ejus consensu Missas reducere ad taxam ordinariam. Quodsi quis pecuniam acceptarit pro Missis abs-

que praescripto earum numero, satisfacit numerando eas juxta taxam ordinariam stipendii. La Croix: Lib. VI. P. II. n. 139.



duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti *specialissimum* fructum ipsimet celebranti correspondentem. Cf. §. 11 n. 3.

4. — **Principium III.** *Sacerdos suscepto stipendio ex justitia obligatus existit ad Missam celebrandam sive per se sive per alium juxta intentionem dantis.* Etenim pactum tunc obtinet onerosum, ex justitia obligans non minus, quam alius contractus onerosus. Quapropter sacerdos Missam per se vel per alium ad intentionem illius, qui stipendium erogavit, celebrare et applicare omittens, graviter peccat et ad restitutionem tenetur. Id quoque valet, quamvis sacerdos stipendium *exiguum, minus congruo*, acceptaverit; quia acceptando stipendium se titulo justitiae obligavit stare pacto in re gravi, adeoque illud violando contra justitiam graviter delinquit.<sup>1)</sup> Venialiter tantum peccat, qui *Missam gratis promissam dicere omittit*; quia simplex promissio per se ex fidelitate non obligat sub gravi (Lib. II. §. 110 n. 1), nisi promittens expresse ex justitia sub gravi se obligare voluerit.<sup>2)</sup>

Accipiens pecuniam ab aliquo expressa conditione, ut ipsius in Missa *recordetur*, non tenetur illi Missam applicare, ideoque ab alio potest pro eadem Missa stipendium recipere. S. C. C. 31. Jan. 1682.

5. — **Principium IV.** *Sacerdos infra modicum tempus stipendia persolvere tenetur, fideliter implendo, quae de loco, hora et ritu celebrandi Missam adjecta forsitan fuere.*

Dico I. *infra modicum tempus*, ut habetur in declarat. S. C. C. 21. Junii 1625 ad 11; porro modicum tempus, infra quod Missa stipendio acceptato celebrari debeat, juxta declarat. S. C. C. die 17. Julii 1655 editam spatium *unius mensis* est reputandum;<sup>3)</sup> attamen longius differri Missa potest, si erogans stipendium impedimento audito in dilationem consentiat, ut eadem S. Congr. 21. Junii 1625 ad 12 explicavit. Attendantur simul statuta synodalia et episcopalia. Sic Concil. Prov. Viennensis Tit. III. cap. 5 sanxit: „*Missas plures, quam ab eo intra bimestre persolvi possint, non suscipiat, nisi offerens dilationi expresse consentiat.*“<sup>4)</sup> Denique merito Theologi tradunt, sacerdotem graviter peccare, si Missam pro aliqua

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 317 *Quaeritur III.* ut *probabilius.*

<sup>2)</sup> Idem n. 317 *Quaer. IV.*

<sup>3)</sup> S. Alph.: H. A. App. 3 §. 2 n. 107 ait cum sententia communi, dilationem *duorum mensium* esse gra-

vem; si vero Missa sit pro defunctis, dilationem *unius mensis* esse gravem.

<sup>4)</sup> Instruct. Eystett. Tit. 1. §. 16: „*Caveant sacerdotes, ne — Missas ultra tres menses pro vivis nec ultra duos pro defunctis differre cogantur.*“

necessitate, quae moram non patitur, e. g. pro praesenti infirmitate vel periculo, intra tempus celebrationi aptum celebrare omittat, nec non ad restitutionem teneri, quamvis tempore transacto celebraverit; quia circumstantia temporis in ipsam substantiam rei petita transit.<sup>1)</sup> Restitutio vero non videtur sub gravi urgere, nisi stipendium ad summam gravem pertingat. Cf. Lib. II. §. 132 n. 3. — Missae *fundatae* intra annum persolvi debent, nisi in literis foundationis aliud sit praescriptum; qui anno elapso illa onera diutius e. g. ultra duos vel tres menses differt, vix a peccato gravi excusandus videtur.

Ad eliminandos varios abusos, qui in hac re invaluerant, Emmi Patres S. C. C. (decreto „Vigilanti“ 25. Maji 1893) sub gravi obedientiae praecepto mandarunt, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni Missarum onera, quae reliqua sunt et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis traderent juxta modum ab iis definiendum.

Dico II. *Sacerdos fideliter implere debet, quae de loco, hora et ritu celebrandi Missam adjecta forsitan fuerit.*

Et quidem I. si *locus* (e. g. ad imaginem miraculosam) vel *tempus* (e. g. festum in honorem B. M. V.) per se intendatur tamquam circumstantia essentialis, sacerdos non potest retinere stipendium, nisi Missam celebrando istis circumstantiis adprime satisfecerit; secus, si locus vel tempus ita non intendatur.<sup>2)</sup>

2. Quod attinet *ritum* celebrandi, sacerdos satisfacit, si obligatus legere Missam pro defunctis celebret Missam de die, nisi Missa de *Requie* expresse postulata fuerit diebus permissis, vel *Missa cantata de Requie* petita; S. R. C. (1238) 5. Aug. 1662. Qui obligatus est ad Missam votivam ex voluntate petentis ab ipso acceptata,<sup>3)</sup> non satisfacit aliam legendo S. C. R. (2461)

<sup>1)</sup> S. Alph n. 317 *Quaer. II.* Sunt etiam qui putant sacerdotem satisfacere, qui ad intentionem dantis in genere, non ad intentionem ab initio habitam, Missam celebraret, praesertim si stipendii dator illud non recepturus certe praesumi posset vel omnino incognitus adiri nequiret. V. Köhler Pastoralblatt Nr. 3, 1894.

<sup>2)</sup> Gury P. II. n. 376 q. 16.

<sup>3)</sup> Voluntas petentis potest esse

vel *expressa* vel *tacita* e. g. postulando Missam in aliquo altari B. M. V., vel pro sponsis etc.

Si Missa petitur *in honorem alicujus mysterii, b. Mariae V. vel Sancti*, nec intenditur ipsa votiva Missa, tunc satisficit per Missam diei currentis. S. R. C. (4031) 13. Junii 1899. Apud nos fideles discrimen Missarum ignorant, sed sacerdotis arbitrio se committunt.

3. Martii 1761, nisi *a)* offerens stipendium consentiat, ut Missa diei legatur; vel *b)* Rubricae Missam votivam ea die dici non permittant; <sup>1)</sup> vel *c)* Missa votiva, quae postulat, non permittitur, ut e. g. Beati. Cf. §. 35 n. 4. Non peccat graviter, <sup>2)</sup> qui *sine justa causa* Missam diei pro votiva postulata legit, nec ad restitutionem obligatur, <sup>3)</sup> quia fructus essentialis idem est.

Qui stipendium acceptavit ea conditione, ut *in altari privilegiato* sacrificium peragat, non satisfacit celebrando in alio altari, nisi ipse privilegio altaris personali gaudeat, S. C. Indulg. 16. Febr. (approb. 15. Mart.) 1852, et tenetur lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missae fructum applicavit, toties quoties non celebravit in altari privilegiato, vel diebus non impeditis usus non est indumentis nigri coloris. S. C. Ind. 22. Febr. 1847 (quoad paramenta). Sed hic modus compensationis tantum *bona fide errantibus* conceditur, S. C. Ind. 24. Jul. 1885. Qui alia quacunque causa indulgentiam altaris privilegiati non lucrantur, ad restitutionem tenentur, et quidem juxta Decr. S. C. Indulg. 6. Febr. 1857 nulla alia restitutio sufficiens est, nisi nova applicatio in altari privilegiato. <sup>4)</sup> Pro privilegio altaris majus stipendium accipere non licet. S. C. Ind. 9. Maji 1761. Alia de altari privilegiato v. infra §. 178.

6. — **Principium V.** *Sacerdos, qui accepto stipendio manuali obligationem celebrandi Missam in alium transfert, integrum stipendium eidem erogare tenetur.* Etenim ad omne turpe lucrum removendum et rei sanctissimae decorem custodiendum graviter prohibuit partem stipendii retinere S. Concilii Congregatio in Decreto ab Urbano VIII. *Cum saepe* approbato, et ab Innocentio XII. *Nuper* confirmato. <sup>5)</sup> Cumque aliqui hoc Decretum negligerent asserentes, illud non esse acceptatum, Alexander VII. istam eorum

<sup>1)</sup> Quando occurrit officium duplex aut aequivalens. *Pro Missis jam acceptatis, quae non possunt celebrari diebus non impeditis, sufficit applicare valorem Missae currentis et ordinariae, tam pro vivis quam pro defunctis, qui postulaverunt Missas votivas.* Decr. S. R. C. (321) 19. Maji 1614.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 327.

<sup>3)</sup> Schober: De Caeremoniis

Missae etc. Appendix V pag. 282—283. Ratisbonae 1882

<sup>4)</sup> Acta S. Sedis Vol. XVIII. pag. 94.

<sup>5)</sup> Verba hujus Decretisunt: „*Omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem elemosynae sibi retenta, celebrandam committat.*“

propositionem sub n. 9 proscripsit.<sup>1)</sup> Nec potest sacerdos stipendium minoris pretii alteri erogare, etsi hic rogatus, ut partem remittat, vel quaesitus, an remittat, in minus stipendium *consentiat*; ex praescripto Benedicti XIV. in Encycl. *Quanta cura* 30. Junii 1741, „quippe non de privatorum commodis, sed de sanctissimae rei decore agitur“, ait Conc. Prov. Vienn. 1858 Tit. III. cap. 5. Nec partem stipendii retinere licet *generatim in gratiam pii operis*.<sup>2)</sup> Sacerdos, qui partem stipendii retinuit, *tenetur ad restitutionem faciendam sacerdoti celebranti*; quia Missa celebranda erat tali stipendio, quale datum fuit, et ideo qui eam celebravit, jus habet ad illud totum.

Pius IX. in Const. *Apostolicae sedis* §. XII decrevit excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam in *colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent*.<sup>3)</sup>

In duobus vero casibus potest sacerdos, qui majus stipendium accepit, sacerdoti celebranti Missam tribuere eleemosynam ordinariam et partem excedentem sibi retinere: 1. si sacerdos, cui committitur Missae celebratio, omnino liberaliter, nec rogatus ut partem remittat, nec quaesitus an remittat, excessum condonet; et 2. si majus stipendium datum sit intuitu personae e. g. ob gratitudinem, amicitiam, paupertatem, dummodo id saltem ex circumstantiis morali certitudine constet.

<sup>1)</sup> Propositio damnata sonat: „*Post Decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*.“

<sup>2)</sup> Ad Postulatum: 1. Utrum sacerdos, qui stipendium solito pinguius accepit, possit *in gratiam pii operis*, alii sacerdoti ordinarium tantummodo stipendium tradere, retinendo prorsus partem, quae taxam ordinariam superavit? — 2. Utrum idem sacerdos possit sibi alium sacerdotem substituere, ea lege, ut aliquam partem stipendii ordinarii vel extraordinarii, *in gratiam pii operis* determinati remittat? — 3. Et quatenus negative in utroque casu, utrum sacerdos ita agens ad restitutionem teneatur? — 4. Utrum

sacerdos petens ab alio hujusmodi condonationem, debeat prius illi stipendium totum tradere? — 5. Et quatenus affirmative, utrum aliter agens ad restitutionem teneatur? S. C. C. die 29. Augusti 1860 respondit: *Consulat Theologos, praesertim S. Alphonsum de Ligorio (Lib. VI. n. 321 et seq.) et Benedictum XIV., eorumque sententiis se conformet*.

<sup>3)</sup> Ad quaestionem: *Utrum colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, si eas celebrari faciunt in eodem loco, ubi collegerunt, pro minori pretio, hanc censuram incurrant necne?* S. Off. C. die 13. Jan. 1892 respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam*.“

Administratores autem ecclesiarum *ex eleemosynis datis ad Missas celebrandas nihil possunt retinere pro expensis altarium, luminum etc.*, nisi ecclesiae alios non habeant redditus; et tunc nullatenus debent excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio sunt subeundae. Ita S. C. C. in Decreto ab Innocentio XII. die 23. Decemb. 1697 confirmato.

Ad quaesitum: An liceat episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant? S. C. C. die 31. Aug. 1874 (sub n. VII) respondit: *Negative, nisi de consensu oblatorum.* Vid. §. 23 n. 4.

Hactenus de stipendiis manualibus.

7. — Quod attinet *Missas fundatas*, observandum quod *beneficiati* (parochi etc.) et *capellani*, si eas Missas, quas dicere tenentur tamquam debitas pro fundatione i. e. *ratione seu ex obligatione beneficii vel praebendae*, aliis sacerdotibus celebrandas committunt, iisdem possunt stipendium *ordinarium* dare et excessum sibi retinere; quia excessus non pro Missae celebratione, sed pro sustentatione conceditur. S. C. C. 21. Junii 1625, 15. Martii 1745. Quin imo si eleemosynae Missarum extraordinariae sunt *casuales* (occasione nuptiarum, exequiarum), sed *parochi congruam efformant vel ad jura stolae pertinent*, licitum est parochi, qui per se satisfacere non possit, alteri sacerdoti Missas committere attributa eleemosyna ordinaria loci, sive pro Missis lectis sive cantatis. S. C. C. 25. Julii 1874.<sup>1)</sup>

Item ex sententia communi partem, quae stipendium ordinarium excedit, retinere potest sacerdos, cui commissa est *celebratio Missae perpetuae*, nec non sacerdos, cui incumbit *celebratio ex pingui legato*, ad vitam ipsi relicto cum onere Missarum. Etenim Decreta prohibentia retinere excessum stipendii ordinarii tantum de Missis manualibus loquuntur.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> In ephem. Acta S. Sedis Vol. VIII. pag. 65—84. Res. de qua ultimo, ita est intelligenda: Si pro Missis casualibus occasione alicujus publicae functionis (e. g. exequiarum) ab episcopo assignata sunt stipendia ordinario majora, quae partem integram beneficii parochialis constituunt: pa-

rochus sacerdoti hujusmodi Missam celebranti solvere tenetur stipendium *ordinarium*, quod alias dari solet pro Missa sive lecta sive cantata juxta morem dioeceseos, et solum quod superest, sibi retinere potest.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 321. Acta S. Sedis Vol. VIII. pag. 79—80.

Concilium Prov. Vienn. 1858 Tit. III. cap. 5 haec habet: *Alia Missarum fundatarum conditio est; eas enim ille, cui stipendium adjunctum beneficii titulo debetur, per alium sacerdotem persolvere potest, retenta ea stipis parte, quae stipendium ab episcopo constitutum superat.*

8. — **Principium VI.** *Non possunt acceptari onera perpetua Missarum, nisi de licentia scripta Ordinarii, qui perpendere debet tum redditus assignatos tum possibilitatem et securitatem impletionis in perpetuum. Et apud Regulares requiritur licentia Superioris generalis vel provincialis. Sic Innocentius XII. per Bullam Nuper 23. Dec. 1697 fieri mandavit.*

Quando in fundatione beneficii seu capellae *expresse* cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, poterit celebrans excipere novum stipendium, et unica Missa satisfacere obligationi beneficii seu capellae, et item danti novum stipendium. S. C. C. 13. Julii 1630. Dum in testamento nihil declaratur, pro quo fieri debeat applicatio, sacrificium applicandum est pro anima testatoris. S. C. C. 18. Martii 1668.<sup>1)</sup>

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 316—322. Benedictus XIV.: De Synodo dioecesana Lib. V. cap. 8 et 9. De ss. Missae Sacrificio Lib. III. cap. 21 et 22. Institutio 56. Acta S. Sedis Vol. VIII. pag. 65—84. Romae 1874.

### C a s u s.

9. — *Sacerdos periculose infirmum Sacramentis moribundorum munivit; qua peracta sacra functione infirmus sacerdotis manus osculans ipsi tradit pecuniam chartulae involutam et dicit: Peto, velis pro me 10 Missas celebrare; cui reponit ille: Celebrabo. Ast numerata pecunia invenit elemosynam non nisi pro 5 Missis juxta taxam dioecesanam. Hinc quaeritur, an sacerdos teneatur 10 Missas celebrare?*

R. *Neg.*, non obstante promissione, quae quippe nulla erat, quia non est volitum, quod non est cognitum. Tunc tantum sacerdos tenetur pro minoribus congruo stipendiis celebrare Missas postulas, si stipendia, eorum sciens minus pretium, acceptavit, coll. supra n. 3. Quid, *si infirmus Missarum numerum non determinasset?* Tunc pariter sacerdos satisfaceret, numerando illas juxta taxam ordinariam stipendii, ut ibidem dictum est.

10. — *Cajetanus sacerdos accepit stipendium 5 coronarum pro Missa ad certam intentionem hodie celebranda. Cum vero non possit vel nolit ad hanc intentionem hodie sacrum peragere, rogat Eduardum sacerdotem, ut velit hodie pro se applicationem Missae facere, promittens se die crastina ad illius intentionem esse Missam lecturum, pro qua ille stipendium 2 coronarum accepit. Quaeritur, an hujusmodi commutatio admitti possit?*

R. Controvertitur: 1. *Negat probabilius* s. Alphonsus,<sup>2)</sup> quia hoc non potest excusari a specie turpis mercimonii. Profecto, siquidem Cajetanus *ad retinen-*

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. Instit. 56.  
S. Alph.: H. A. Tr. 15. n. 88.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 322.

*dum majus stipendium* praedictam permutationem Missarum cum Eduardo inivit. Adde, quod eleemosyna accepta juxta voluntatem pii largitoris ad celebrationem est referenda; atqui voluntas dantis est non solum ut Missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio, ut idem s. Doctor observat. Exceptio in hoc casu admitti posset: *a)* si Cajetanus majus stipendium intuitu suae personae accepisset, vel *b)* si Eduardus re cognita omnino liberaliter, non rogatus, excessum stipendii Cajetano condonasset. (Est igitur casus hic resolvendus juxta Principium V. n. 6 propositum et explicatum.)

2. Affirmant alii (La Croix, Mazzotta, Ballerini, Varceno) dicentes, in hac re fieri tantum Missarum et dierum permutationem. — Sed in hoc ipso puncto est vitium; debuissent enim cum Missis simul stipendia permutari, ex rationibus allatis.

### §. 23.

#### Negotiatio stipendiorum Missae.

1. — Ecclesia quaslibet negotiationes, mercedum conditiones et pacta divini sacrificii sanctitatem dedecentia, quoad Missarum stipendia, omni tempore severissime interdixit. Praesertim S. C. C. per Decretum 31. Aug. 1874 et a Pio IX. confirmatum ad quaestiones valde practicas emisit resolutiones gravis momenti infra sub n. 2 referendas, quarum summa haec est:

1. Turpe mercimonium (ideoque improbandum vel etiam poenis ab episcopis coërcendum) exercent *bibliopolae vel mercatores, qui colligunt Missarum stipendia, et pro stipendiis libros vel alias merces tradunt* sacerdotibus, quibus Missas celebrandas committunt; etiamsi sacerdotes Missarum eleemosynis careant, vel nulla fiat stipendiorum imminutio, vel lucrum perceptum ex frequentiori negotiatione in usum bonorum operum vel piarum institutionum impendatur (n. I—III).

2. Turpi mercimonio concurrunt (ideoque improbandi vel etiam poenis eccles. coërcendi) *sacerdotes, qui Missarum stipendia hujusmodi collectoribus, bibliopolis vel mercatoribus in finem praedictum tradunt*, sive recipiant sive non recipiant quidpiam praemii nomine, itemque *qui ab hujusmodi bibliopolis vel mercatoribus pro Missis celebrandis recipiunt libros aliasve merces*, harum pretio sive imminuto sive integro (n. IV. et V).

3. Non illicite agunt presbyteri, qui *Missas celebrando stipendiorum loco recipiunt libros aliasve merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie* (n. VI). Consequenter eadem restrictione observata illicitum non est libros tradere pro stipendiis; quod confirmatur ex aliis declarationibus Sedis Apostolicae infra n. 3

positis, *dummodo* (quod addendum est ex una illarum, quae est S. C. C. 24. April. 1875) *nihil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacunque collectione Missarum, et docto, cui de jure, de secuta Missarum celebratione.*

2. — Dubia: I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coërcenda sit ab episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocunque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt?

II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subvenitur?

III. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coërcendae, ut supra, sint ab episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coërcendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ad eisdem praemii nomine?

V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coërcendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro?

VI. An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie?

S. C. C. respondit: Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Negative*. Ad III. *Affirmative*. Ad IV. *Affirmative*. Ad V. *Affirmative*. Ad VI. *Negative*. Quas resolutiones facta die 9. Sept. 1874 relatione Sanctitas Sua adprobavit et confirmavit.

3. — Dubia: 1. An diarium religiosum dari possit sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio, quod ab aliis pro diario solvitur? S. Poenitentiarum 6. Octob. 1862 respondit: *Affirmative, dummodo Missae celebrentur.*

2. An sacerdotes ad bonos libros divulgandos possint per stipendium certis Missis a se celebrandis aequivalens eos emere, et postea vendere pretio currente in librorum commercio, ita ut notabile lucrum inde percipiant? S. Poenitentiarum 19. Nov. 1863 respondit: *Negative prorsus, quia prohibetur quaelibet negotiatio occasione Missarum celebrandarum ob turpis lucri speciem.*

3. An illicite agant, qui cum non sint bibliopolae nec mercatores vel aliter Missarum celebrandarum quaesitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus Missarum celebrandarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa divulganda, eas celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde hi accipiant stipendii loco libros vel ephemerides? S. Congr. Conc. 24. April. 1875 respondit: *Negative.*

4. An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt,



retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente? S. C. C. 24. April. 1875 respondit: *Negative, dummodo nihil detrahatur fundatorum vel oblatozum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacunque collectione Missarum, et docto, cui de jure, secuta Missarum celebratione, facto verbo cum SSmo.*

4. — Denique S. Conc. Congregatio per Decretum „Vigilanti“ 25. Maji 1893, quod Leo XIII. confirmavit atque edi mandavit, denuo ea quae ab eadem Congregatione jam anno 1874 sub nn. I, II, III, IV, V, VII<sup>1)</sup> statuta sunt, in memoriam plenamque observantiam apud omnes revocavit, sed insuper certa *sanctione munivit*, hinc violatores in futurum non solum improbandos et poenis ab episcopis infligendos declaravit. Statuit nempe contra violatores poenas sequentes: 1. Contra *sacerdotes suspensionem a divinis* (seu ab exercitio Ordinum majorum) *S. Sedi reservatam et ipso facto incurrendam*; 2. contra *clericos* sacerdotio nondum initiatos eandem *suspensionem* quoad susceptos Ordines et *inhabilitatem* ad superiores Ordines recipiendos; 3. contra *laicos* demum *excommunicationem* latae sententiae Episcopis reservatam.

#### §. 24.

### Reductio et condonatio Missarum.

1. — *Reductio Missarum*, id est, imminutio numeri Missarum celebrandarum, non nisi per Apostolicam Sedem fieri potest, ut declaravit S. Congr. Conc. per Decretum jussu Urbani VIII. editum et ab Innocentio XII. in Bulla *Nuper* die 23. Dec. 1697 confirmatum. Episcopi tantum reducere possunt Missas, si testator expresse hanc ipsis facultatem tribuisse dignoscatur, cum ejusdem voluntas sit religiose custodienda; quod per idem Decretum Urbani VIII. declaratum fuit. Solet autem Suprema Sedes episcopis pro eorum dioecesibus delegare facultatem reducendi onera Missarum, tradita simul instructione, cui se in peragenda reductione conformare deberent, et reservato Congregationi Concilii jure admittendi recursum.

Causas, ob quas fas est reductionem adgredi, plerumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum reddituum, qui pro oneribus implendis fuerunt assignati; aliquando vero adaucta

---

<sup>1)</sup> N. VII legatur in §. 22 praecedente ad finem n. 6.

Missarum stipendia currentia, quo nimirum fit, ut stipendium fundatum impar deprehendatur.

Ceterum beneficiati et capellani obligati vi foundationis ad celebrandum pro fundatore beneficii vel capellaniae, ad id non tenentur tempore, quo capitale dotis assignatae est otiosum et infructiferum sine ipsorum culpa. S. C. C. 7. Julii 1686 et 8. Augusti 1705.

Solae Missae perpetuae, etiam pro populo applicandae (coll. §. 21 n. 6) sunt capaces reductionis; manuales vero condonatione seu compositione supplentur.

2. — *Condonatio Missarum* est remissio obligationis, celebrandi Missas manuales (seu pro quibus stipendia accepit sacerdos), quae non sunt celebratae nec celebrari possunt. Reductio Missarum providet futuro tempori, nempe respicit Missas celebrandas; condonatio spectat Missas non celebratas, et refertur ad tempus praeteritum. Haec reservata est auctoritati Romani Pontificis, qui vel per se vel per S. Poenitentiarium, et nonnumquam per Congregationem Concilii, sed frequentius per Congregationem Fabricae S. Petri, examinatis prius omissionum causis, opportune providet, prout magis expedire iudicat, ex thesauro Ecclesiae supplendo, quidquid in oneribus implendis peccatum est; in suffragium autem et expiationem animarum, pro quibus omissa sacrificia offerri debuerant, congruum Missarum numerum celebrari quotidie mandat ab aliquibus capellanis huic muneri addictis in Vaticana Basilica, cujus Fabricae modica eleemosyna, *Compositio* dicta, pro praetermisso sacrificiorum numero persolvenda imponitur iis, qui condonationem exposcunt.

Sed haec condonatio iis tantum fit, qui „malitiose non omiserint Missas celebrandas, animo habendi compositionem“.<sup>1)</sup> Et advertat simul recurrens pro compositione, an sit recidivus; si enim talis sit, ex stylo Curiae exprimere debet in supplicatione condonationem jam habitam, quo casu obtinere adhuc poterit aliam, licet difficilius et pro majori taxa.

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 331 et 332. Benedictus XIV.: De Synodo dioec. Lib. XIII. cap. ult. (25.) Scavini: Theol. moral. universa Lib III. n. 263 et 264. Ed. 13. Mediolani 1882. Marc.: Inst. mor. T. II. n. 1619 etc. Noldin: De Sacramentis n. 190 et 191. Oeniponte 1901.

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. dioec. Lib. XIII. cap. 25 n. 15.

## III. De tempore et loco celebrationis.

## §. 25.

## Tempus celebrationis.

Tria puncta, nempe: quibus diebus, quoties in die, et qua hora Missam celebrare liceat, totidem principiis considerabimus.

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Excepta die Parasceves quotidie Missam celebrare licet; Feria V. majoris hebdomadae plures Missae non permittuntur, <sup>1)</sup> nisi *a.* propter infirmos episcopo necessarium videatur praeter solemnem aliam celebrari, <sup>2)</sup> vel *b.* festum de praecepto (s. Josephi, Annuntiationis B. V. M.) concurrat, quo casu juxta episcopi judicium aliquae Missae privatae ante solemnem celebrantur. <sup>3)</sup> Sabbato sancto Missae privatae praeter solemnem sine speciali indulto non permittuntur, etiamsi festum de praecepto concurrat. <sup>4)</sup> Festum Annuntiationis B. V. M. in feria VI. parasceves et sabbato sancto occurrens in Ecclesia universali in feriam secundam post dominicam in Albis transferendum est. <sup>5)</sup>

2. — **Principium II.** In festo Nativitatis Domini tres Missas a singulis sacerdotibus celebrari Ecclesia concedit; alias autem pluries eodem die divina mysteria peragere sacerdotibus prohibet ecclesiastica lex, excepto casu necessitatis. Etenim Innocentius III. tit. 41. c. 3 de celebr. Missarum sanxit: „*Excepto die Nativitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.*“ Quae lex potissime ob exortos abusus lata est. <sup>6)</sup> Qui die Nativitatis Domini unam tantum Missam

<sup>1)</sup> S. C. R. (918) 19. Dec. 1654, et alias. Quae decreta confirmavit Clemens XI. die 15. Martii 1712.

<sup>2)</sup> S. R. C. (1883) 13. Sept. 1692 et (2240) 12. Sept. 1716.

<sup>3)</sup> Idem Decr. S. R. C. S. Alph.: Lib. VI. n. 350. Hae Missae non de festo, sed de coena Domini celebrari debent. S. R. C. (2572) 7. Sept. 1816.

<sup>4)</sup> S. R. C. Decr. gen. (1822) 11. Martii 1690 et (2616) 31. Julii 1821.

<sup>5)</sup> S. R. C. (1822) 11. Martii 1690.

<sup>6)</sup> Benedictus XIV. in Brevi Cum nobis 26. Aug. 1748. Postquam

innuerat, plures olim fuisse dies, quibus singuli sacerdotes plus quam semel Missarum solemniter peragebant, ut praeter Natalem Domini prima dies Januarii, feria V. in Coena Domini, vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra Octavam Pentecostes, aliqui dies festi Sanctorum, ut Nativitatis s. Joannis Baptistae, ss. Apostolorum Petri et Pauli, haec subdit: „*Ut autem hujusmodi consuetudo generaliter tolleretur, et facultas celebrandi plures Missas uno die, ad solum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de causa factum est,*

celebrat, debet Missam legere, quae respondet circiter horae juxta Rubricas peculiare ejusdem diei.<sup>1)</sup> Qui primam missam prope mediam noctem celebrat, per sex circiter horas jejunos esse debet, non quidem de praecepto, sed ex convenientia.<sup>2)</sup> — Sacerdos coeutiens, cui a S. Sede potestas facta est quotidie Missam votivam de Beata celebrandi, nequit in die Natali Domini tres Missas celebrare de Beata. Ita S. R. C. (3146) 28. Apr. 1866. Sed non tenetur in festis B. M. V. Missam de festo celebrare, S. R. C. (2951) 11. Sept. 1847.

Mos in die Natali Salvatoris nostri ter sacrum faciendi, Ecclesiae Latinae proprius est, cum presbyteris Ecclesiae Orientalis interdictum sit etiam in dicta solemnitate plures missas offerre. Cf. Bened. XIV. epist. *In superiori* 29. Dec. 1755.

Casus necessitatis, quo exceptio bis celebrandi permittitur potissime obtinet: a) si parochus duarum parochiarum curam habet, et populus utriusque parochiae nequit in unam ecclesiam diebus festis ad sacrum audiendum convenire, nec alius praesto, est sacerdos, qui Missam celebret; tunc potest in duabus ecclesiis eodem die licite celebrare; b) si universus simul populus diebus praeceptis unice Missae interesse non potest; tunc enim in eadem ecclesia sacerdoti bis eodem die celebrare licet.<sup>3)</sup> Non autem excluduntur alii casus, in quibus potest gravis necessitas urgere bis celebrandi v. g. in missionibus.<sup>4)</sup> Requiritur autem ad sacrum iterato peragendum licentia episcopi, qui rem cognoscere et perspicere debet, num revera necessitas urgeat.<sup>5)</sup>

*quam ut avaritiae et sordidis quaestibus adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur; quae scilicet ex eleemosynis pro Missarum numero multiplicatis aut ortum habuerant, aut oriri posse videbantur.*

<sup>1)</sup> S. R. C. (3354) 19. Junii 1875 et (3767) 13. Febr. 1892:

<sup>2)</sup> De Herdt, t. III. n. 7.

<sup>3)</sup> Utrumque casum memorat Benedictus XIV. in Bulla: *Declarasti* 16. Martii 1746 his verbis: „*Sive Missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus — sive una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest,*“ — et addit: „*Hi quippe duo casus eodem jure*

*censendi sunt.*“ Ad quam rem Bouix: De parcho pag. 466 (Paris. 1855) observat: „Et revera, si possit parochus eodem die celebrare in duabus ecclesiis, ex ea ratione, quod alioquin trecenti v. g. parochiani Missa carebunt, cur non idem ei concederetur in eadem ecclesia, quando pariter, si unica tantum Missa celebretur, trecenti nequibunt illi interesse? Si reputetur sufficiens necessitas in priori casu, et in posteriori reputanda est.“

<sup>4)</sup> Benedict. XIV.: De Missae sacrif. Lib. III. cap. 5 n. 4.

<sup>5)</sup> Idem in Const. *Declarasti* 16. Martii 1746. S. Alphonsus: H. A. App. III. n. 127. Putat tamen Bouix op. c. pag. 467, in uno vel altero casu,

Vi facultatum quinquennialium sub n. 15 episcopi possunt sacerdotibus delegare facultatem bis in die, si necessitas urgeat, celebrandi, ita tamen, ut in prima Missa non sumpserint ablutionem. Et adjungitur, cavendum esse, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis et rarissime utantur. <sup>1)</sup>

P. M. Benedictus XIV. per Const. *Quod expensis* 26. Aug. 1748 sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus in Hispaniae et Portugaliae regnis ac dominiis commorantibus concessit facultatem perpetuo duraturam, die commemorationis omnium fidelium defunctorum tres Missas celebrandi, ita tamen ut pro prima tantum Missa stipendium accipiant.

3. — Absolute non licet sacerdoti, quicumque sit, binas Missas ex Indulto celebranti, recipere stipendium pro secunda Missa; imo parochus, qui duas parochias regit, secundam sicut primam pro populo applicare tenetur. <sup>2)</sup> Tantum ob rationes extrinsecas, nempe laboris et incommodi, potest prudenti episcopi arbitrio aliqua remuneratio permitti, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae. <sup>3)</sup> Sed *in festo Nativitatis Domini* sacerdos pro qualibet Missa potest accipere stipendium, nisi sit obligatus ad applicationem pro populo, tunc enim pro duabus tantum Missis, vid. Const. Benedicti XIV. *Quod expensis* 26. Aug. 1748.

4. — **Principium III.** Nec ante auroram, neque post meridiem Missam celebrare licet. Rubr. de def. X. n. 1. Rubr. gen. XV. n. 1. Haec autem temporis determinatio non mathematice, sed moraliter accipienda; sufficit enim, ut Missa non ante auroram terminetur, et saltem meridie incipiatur. <sup>4)</sup> — Sine rationabili causa integra hora ante auroram vel hora post meridiem celebrare, grave peccatum foret. <sup>5)</sup> Porro justa et rationabilis causa, tempus celebrationis invertendi, est: *a)* necessitas dandi viaticum moribundo, quo casu juxta plures liceret media nocte celebrare; *b)* consuetudo laudabilis, ut opifices et famuli summo mane sacro interesse possint; *c)* causa missionis, publicae supplicationis, collationis Ordinum, itineris, funeris etc. Quo major est anticipatio aut dilatio, eo gravior debet esse causa, quae excuset. Potest etiam episcopus in aliquo casu particulari ex causa rationabili dispensare. <sup>6)</sup>

---

praesertim repentino, et in quo non facilis pateat ad episcopum recursus, si aliunde certo adesse videatur sufficiens necessitas a jure requisita, non crimini vertendum parochi, quod dictam licentiam non exquirat.

<sup>1)</sup> Vid. *Acta S. Sedis* Vol. I. Appendix 1, pag. 50—54.

<sup>2)</sup> S. C. C. 25. Sept. 1858 et 22. Febr. 1862.

<sup>3)</sup> S. C. C. 23. Maji 1861.

<sup>4)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 341, et alii communiter.

<sup>5)</sup> Sic s. Alph. n. 346 ut *communius et probabilius*.

<sup>6)</sup> Idem n. 343 et 344.

In nocte Nativitatis Domini non permissum est omnes tres Missas legere. Constat ex Rubr. gen. Miss., et ex Decreto S. R. C. (752) 20. Apr. 1641 dicente, nullo modo licere, in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam alias duas immediate celebrare et communicare fideles. Et hoc Decretum ligare omnes non habentes privilegium in contrarium, declaravit S. R. C. (1761) 23. Martii 1686.<sup>1)</sup>

### Instructio Sacrae Rituum Congregationis

d. 11. Martii 1858 (n. 3068) approb. a Pio IX. circa ordinem dicendi eadem die binas Missas.

Quando Sacerdos eadem die duas Missas *dissitis in locis* celebrare debet, in prima, dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat Calicem et Palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat: *Quod ore sumpsimus etc.* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum Domine etc.* et abstergat. Hisce peractis, Calicem super Corporali manentem adhuc, deducta Palla, cooperiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde Patena ac Palla et demum Velo. Post haec Missam prosequatur et, completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altari et detecto Calice inspiciat, an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, non nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque Divini Sanguinis gutta quaedam supersit, adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem Calicis parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et superexstantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet. Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ad Altari decedat.

Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e Calice dimissa pro rerum adjunctis *vel* ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus), et in exequenda purificatione in Calicem demittatur, *vel* gossipio aut stupa absorpta comburatur, *vel* in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, *vel* demittatur in piscinam.

Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

Nota. Juxta Rescriptum S. R. C. (3798) 9. Maji 1893 sacerdos, in duabus diversis ecclesiis Missam eadem die faciens, potest deferre secum purificationem primae Missae, in aliquo vase mundo caute custoditam, ut eam cum purificatione secundae Missae sumat.

<sup>1)</sup> Ex causa rationabili potest *ex dispensatione Apostolica* (Rubr. XV. n. 4) mutatio horarum fieri. Sic S. R. C. (2676) 3. April. 1830 indulget episcopo

Gerunden., ut „*Matutinum cum prima Missa et Laudibus dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem.*“

**Locus celebrationis.**

Duplex distinguitur locus celebrationis: *remotus*, qui est ecclesia, et *proximus*, qui est altare. Hinc duo sint

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Juxta legem generalem celebrare Missam non licet nisi *in ecclesia consecrata vel benedicta, non polluta, non execrata vel interdicta*. Constat ex multis locis juris canonici. Singula autem expendenda sunt.

1. Missam celebrare non licet, nisi *in ecclesia*;<sup>1)</sup> etenim Concilium Trid. Sess. 22. in Decreto *de observ. et evit. in celebr. Missae* prohibuit episcopis, ne patiantur celebrare Missam omnino extra ecclesiam. Cum vero oratoria publica de licentia episcopi exstructa (coll. Lib. II. §. 65 n. 9) sint verae ecclesiae, in illis sacerdotes divinum mysterium peragere possunt quovis tempore, etiam festis solemnioribus; quod ipsum Trid. Concilium in Decr. cit. indicat adjungens, episcopis prohibitum esse, ne patiantur — *extra Oratoria ad cultum divinum dedicata, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda*, hoc sacrificium peragi; talia enim sunt Oratoria publica. Ad haec referuntur etiam oratoria semipublica, quae in loco quodammodo privato vel non absolute publico erecta sunt auctoritate Ordinarii, et commodo alicujus communitatis vel personarum coetus inserviunt. Decr. S. R. C. (4007) 23. Jan. 1899.

Ab hac lege duplex datur exceptio: a) Potest ex privilegio Pontificio in Oratoriis privatis sacrum celebrari, sed unicum tantum, si in indulto dicitur (ut consuetum est): *una Missa quotidie celebratur*; exceptis diebus per se solemnioribus,<sup>2)</sup> et requiritur, ut intersit aliqua ex personis, quibus Indultum directe concessum est.<sup>3)</sup> b) Gravi eaque publica urgente necessitate potest sacerdos, petita prius, si fieri possit, licentia episcopi, celebrare Missam extra ecclesiam vel sacellum, modo locus, in quo sacrum peragitur, sit honestus et instructus necessariis ad celebrandum. Porro talis

<sup>1)</sup> Si post altare stet sacristia, ab ea egrediendum est e parte Evangelii, et ad illam accedendum e parte Epistolae. S. R. C. (3029) 12. Aug. 1854.

<sup>2)</sup> Illi per se sunt solemniores, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum et de praecepto servantur. V. Lib. II. §. 65 n. 9.

<sup>3)</sup> S. Alph. H. A. App. III n. 114.

necessitas obtinere censetur, cum desit ecclesia, vel ecclesia non possit continere multitudinem et urgeat praeceptum celebrandi aut audiendi sacrum; item tempore belli, persecutionis, quibus in circumstantiis quovis in loco celebratio permittitur. <sup>1)</sup> Vi facultatum quinquennialium sub n. 15 episcopi possunt sacerdotibus communicare facultatem *sub dio* celebrandi. Celebrare *in navi* numquam licet, nisi ex indulto a Pontifice impetrato. <sup>2)</sup>

Episcopus post Concil. Trid. Sess. 22. Decr. *de obs. in celebr. Miss.* non potest amplius ut olim concedere facultatem celebrandi in Oratorio domus privatae, *nisi tamen magnae et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum.* S. C. Conc. die 20. Dec. 1856. <sup>3)</sup>

2. Ecclesia, in qua Missa celebratur, debet esse *consecrata* (seu dedicata) vel saltem *benedicta*. Ecclesiam consecrare, solius est episcopi; ad benedictionem novae ecclesiae vel Oratorii publici potest episcopus suo jure simplicem sacerdotem delegare. <sup>4)</sup> Oratoria privata ritu pro ecclesiis vel publicis Oratoriis in Rit. Rom. praescripto numquam consecrantur nec solemniter benedicuntur; benedici tamen possunt benedictione loci vel domus novae, quae habetur in eodem Rituali Romano, <sup>5)</sup> et privatim fieri potest a quolibet sacerdote et quocumque tempore. <sup>6)</sup>

3. Ecclesia, ut in ea licite celebretur, nec *polluta* neque *execrata* neque *interdicta* sit. Celebrans in ecclesia *polluta* vel *execrata*, antequam reconcilietur et ad divinum cultum deputetur, graviter peccat, excepto casu gravis et urgentis necessitatis (prout si desit alia ecclesia, in qua populus audiat Missam) cum venia episcopi, si adiri possit. <sup>7)</sup> Qui in loco *interdicto* celebrat, simul *irregularitatem* incurrit, <sup>8)</sup> atque *interdictum ab ingressu ecclesiae*, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, competenter satisfecerit, ex Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. de Interd. §. 2.

---

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: „Lex, quae prohibet, ne quis Missam alibi celebret, quam in ecclesia aut Oratoriis publicis privatisque, exceptionem admittit, si Missa, quae omnino celebranda sit, non possit in ejusmodi locis celebrari; nam eo in casu licet sacrificium ubique facere, dummodo locus, in quo fit, nihil indecori habeat.“ De sacr. Missae Lib. III. cap. 6 n. 7. S. Alph.: Lib. VI. n. 356.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV.: De Missae sacrif. Lib. III. cap. 6 n. 11.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph.: Lib. VI. n. 359.

<sup>4)</sup> De Herdt: Praxis s. liturgiae Tom. III n. 292.

<sup>5)</sup> S. R. C. Decr. gen. (4025) 5. Junii 1899.

<sup>6)</sup> De Herdt: Op. c. n. 299.

<sup>7)</sup> Benedictus XIV. op. c. Lib. III. cap. 7 n. 4. S. Alph. n. 361.

<sup>8)</sup> Vid. Benedictus XIV. l. c.



Hic notetur Rubrica X. *de defectibus* n. 2: *Si sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa; si post Canonem, non dimittatur.* Porro ecclesia profanata statim ss. Sacramentum auferri debet, si tamen alia adsit ecclesia vicina.

2. — Duplex hic oritur quaestio: 1. *Quomodo ecclesia polluatur et reconcilietur?* et 2. *Quomodo ecclesia excretur et ad cultum divinum idonea reddatur?*

Resp. ad 1. Ecclesia *polluitur* generatim per actiones criminosas vel maxime indecentes, quae adversantur sanctitati loci, in quo immaculata hostia offertur et sacra mysteria peraguntur. In specie: *a)* per homicidium voluntarium in ea perpetratum, etiam sine sanguinis effusione v. g. ope veneni cap. *Proposuisti*, de consecr. eccl.; *b)* per injuriosam et notabilem sanguinis humani effusionem, percussione, ictu lapidis, glande plumbea etc., licet vulnerans existat extra ecclesiam, cap. *Si Ecclesia* de consecr. eccl.; *c)* per voluntariam seminis humani effusionem, sive effusio sit secundum sive contra naturam, sive per copulam alias licitam sive per illicitam, ex textibus allatis secundum communem sententiam; *d)* per sepulturam excommunicati non tolerati, cap. *Consuluisti* de consecr. eccl.; *e)* per sepulturam infidelis, non baptizati, cap. *Ecclesiam* de consecr., non vero, saltem *probabilius*, catechumeni, qui jam professione est fidelis, nec infantis, cujus parentes sunt fideles.<sup>1)</sup> Sed ut polluta censeatur ecclesia, actiones praedictae debent esse *notoriae*, ita ut nullo modo celari possint; porro fieri *in ipsa ecclesia*, non vero in turri, tecto, sacristia aliisque cameris ecclesiae adhaerentibus.<sup>2)</sup>

Ecclesia polluta *reconciliari* debet, et quidem *a)* si fuerit *consecrata*, juxta ritum Pontificalis Rom.<sup>3)</sup> non nisi ab episcopo dioecetano vel ex ipsius commissione ab alio episcopo reconciliari potest;<sup>4)</sup> a simplici sacerdote tantum, si obtinuerit facultatem ab Apostolica Sede (qualem Superiores Regularium pro suis ecclesiis

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. op. c. Lib. III. cap. 7 n. 4. S. Alph. n. 362—366. La Croix: Lib. VI. P. 2. n. 287 et seq. Gousset Th. m. P. II n. 310.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 362 et 364.

<sup>3)</sup> *Casus specialis*: Quum sacerdos quidam S. R. Congregationem rogarit, ut declarare dignaretur: Num ecclesia

consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali Rom. praescripta? S. R. C. respondendum censuit: *Ad cautelam esse reconciliandam.* Die 27. Febr. 1847 n. 2938.

<sup>4)</sup> S. R. C. (611) 19. Aug. 1634.

habent) vel ab episcopo, cui concessa est facultatis delegatio; quo casu sacerdos delegatus uti debet aqua ab episcopo benedicta vel, si episcopus longius distet aut necessitas urgeat, aqua a se benedicta.<sup>1)</sup> b) Si ecclesia fuerit tantum *benedicta*, a simplici sacerdote valide reconciliari potest aqua a se benedicta juxta formam in Rit. Rom. descriptam, quin requiratur episcopi delegatio;<sup>2)</sup> ubi vero tempus permittit, petenda est episcopi licentia. —

Ecclesia polluta non dicitur reconciliata per celebrationem Missae, et ideo debet reconciliari juxta Pontificale. S. R. C. (611) 19. Aug. 1634.

Resp. ad 2. Ecclesia *execratur*, quando parietes secundum majorem partem destruuntur; secus, si una pars minor post aliam, quamvis per intervalla ecclesia *tota* nova fiat, quia major pars trahit ad se minorem.<sup>3)</sup> Non *execratur*, quando parietum crusta vel partim vel integre aufertur. S. R. C. (3907) 19. Maji 1896. Si unus paries destruat, pariter videtur desinere consecratio, quia desinit forma templi.

Ecclesia *execrata*, iterum benedicenda vel consecranda est juxta formam pro benedictione vel consecratione ecclesiae praescriptam.

Nota. Occasione divinorum officiorum in ecclesia admitti non debent nisi vexilla religiosa, et pro quibus habetur formula benedictionis in Rit. Rom. S. R. C. (3679) 14. Jul. 1887.

3. — **Principium II.** Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse *lapideum*,<sup>4)</sup> ab episcopo

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 363: „— modo adhibeatur aqua benedicta ab episcopo vel a seipsis (sacerdotibus), si distet episcopus duabus dietis seu 14 horis.“ Per facultates quinquennales sub n. 11 conceditur episcopis facultas delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem — — *reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab episcopo*

<sup>2)</sup> Benedictus XIV De Syn. Dioces. Lib. III. cap. 15 n. 2 scribit: „Si (ecclesia) *simpliciter benedicta fuerit, tunc idem Gregorius IX.* (in cap. *Si ecclesia*, de consecr eccl.) *statuit, nulla*

*praecobtentata delegatione per simplicem sacerdotem, adhibita aqua benedicta, quam sanctam sive lustralem vocant, posse ecclesiam pollutam reconciliari.*“

<sup>3)</sup> Ecclesia non *execratur*, si tectum corruat; quia *consecratio est in parietibus*. S. Alph. Lib. VI. n. 368.

<sup>4)</sup> Altare tam fixum quam portatile debet constare uno et integro lapide, et non pluribus lapidibus ad formam unius unitis; secus altare non potest valide ac licite consecrari. S. R. C. (3907) 19. Maji 1896. Tolerari nequit altare portatile ex lapide puniceo seu ex gypso constans. S. R. C. (4032) 13. Junii 1899.

*consecratum, fixum vel portatile, 1) cum sepulcro reliquiarum 2) per operculum clauso. Constat ex Rubr. Miss. XX. de praepar. altaris, et ex Decretis S. R. C.*

Altare fixum amittit consecrationem, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur (secus, si integrum altare in alium locum transferatur), aut per fracturam mensae vel per se enormem ob quantitatem vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset, 3) porro dum ecclesia polluitur (non autem, dum execratur). 4) Altare sive fixum sive portatile amittit consecrationem, si frangitur sepulcrum seu repositorium reliquiarum, si frangitur operculum seu lapis parvulus, 5) quo sepulcrum clauditur, si hic lapis amovetur, si reliquiae subtrahuntur vel amittuntur.

Pro praxi memoratu dignae sunt declarationes S. R. C. sequentes:

---

1) Altare *fixum* est lapis altaris superficiem tegens, qui structuræ inferiori — cujus saltem latera seu columellae, quibus mensa sustentatur, ex lapide esse debent juxta S. R. C. (3364) 7. Aug. 1875 — caemento jungitur et adhaeret et cum ea unum totum efficit; *portatile* seu ara lapidea est simplex lapis consecratus, qui absque nexu mensae altaris ex ligno aliave materia confectae inseritur, de loco in locum transferri ac modo in uno, modo in alio altari servire potest. — Addi meretur, *portatile* in medio mensae esse ponendum, non nimis ab anteriori parte removendum *et aliquantulum elevandum*, ut ejus limites facile dignosci possint, et ne detur periculum consecrandi extra illud; item *portatile* in altari, in quo hostiae pro communionem consecrantur, tam amplum esse debere, ut etiam Ciborium capiat. De Herdt: Praxis lit. sacr. Tom. I. n. 176.

2) Reliquiae necessariae sunt ad altaris consecrationem, quod potissime ex eo constat, quod plura Decreta S. R. C. declarant execratum altare, a quo removentur reliquiae

vel frangitur sigillum S. Alph. n. 369, Dub. 1.

Reliquiae, quae altari includuntur, *Martyrum* esse debent S. R. C. (2777) 6. Oct. 1837, et solum permittitur, ut cum his reliquiae *Confessorum* uniantur, illorum praesertim, in quorum honorem ecclesia vel altare dedicatur; porro *pars aliqua corporis* reponenda est, non vestis aut quid hujusmodi; atque *plurium* sanctorum reliquiae altari inseri debent, quum celebrans dicat: *quorum reliquiae hic sunt*, osculando altare. De Herdt: Tom. I. n. 178.

3) Instr. S. R. C. (2777) 6. Oct. 1837. Non autem per modicam fracturam in uno vel altero cornu, neque si aliqui tantum lapides structuræ inferioris altaris fixi dimoveantur, modo altare ipsum maneat moraliter integrum.

4) Polluta ecclesia etiam altaria ejus fixa sunt polluta, non tamen execrata ecclesia sunt simul execrata altaria.

5) Qui etiam „sigillum“ appellatur. S. Alph. n. 369, Dub. 2.

Execratum haberi debet altare fixum, cujus mensa lapidea scissa est in duas partes fere aequales, ita tamen, ut ejusmodi scissura maxime afficiat sepulcrum reliquiarum, neque ambae partes sejunctae sint a gradibus superioribus altaris ipsius aut a stipitibus suppositis. Die 23. Junii 1879 n. 3497.

Altare portatile consecrationem amisisse censendum est ex eo, quod lapis sepulcri reliquiarum, aliquas habeat scissuras, quae vero sic inter se adhaerent, ut nullimode dubitari possit de reliquiarum authenticitate. Die 23. Junii 1879 n. 3497.

Altaria fixa, quorum sepulcra per parochos olim aperta sunt et post repertas sacras reliquias iterum clausa, pro execratis habenda sunt. Die 31. Aug. 1867 n. 3161.

4. — Uterque locus sanctissimi sacrificii prae se fert mysticam *significationem*. Videlicet *templum* significat Ecclesiam catholicam, cujus lapides sunt fideles, lapis angularis Christus Dominus; quod convenienter *consecratur* seu benedicitur ad repraesentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi. Per *altare* significatur Christus, unde et *consecratio* altaris significat sanctitatem Christi. <sup>1)</sup> *Lapideum* est, quia lapidi et petrae Christus in s. scriptura comparatur. Reconduntur in illo *reliquiae Sanctorum*, quorum quippe vita abscondita fuit cum Christo in Deo. <sup>2)</sup>

## §. 27.

### Altaris ornamenta.

1. — *Altare operiatur tribus mappis ab episcopo vel alio habente potestatem benedictis, simul ornetur antependio; super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis in utroque ejus latere, ad crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata.* Rubr. Miss. XX. de praepar. altaris et ornamentorum ejus.

2. — *Mappae* seu tobaleae praescribuntur ad operiendum altare, ob reverentiam tanto mysterio, quod in illo peragitur, debitam, nec mystica carent significatione. Sicut enim altare designat Christum Dominum: ita *altaris linteamina* apte significant fideles, quibus Dominus quasi vestimentis nitidis et decoris circumdatur, ut ait Psalmista (Ps. 92, 1): *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Sic Pontif. Rom. de Ordinatione Subdiaconi. Mappae debent esse

<sup>1)</sup> Pontif. Rom. de Ordin. Subdiaconi: „*Altare quidem sanctae Ecclesiae ipse est Christus, teste Joanne etc.*“ Offic. dedic. Basilicae ss. Salvatoris

die 9. Nov. Lect. IV.: „*Altare — chrismate delibutum Domini nostri Jesu Christi figuram exprimit.*“

<sup>2)</sup> S. Thomas: 3. p. 83 a. 3 ad 2.

ex lino vel cannabe,<sup>1)</sup> quibus justificatio fidelium designatur (Apoc. 19, 8). *Tres* requiruntur, vel saltem una separata et altera duplicata. In necessitate cum una tantum celebrari potest, ut ad dandum viaticum, aut ut populus audiat Missam de praecepto. Sine ulla mappa celebrare, non excusatur a mortali.<sup>2)</sup> Debent esse *benedictae*, sed tantum sub peccato veniali,<sup>3)</sup> et quidem ab episcopo, qui sine speciali indulto Sedis Apostolicae aliis facultatem delegare non potest. S. R. C. (2377) 16. Maji 1744.

*Antependium* (pallium in Rubr. appellatum) requiritur sub veniali, nisi altare marmoreum vel per modum tumbae confectum sit.<sup>4)</sup> Non praecipitur, ut benedicatur, nec determinata est materia, ex qua conficiatur.<sup>5)</sup> Si commutari commode possit, juxta Rubricam conveniens sit diei festo vel officio.

„Nullae coronides lignae circa altaris angulos duantur“ (ad mappas in altari firmandas), ex Caeremon. Episc.

3. — *Crux* in altari, in quo celebratur, posita esse debet, ut ab aspectu crucis sacerdoti celebranti et populo passio Christi in memoriam revocetur, cujus passionis viva imago et realis repraesentatio hoc sacrificium est. Requiritur sub veniali, nisi in altari adsit magna statua ss. Crucifixi, quae sufficiens est S. R. C. (1270) 16. Junii 1663, vel imago Crucifixi depicta sit in tabula altaris tamquam primum locum obtinens, ut dicit Benedictus XIV. in Const. *Accepimus* 16. Julii 1746. Si Missa *exposito* ss. *Sacramento* celebretur, crux ponatur vel non, juxta locorum consuetudinem. Benedict. XIV. Const. cit. Crux non exigua, sed adeo magna esse debet, ut celebrans et populus eandem commode aspicere possint. Idem S. P. Const. cit. *Nec sufficit parva crux tabernaculo infixae*, sed requiritur crux inter candelabra sita, visibilis tam celebranti quam populo. Benedict. XIV. Const. cit.<sup>6)</sup> S. R. C. (2621) 17. Sept. 1822.<sup>7)</sup> Convenit, ut sit ex eodem metallo seu materia,

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 375, Dub. 3 observans, cannabe et linum juxta communem usum indifferenter sumi. Praeceptum hoc innovatum est per Decr. gen. S. R. C. (2600) 15. Maji 1819.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 374, 375. H. A. App. 3 n. 116.

<sup>3)</sup> Idem n. 375, Dub. 3.

<sup>4)</sup> Idem n. 395.

<sup>5)</sup> Idem l. c. De Herdt: Tom. I. n. 167 et 180.

<sup>6)</sup> Ita loquitur: „Juxta sensum Congregationis sacrorum Rituum *non satis* esse judicatur (ad celebrandam Missam) *exiguus Crucifixus tabernaculo infixus*.“

<sup>7)</sup> Ad dubium: An, et quibus remediis removendus sit abusus collo-

ex qua sunt candelabra, et ut iis superemineat. Caerem. Ep. Necessesse non est, ut benedicatur; potest autem a simplici sacerdote privatim benedici. S. R. C. (2143) 12. Julii 1704. Juxta Rubr. de ritu celebr. n. 2 *crux imagine Crucifixi sit instructa*, itemque Constitutio Benedicti XIV. die 16. Julii 1746 nec non S. R. C. Decreta passim loquuntur de cruce cum imagine Crucifixi. <sup>1)</sup>

Ad crucis pedem tabellam Secretarum statuendam Rubrica indicat; tabellas laterales usus introduxit.

4. — *Lumina* in altari, in quo divinum sacrificium peragitur, accensa esse debent ad symbolice designandum Christum Dominum, qui est lux mundi, ad reverentiam sacris mysteriis ostendendam, solemnitatem et laetitiam augendam, fidem et devotionem sacerdotis celebrantis populique sacro assistentis excitandam.

Sine lumine celebrare non licet, neque ad viaticum ministrandum, idque prohibitum est sub peccato mortali. <sup>2)</sup> S. C. de Propaganda fide interdum ex Apostolica venia indulget, ut Missionarii celebrarent absque luminibus. <sup>3)</sup> Apud nos unicus excipitur casus, scilicet quando post consecrationem omne lumen exstinguitur nec aliud haberi potest; tunc enim sacrificium perficiendum est. <sup>4)</sup>

Requiruntur *duo lumina*; unico celebrare Missam, secluso scandalo peccatum veniale erit, a quo tamen causa rationabilis celebrandi excusabit, si alterum lumen reperiri nequeat et scandalum absit. <sup>5)</sup> Sed hujusmodi casus vix practicus erit. — Coram exposito SS. Sacramento requiruntur lumina ad minus sex, S. R. C. (1992)

candi parvam crucem vix visibilem vel supra tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit: Em. S. R. C. praepositi respondendum censuerunt: *Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis. Quodsi ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux sita inter candelabra, alia tempore Sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti quam populo.* Die 17. Sept. 1822. Facta autem de praemissis SSo D. N. Pio VII. P. M. relatione SS. cuncta benigne

approbavit, Decretumque desuper expedire, et publici juris fieri mandavit, locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, mense et anno, quibus supra.

<sup>1)</sup> S. R. C. (1270) 16. Junii 1663.

<sup>2)</sup> Benedict. XIV.: De Missae Sacr. L. III. cap. 7 n. 2. S. Alph. L. VI. n. 394.

<sup>3)</sup> S. R. C. (2985) 7. Sept. 1850.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 394.

<sup>5)</sup> Benedictus XIV.: l. c. — S. Alph. 394, Dub 2. De Herdt: Tom. I. n. 184.

15. Mart. 1698; in missis de Requite cum cantu, saltem quatuor. S. R. C. (3029) 12. Aug. 1854.

Lumen debet esse *ex cera* Rubr. *de def.* X n. 1, S. R. C. (2865) 16. Sept. 1843, nisi aliud ex indulto Apostolico permittatur.<sup>1)</sup>

Ideo autem *cerei* requiruntur, quia ab antiquissimo tempore in liturgia sacra adhibentur ob mysticam significationem. Etenim *cera*, quam apes virgineae gignunt ex floribus odoriferis, significat carnem Christi factam ex Virgine virtutibus florida, *lychnum* in cera latens significat animam candidissimam in carne latentem, *lumen* seu ignis significat divinitatem Christi. Et licet duae ultimae proprietates etiam in aliis candelis habeantur, prima tamen solis convenit cereis. Itaque candelis ex *sebo* vel *stearina* confectis uti non licet;<sup>2)</sup> tantum urgente gravi necessitate celebrandi, ut e. g. viaticum moribundo ministrari vel populus Missam de praecepto audire possit, hujusmodi candelas, cereis deficientibus, adhibere licitum communiter autumant, dummodo scandalum absit.<sup>3)</sup>

Plures quam duo cerei in altari accendi nequeunt, dum Missam privatam celebrant simplices sacerdotes, canonici, abbates, aliique usum Pontificalium habentes, qui sunt episcopo inferiores.<sup>4)</sup>

Nota. Ad quaestionem: Utrum lux electrica adhiberi possit in ecclesiis? respondit S. R. C. (3859) 4. Junii 1895: „Ad cultum, Negative. Ad depellendas autem tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas, Affirmative; cauto tamen, ne modus speciem prae se ferat theatralem.

<sup>1)</sup> S. C. de Propag. fide interdum ex venia Apostolica indulget, ut Missionarii possint uti oleo in Missae celebratione loco cerae, et deficiente etiam oleo celebrare absque luminibus, ut superius retulimus. Et quum Missionariis in Oceania non parum displicuerit, absque luminaribus sacrosantum celebrare sacrificium, S. R. C. a S. Cong. de Prop. fide inquisita die 7. Sept. 1850 ad illorum preces censuit, permitti posse usum candelarum, quae illis in regionibus sunt in usu, quaeque efformantur ex oleo seu adipe Ceti, praevia necessaria purificatione, et communiter *Spermaceti* appellantur. Decreta authentica S. R. C. n. 2985.

<sup>2)</sup> Super usu novarum candelarum ex *stearina* confectarum instantibus nonnullis episcopis, permultisque

cereorum fabricatoribus, cum episcopo Massiliensi — rescriptum fuit: *Consultantur Rubricae*. S. R. C. (2865) 16. Sept. 1843.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 394, *Dub. 1. Benedict. XIV. op. c. Lib. III. cap. 7 n. 2.*

<sup>4)</sup> In celebratione missae privatae Canonici tam cathedralis quam collegiatae eccl. sive alius quilibet sacerdos episcopo inferior, non possunt adhibere ultra duas candelas in altari. S. R. C. (1771) 20. Julii 1686 et (2984) 7. Sept. 1850. Item prohibuit Vicarium generalem in Missa privata quatuor candelas accensas adhibere. Die 26. Jan. 1658 n. 1051. Idem de abbatibus et praelatis die 2. Dec. 1673 n. 1493, die 22. Martii 1710 n. 2201.

## §. 28.

**De festo Patroni et Tituli ecclesiae.**

1. — *Titularis sive Patronus ecclesiae is dicitur, sub cujus nomine seu titulo ecclesia fundata est, et a quo appellatur.* Patronus autem loci proprie is est, quem certa civitas, dioecesis, provincia, regnum etc. sibi delegit velut singularem ad Deum patronum. S. R. C. (3048) 9. Maji 1857. Omnis patronus quidem titulus, sed non omnis titulus potest patronus esse; siquidem titulus ecclesiae etiam aliquod mysterium Dei esse potest.

2. — *Festum patroni et tituli ecclesiae celebrandum est in die propria, scil. si sit mysterium, in die qua ab Ecclesiam recolitur, si sit Sanctus, in die qua per Decretum Apostolicum assignatur; si ita non assignetur, in die qua in Martyrologio Rom. notatur.* [Si titularis sit ss. Salvator, festum ejus est Transfiguratio Domini adeoque die 6. Augusti celebrandum. S. C. R. (2439) 29. Nov. 1755 et (2721) 23. Maji 1835. Si B. V. Maria fuit electa Patrona absque assignatione festivitatis, festum Assumptionis B. M. V. habendum est pro titulari. S. R. C. (2529) 10. Mart. 1787.]

3. — *Celebratur sub ritu dupl. 1. cl., Gloria et Credo cum Octava a clero ecclesiae adscripto.*

Si festum patroni vel tituli ecclesiae occurrit in Dominicis 1. cl., in festo Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, in festo vel die Octava Epiphaniae, in die Circumcisionis, in Ascensione Domini, in festo Corporis Christi, in festo Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. Virginis, in festo s. Josephi Sponsi ejusdem, et omnium Sanctorum, in primario festo ss. Apostolorum Petri et Pauli, atque Nativitatis s. Joannis Bapt., in feria IV. Cinerum, in tota majori hebdomada, infra Octavas Paschatis et Pentecostes, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes: tunc *transfertur* in primam diem festo dupl. vel semidupl. non impeditam. Infra Octavam Nativitatis Domini et Epiphaniae fit de Patrono vel Titulari Ecclesiae cum commemoratione Octavae.<sup>1)</sup> Rubr. Breviarii IX. n. 3, X. n. 1 et 2, VII. n. 3, et Tabella I. *Notandum.* 1. Decr. S. C. R. (2988) 29. Mart. 1851.

---

<sup>1)</sup> Observanda casu, quo patronus Domini occurrat, v. apud De Herdt: vel titularis infra Octavam Nativitatis Tom. III. n. 9.



Dies octava nunquam transfertur. Si festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur *sine Octava*, nisi Titularis ecclesiae *privilegio* aliter fieri oporteat. Rubr. Brev. X. n. 1.

Quando festum patroni vel tituli ex Indulto Apostolico (uti apud nos propter concursum populi) non in die fixo, sed in dominica subsequente *pro foro* celebratur, Officium et Missa in ipsa die celebranda sunt. et *sola solemnitas* est differenda, ita ut in Dominica *una* cantari possit Missa de festo tamquam *Missa votiva sollemnis* cum *Gloria* et *Credo*, cum unica Oratione atque cum Evangelio s. Joannis in fine. Si autem talis festivitas in Dominica sequenti (si est Dom. 1. cl. vel festum 1. cl.) impeditur, tunc transferri potest in Dominicam proxime antecedentem S. R. C. (2761) 11. Martii 1837 Bajocen.<sup>1)</sup>

Sumitur Missa propria, si habeatur, secus de Communi.

4. — *Officium* divinum quod attinet, *in die festo* recitatur proprium, si habeatur, alioquin Officium de Communi Sanctorum. Et quidem:

In I. *Nocturno* numquam leguntur 3 Lectiones de Scriptura occurrente, sed aut propriae, si adsint, aut de Communi Sanctorum ex 1. vel 2. loco, prout lectiones III. Nocturni desumuntur ex 1. vel 2. loco; ex quo enim loco lectiones III. Nocturni sumuntur, ex eodem in I. Nocturno sumendae sunt. Si autem Evangelium III. Noct. cum Lectionibus sit proprium, lectiones I. Nocturni sumi possunt vel ex 1. vel ex 2. loco, prout festo magis accommodatae videntur.

Ergo in III. *Nocturno* sumuntur lectiones propriae, si praesto sint, secus ex 1. vel 2. loco de Communi, prout festo magis convenientes videntur; et secundum hanc electionem sunt eligendae lectiones I. Nocturni, ut dictum est.

In II. *Nocturno* pariter sumuntur lectiones propriae, si adsint, secus de Communi Sanctorum. Optime tunc sumuntur de Communi 1. loco, ut infra Octavam aliae in 2. loco positae legantur.

---

<sup>1)</sup> Si festum patroni vel tituli transferri debet, in die propria praeter Missam de die permittitur una *Missa votiva sollemnis* de patrono vel titulo, exceptis Domin. 1. cl., die 4. Cinerum, tota Hebdom. majori, festis Resur-

rectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, festo Nativ. Domini, Epiph., Ascensionis et Corporis Christi. Rubr. Missal. Tit. VI. de Transl. fest.

Oratio recitatur vel propria vel, hac deficiente, una de Comuni Sanctorum, quae festo magis conveniens videtur. In Missa eadem Oratio idemque Evangelium sumi debet ut in Breviario.

*Infra Octavam* Missa et Officium fit de Octava sub ritu *semi-dupl.*, nisi Officium et Missa de aliquo festo *dupl.*, *semidupl.* aut de Dominica fieri debeat; tunc enim tantum fit Commemoratio Octavae patroni in Laudibus et Missa. In festis *dupl.* 1. et 2. cl. commemoratio Octavae prorsus omittitur.

*Infra Octavam* (diebus nempe non impeditis per festum *dupl.*, *semidupl.* et Dominicam, ut diximus) Lectiones

I. *Nocturni* semper sumuntur de Scriptura occurrente, nisi speciales lectiones e. g. pro feriis majoribus in Directorio assignentur.

In II. *Nocturno* lectiones diei festi repetendae sunt, si hoc festum non habeat Commune Sanctorum; si autem habeat Commune, in II. *Nocturno* diei festi leguntur lectiones propriae; deinde prima die, qua fit de Octava, de Comuni 1. loco; secunda die *infra Octavam*, de Comuni 2. loco. Si festum proprias II. *Nocturni* non habeat lectiones, in die festo leguntur de Comuni 1. loco, et deinde prima die *infra Octavam* de Comuni 2. loco. Exhausto Comuni, repetuntur iterum de Comuni prius ex 1. deinde ex 2. loco usque ad diem Octavam, in qua propriae diei festi lectiones resumuntur.

In III. *Nocturno* lectiones diei festi repetendae sunt, quia Evangelium Breviarii cum Evangelio Missae concordare debet. Possunt lectiones *infra Octavam* etiam sumi ex *Octavario Romano*,<sup>1)</sup> ut pro II. ita etiam pro III. *Nocturno*.

In Dominica *infra Octavam*, si festum duplex non occurrat, fit *de ea* cum Commemoratione Octavae (non dicuntur preces nec suffragia). In Missa duae tantum dicuntur orationes (de Dominica et *commem.* Octavae), nisi Commemorationes Sanctorum in Directorio praescribantur. Adhibetur color Octavae, exceptis illis Dominicis, quibus tribuitur color violaceus.

*In die Octava* officium est duplex, et omnia dicuntur ut in die festo; lectiones tamen I. *Nocturni* sunt de Scriptura occurrente, nisi aliae speciales lectiones in Directorio sint praescriptae. In II. et III. *Nocturno* propriae, vel de Comuni recitantur lectiones.

---

<sup>1)</sup> Editio novissima a S. R. C. approbata: Ratisbonae, sumptibus Fr. Pustet, 1883.

Si in die Octava occurrat festum dupl. 1. vel 2. cl. aut alia dies Octava dignior: tunc diei Octavae tantum fit Commemoratio in utrisque vesperis, Laudibus et Missa. Quodsi aliud festum, tunc observetur Rubr. Brev. X. de translatione festorum emendata per Breve Apostolicum diei 28. Julii 1882.

5. — Si festum patroni *infra suam Octavam* transfertur: tunc ab Octava supprimendi sunt dies, qui transacti sunt ante festi celebrationem, ita ut, si festum transferatur in diem immediate sequentem, omittatur prima dies Octavae, si in diem secundam, omittatur dies prima et secunda Octavae, et sic deinceps. Si ergo festum infra suam Octavam transferatur, non ideo Octava prolongatur, neque dies Octava transfertur, sed de hac fit Officium duplex in ipsa die, quae alias erat Octava, si festum non fuisset translatum. Rubr. Brev. X. n. 1.

Si festum patroni vel titularis venerit in Quadragesima, omittitur Octava, et tantum una die celebratur. Quodsi paulo ante Quadragesimam venerit, et jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima nil amplius fit de ea nec Commemoratio. Et idem servetur de Octava nondum absoluta, quando supervenit festum Pentecostes et dies 17. Decembris. Rubr. Brev. VII. n. 1.

6. — *Quomodo recitandum est officium patroni conjunctum cum officio Sociorum?*

Si occurrat, ut patronus aut titulus Ecclesiae descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis, *qui separari queunt*, in ea Ecclesia fit tantum de patrono vel titulari. Alii si in dicto Calendario descripti sint sub ritu duplici majori vel minori aut semiduplici, transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fit officium semiduplex. Si vero sint ex duplicibus 1. aut 2. classis, similiter in diem primam liberam transferuntur et de eis fit officium sub eodem ritu, ac si propria die celebrarentur. Si tandem in Calendario omnes sint tamquam festum simplex, de eis nihil fit. Rubr. gen. Brev. post tabellam „Si occurrat“ Not. 8.

7. — Praeter Ecclesias Cathedrales, collegiatas et parochiales *in quibusvis ecclesiis publicisque oratoriis*, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, pro Missis celebrandis sacrisque aliis etiam solemnioribus functionibus peragendis ab Ordinario destinatis; publico fidelium usui libere plus minusve deservientibus, festum titularis quotannis est recolendum sub ritu dupl. 1. cl. cum octava

a toto Clero, si extiterit, vel a Sacerdote rectore ecclesiae aut publico oratorio addicto per integrum officium; secus deficiente quovis Clero per solas Missas juxta Rubricas. *In oratoriis autem*, quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus domibusque Regularium festum titularis non est celebrandum, nisi in casu quo aliqua ex eis consecrata vel solemniter benedicta sub formula in Rit. Rom. praescripta fuerint. Decr. gen. S. R. C. (4025) 5. Junii 1899.

#### IV. De vasis sacris et paramentis.

##### §. 29.

##### Vasa sacra.

1. — Ad sacrosanctum crucis mysterium in altari renovandum requiritur *Calix aureus vel argenteus, aut saltem cuppam argenteam habens intus inauratam, ab episcopo consecratus, cum Patena ex auro vel argento deaurato ab episcopo pariter consecrata*. Ita Rubr. Miss. I. de praepar. sacerdotis n. 1 et X. de def. n. 1, quae consonat cum jure communi can. *Ut calix*, de consecr. Dist. 1.

*Calix et patena* sub mortali requiruntur ad sacrificium altaris peragendum, et sepulcrum Domini nostri Jesu Christi significant. <sup>1)</sup>

Calix, ut ex Rubr. commemorata novimus, debet esse *aureus vel argenteus*, vel saltem cuppam habere argenteam intus deauratam. Permittitur in Rubr. de def. X. n. 1 etiam *stanneus*, in casu paupertatis; non autem aereus ob aeruginem, nec vitreus ob fragilitatem, neque ligneus ob porositatem. Patena pariter saltem *argentea* et intus deaurata esse debet. Sacerdos consecrans in calice non inaurato, si non graviter, certo venialiter peccaret. <sup>2)</sup> — Ciborium debet esse aureum vel argenteum, intus deauratum. <sup>3)</sup>

Concilium nostrum Provinc. Tit. III. cap. 4 praescribit: „*Calicis et Ciborii cuppa saltem, nec non Ostensorii lunula ex argento sive auro confecta et, nisi aurea, intus inaurata sint.*“

<sup>1)</sup> Nimirum in Consecr. Calicis et Patenae episcopus orat: „— *ut hoc Vasculum (Calix) et Patena sanctificentur, et Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi novum sepulcrum sancti Spiritus gratia efficiantur.*“

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 370 Dub. 3.

<sup>3)</sup> Caeremon. Episcop. Lib. II. C. 30 n. 3: „*Praeparentur particulae in vase aureo vel argenteo intus deaurato.*“ S. C. Episc. die 26. Julii 1588: *Sanctissimum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pyxide argentea intus deaurata.*“

Calix et patena sub gravi debent esse *consecratae*, et quidem ab episcopo, qui facultatem consecrandi simplici sacerdoti absque indulto Apostolico delegare nequit.<sup>1)</sup> Nec consecrantur eo ipso, quod quis in illis nondum consecratis celebraverit, ob contactum Sacramenti; sicut nec pavementum, in quod decidat Sacramentum, fit consecratum.<sup>2)</sup>

*Ciborium* (seu pixis, in qua particulae consecratae asservantur) consecratione non indiget, attamen benedictum esse debet.<sup>3)</sup> Idem valet de *lunula Ostensorii* et *vase portabili* ad deferendum ss. viaticum destinato. Denique hic opportune notandum, quod in summitate Ostensorii crux visibilis apposita esse debet.<sup>4)</sup>

2. — Quaeritur, *quomodo calix et patena consecrationem amittant?* — 1. Calix consecrationem amittit a) si notabiliter frangitur vel ita, ut inutilis fiat ad usum sacrificii v. g. per foramen in fundo, quamvis exiguum; porro b) si formam essentialem, sub qua est consecratus, perdit, ut per separationem cuppae a pede, si cuppa fixa est pedi; sc̄cus vero, quando calix est tornatilis, quo casu calix formam non perdit, cum partes sine novo artificio jungi queant; c) si calix de novo deauratur,<sup>5)</sup> quia tunc superficies calicis, quae immediate tangit ss. Sacramentum, non est consecrata. — 2. Patena amittit consecrationem, si tam enormiter frangitur, ut convenienti usui servire nequeat; item si de novo ejus superficies inauretur.<sup>6)</sup>

Iisdem plane modis, ac calix, benedictionem amittit *Ciborium*; et Ostensorium ac ejus *lunula*, sicut patena.

<sup>1)</sup> Decr. gen. S. R. C. (1131) 27. Sept. 1659. Abbates alique usum Pontificalium habentes non nisi ex privilegio Apostolico consecrare possunt calices et patenas, et tantum pro usu ecclesiarum sibi subjectarum. Die 22. Sept. 1703 n. 2119.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 380.

<sup>3)</sup> Rubr. in ritu celebr. II. n. 3. S. Alph. n. 385.

<sup>4)</sup> S. R. C. (2957) 11. Sept. 1847: *Exigat* (episcopus), *ut in summitate Ostensorii crux visibilis apponatur, quod requirunt ecclesiasticae leges, non obstante consuetudine Ordinis Praedicatorum, cui peculiaris est ritus in explen-*

*dis sacris caeremoniis.*“ Etiam in *summitate Ciborii* crucem parvam eminare debere, dicunt *Gavantus* et *Merrati* apud *Maier*: Die liturg. Behandlung etc. S. 552.

<sup>5)</sup> Quum Leodien. episcopus S. R. C. enixe rogarit, ut declarare dignaretur: Num Calix et Patena suam amittant consecrationem per novam deurationem et sic indigeant nova consecratione? Congr. rescripsit: *Affirmative, amittere nimirum; et indigere nova consecratione.*“ Die 14. Junii 1845 n. 2889. Idem S. R. C. in Strigonien. (3042) 9. Maji 1857.

<sup>6)</sup> Vid. s. Alph. n. 370. S. R. C. (2889) 14. Junii 1845.

Abusus est, calicem aliaque vasa sacra artifici reficienda, inauranda vel refundenda non tradere, nisi prius per sacerdotem vel directe et manu vel aliquo mediante instrumento fuerint execrata. Itaque haec vasa tradenda sunt artifici, quin sacerdos ea quocumque modo execrare tentet.<sup>1)</sup>

### §. 30.

#### Paramenta Calicis.

1. — *Corporale, Palla, Purificatorium, Bursa et Velum* sunt paramenta Calicis ad sacra mysteria agenda de praecepto requisita, ex Rubr. Miss. de praep. sacerdot. n. 1.

Corporale et Palla, quae „ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi“ sunt destinata, significant linteamina, quibus Joseph corpus Christi involvit,<sup>2)</sup> et ex praecepto *benedici* debent vel ab episcopo vel ab alio facultatem habente, quam tamen episcopus simplici sacerdoti delegare nequit absque indulto Apostolico;<sup>3)</sup> neque benedicuntur per applicationem ad usum sacrificii, ut diximus de vasis sacris.<sup>4)</sup> Palla eadem benedictionis forma ac Corporale benedici debet, eo quod Palla moraliter pars Corporalis censetur.<sup>5)</sup> Purificatorium non est benedicendum,<sup>6)</sup> sicut nec Bursa et Velum calicis; convenienter tamen simul cum aliis paramentis benedici possunt.<sup>7)</sup> Maxime porro ad celebrandum requiritur Corporale, ita ut sine illo vel cum illo non benedicto sacrum peragere, communiter censeant esse mortale.<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Decr. gen. S. R. C. (2620) 20. Aprilis 1822.

<sup>2)</sup> Episcopus enim in benedictione Corporalis orat: „— *ut corporis et sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur.*“ Eadem autem benedictionis forma adhibetur in benedictione Pallae.

<sup>3)</sup> S. R. C. (2377) 16. Maji 1744.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 380.

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 388. De Herdt: Tom. I. n. 168.

Linteum, in quo corpus Domini consecratur, antiqui *pallam dominicam, pallam corporalem* aut *corporale* appella-

runt. Et cum solerent cum eodem calicem et panes pro communicantibus super altare positos cooperire, longius erat et latius. Serius autem Corporale strictius fieri, et ad tegendum calicem parva Palla adhiberi coepit; de qua re testis est Innocentius III., qui Lib. II. de Myst. Missae cap. 36 communem suo tempore praxim his verbis declarat: „*Duplex est Palla, quae dicitur Corporale: una, quam diaconus super altare totam extendit; altera, quam super calicem imponit.*“

<sup>6)</sup> S. R. C. (2572) 7. Sept. 1816.

<sup>7)</sup> S. Alph. n. 389.

<sup>8)</sup> S. Alph. n. 387.

Ciborium quod attinet, hoc juxta Rit. Rom. (de ss. Eucharistiae Sacram.) debet albo Velo esse coopertum.

2. — Corporale, Palla et Purificatorium debent esse *ex lino vel cannabc.* S. R. C. (2600) 15. Maji 1819 per Decretum generale a S. P. confirmatum „districte jussit, ut Corporalia, Pallae ac Purificatoria, post lapsum unius mensis a praesentis Decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt<sup>4</sup>. Corporale non debet esse serico vel auro in medio intextum. Rubr. celebr. I. n. 1. Palla a parte superiori panno serico cooperta uti non licet.<sup>1)</sup> Ideo autem praepriis praecipitur *linum* vel cannabis tamquam materia istorum paramentorum, quia corpus Domini involutum erat in sindone munda. (Matth. 27, 59.) — Velum Calicis debet esse sericum,<sup>2)</sup> idemque communiter censent de Velo Ciborii. )

3. — Paramenta Calicis debent esse *integra*, non lacera vel scissa, *decenter munda et nitida*. Uti *Corporali valde immundo*, mortale est; veniale, si valde immundum non sit; imo in necessitate celebrandi, nullum esset peccatum.<sup>4)</sup> Prima lotio Corporalium, Pallarum et Purificatoriorum facienda est a subdiacono vel diacono vel his deficientibus a sacerdote; et aqua lotionis effundenda est in sacrarium.<sup>5)</sup>

### §. 31.

#### Paramenta celebrantis.

1. — Sacerdos celebraturus jubetur rite superinduere *Amictum* (seu Humerale), *Albam*, *Cingulum*, *Munipulum*, *Stolam* et *Planetam* (seu Casulam), et interim ad singulas vestes, quae debent esse benedictae, orationes praescriptas dicere.<sup>6)</sup> Rubr. Miss. *Ritus in*

<sup>1)</sup> S. R. C. (2067) 22. Jan. 1701. Responsio contraria d. 10. Jan. 1852 suppressa est.

<sup>2)</sup> Rubr. celebr. I. n. 1.

<sup>3)</sup> Vid. Maier: Die liturg. Behandlung des Allerheil. S. 552.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 376. — S. Petrus Damiani in irreverentiam sacerdotum super hac re invehitur his verbis: „*In squalido linteo Dominicum corpus offerunt, involvunt; et quod non dignatur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc ipsi corpus non reverentur imponere Salvatoris.*“

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 387, *Notand. 2.* — Moniales non posse cum licentia Ordinarii abluere Corporalia, Pallas et Purificatoria, decrevit S. R. C. (3059) 12. Sept. 1857 ad 26.

<sup>6)</sup> *Biretum* non numeratur inter sacra paramenta; generatim tamen adhiberi debet in accessu ad sacras functiones et recessu ab iisdem, et non deponitur a sacerdote, qui calicem portat, ad inclinationem coram imagine Crucifixi in sacristia faciendam.

*celebr. Missae* I. n. 2 et 3, X. de def. n. 1. Ideo Ecclesia Christi juxta figuram et exemplum V. T. sacerdotem in sacro peragendo vestes sacras a quotidianis diversas adhibere jubet, ut majestas tanti sacrificii commendetur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitentur. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 5 de Sacr. et can. 7.

*Forma* paramentorum probato Ecclesiae mori conveniens esse debet; ideo nihil innovare licet inconsulta Sancta Sede.

2. — Amictus et Alba *ex lino vel cannabe* composita esse debent (quod idem de Mappis, Corporali et Purificatorio superius §. 27 n. 2, §. 30 n. 2 diximus). Rubr. Ritus celebr. I. n. 1 et Decr. gen. (2600) 15. Maji 1819, in quo tantum permissum est, „ut Amictus, Alba et Mappae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usquedum consumentur“;<sup>1)</sup> et adjunctum praecipuum est, „cum hujusmodi suppellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant nisi ex lino vel cannabe“. *Cingulum* potest esse sericum et coloris paramentorum, licet juxta praesentem Ecclesiae usum congruentius est lineum et album.<sup>2)</sup>

Non prohibetur, vestes sacras et alia ornamenta fieri ex vestibus profanis, e. g. mulierum; quia, quidquid mundanum contraxerant, nova confectione et benedictione abstergitur.<sup>3)</sup>

3. — Indumenta omnia celebrantis *benedicta* esse debent ex praecepto,<sup>4)</sup> ab episcopo vel alio habente facultatem, ut solent habere Praelati regulares saltem pro suis ecclesiis.<sup>5)</sup> Episcopus hanc facultatem simplici sacerdoti delegare nequit absque indulto Apostolico.<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Ex resp. S. R. C. (3780) 12. Julii 1892 fundus coloratus supponi potest textili denticulato vel operi phrygio in manicis et fimbriis Albarum; quoad manicas in rochettis vero fundus esse potest coloris vestis talaris relativae dignitatis.

<sup>2)</sup> S. R. C. (2067) 22. Jan. 1701: „Sacerdotes in sacrificio Missae congruentius utuntur *Cingulo lineo*, quam serico.“ Die 8. Junii 1709 n. 2194: „Sacerdotes posse uti *cingulo coloris paramentorum*.“

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 376. •

<sup>4)</sup> Rubr. Rit. celebr. I. n. 1 et 2, de def. X. n. 1. S. Alph. n. 375, Dub. 2.

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 378. Etiam Regularium rectores, priores, quardiani, ministri et alii superiores possunt pro suis ecclesiis explere benedictiones omnes, in quibus sacrum Chrisma non requiritur, supposito S. Sedis privilegio. S. R. C. (2377) 16. Maji 1744.

<sup>6)</sup> S. R. C. (2377) 16. Maji 1744. Vi facultatum quinq. sub n. 11 possunt episcopi delegare simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio.



*Benedictionem amittunt vestes sacrae*, quando privantur forma, sub qua sunt benedictae; nempe Alba, si manica ab ea abscinditur, Cingulum, si ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit; Stola, si non possit humeros operire, vel pars ejus ita scinditur, ut forma deperdatur; item, si ex benedicta veste fit alia nova, e. g. Humerale ex Alba, Stola et manipulus ex Casula etc.

Quodsi vestes paulatim reficiantur, benedictio non perit, quia pars addita, tamquam accessorium, sequitur naturam sui principalis.<sup>1)</sup>

Indumenta aliaque paramenta sacra, quae vel amiserunt benedictionem vel ecclesiae usibus amplius servire nequeunt, comburenda sunt et cineres in sacrarium projiciendi; nullatenus ea ad usus profanos convertere licet.<sup>2)</sup>

4. — Vestes praedictae omnes ex stricto praecepto requiruntur ad Missam licite celebrandam, quum quaelibet earum sit pars notabilis ornatus sacerdotalis, habeatque peculiarem significationem. *Sine ulla veste sacra* celebrare, est mortale, nec in casu vitandi mortem permissum nisi obtenta dispensatione pontificia, quae nonnunquam tempore persecutionis (urgente praesertim necessitate S. Eucharistiam populo aut infirmis dispensandi) concessa est.<sup>3)</sup> Imo *sine Casula vel Alba sola*, vel *sine Stola et Manipulo simul*, vel *cum illis non benedictis* sacrum peragere, communiter mortale reputant. *Sine Manipulo vel sine benedicto Manipulo*, porro *sine Humerali* vel *Cingulo* celebrare plures veniale censent, a quo etiam excusare possit gravis necessitas celebrandi.<sup>4)</sup>

Sacerdotalia indumenta assumenda sunt in sacristia vel ea deficiente in mensa aliqua, numquam in altari, in quo celebranda sit Missa, cum ex Decreto S. R. C. die 7. Jul. 1612 ab Urbano VIII. recognito et in ejusdem mandato initio Missalis appposito declaratum sit, id solis episcopis convenire vel quibus ex Apostolico

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 371. De Herdt: Tom. I. n. 169.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. IV. n. 41. S. Thom.: 3 q. 83 a. 3 ad 3.

<sup>3)</sup> Genicot: Th. mor. II. n. 248 narrat talem concessionem Sinensibus datam per Leonem XII. die 30. Nov. 1828; et Marc: Inst. mor. II. n. 1633 alteram concessionem Gregorii XVI. ad decennium die 26. Julii 1841.

<sup>4)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 377. Benedictus XIV.: De Missae sacr. Lib. III. cap. 7 n. 1 cum aliis dicit; graviter peccare sacerdotem, non solum si sciens nullas adhibeat sacras vestes, sed etiam si earum omittat aliquam. Sed de Herdt: Tom. I, n. 164, Fornici: Institut. liturg. P. I. cap. 13 (Monasterii 1853) mitiorem s. Alphonsi sententiam sequuntur.

privilegio concessum est. Pro singulis vestibus singulae sub veniali praescribuntur orationes a celebraturo dicendae.<sup>1)</sup>

5. — Singulis vestibus liturgicis significatio mystica inest; quatenus his Christi repraesentatur passio et ejusdem designantur virtutes, quibus exornari sacerdotem par est, ut dum munere Christi personam gerit, moribus etiam similitudinem Christi referat, pleneque Christum indutus, in Christum veluti transformatus videatur. Ideo duplicem significationem vestes sacrae exhibent, quae quidem praeprimis ministris, sed etiam populo bene perspecta esse deberet, nempe *allegoricam*, quae respicit Christi passionem, et *moralem*, quae spectat virtutes sacerdotales.

1. Sensu *allegorico* Humerale designat velamen, quo faciem Christi tegebant Judaei, percutientes eum et dicentes: Prophetiza nobis, qui te percussit. Alba significat vestem albam, qua indutum Christum Dominum Herodes irrisit. Cingulum repraesentat funes, quibus Christus in horto est ligatus, nec non flagella, quibus est crudeliter vulneratus. Manipulus denotat vincula, quibus Christi manus fuerunt ligatae, dum ad columnam flagellabatur. Stola designat funes collo Christi injectos, quando crucem in locum Calvariae portabat. Casula significat crucem humeris Domini nostri impositam vel, ut alii arbitrantur, purpureum vestimentum, quo milites Christum induerunt, vel tunicam inconsutilem, quam detraxerunt milites, quando Christum crucifixerunt.<sup>2)</sup>

2. Sensu *moralis* Humerale, quatenus eo caput ministri tegitur, significat spem firmam, qua diabolicas tentationes superemus, quod innuit minister dicens: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus*; quatenus illo collum cingitur, denotat custodiam linguae seu castigationem vocis, cum

<sup>1)</sup> *Tenendum*, ait s. Alph. n. 410, Dub. 3 *cum communi sententia, omissionem harum orationum esse culpabilem, sed non plus quam venialem.*

<sup>2)</sup> Vestis, quae nunc *Casula* appellatur, erat olim pallium omnino rotundum et undique clausum, quod nullam habebat scissuram pro brachiis emittendis, sed unica in medio erat apertura, per quam caput immittebatur: unde sacerdos sacrificii tempore illam super brachia revolvere et complicare debebat, ut manibus libere uti posset.

Et adhuc hodie graecorum Planetae ejusdem formae sunt. Apud Latinos in aliam sensim degeneravit formam. Et dum antiquitus, quando Planeta totum corpus tegebat, spectabatur ut vestis ad jugum Christi repraesentandum accommodata: nunc mysticam hanc significationem exhibet Casula per crucis figuram; quae eidem apponitur, vel ante ut in Italia, vel retro ut in Gallia, vel utrinque ut in Germania. Fornici: Instit. lit. P. I. cap. 10.

vox per guttur et os emittatur; quod indicat episcopus in ordinatione subdiaconi: *Accipe Amictum, per quem designatur castigatio vocis.* Alba ministrum sacrum admonet de animi munditie in sanguine Christi comparanda, ut sit instar Angelorum in albis (Joan. 20, 12), et instar Sanctorum, qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni (Apoc. 7, 14); dum enim Albam induit, supplex Deum praecatur: *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.* Cingulum monet, quod sacrificantes Agnum accingere debent renes suos (2 Mos. 12, 11), servantes nempe continentiam nullis concupiscentiae motibus dissolvendam juxta verba Evangelii: „Sint lumbi vestri praecinctorum“, et juxta quod sacerdos in oratione petit: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.* Manipulus est symbolum doloris et poenitentiae, laboris et bonorum operum; nam manipulum tradens ait episcopus: *Accipe Manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum;* et minister eum induens orat: *Merear, Domine, portare Manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Stola<sup>1)</sup> significat jugum suave obedientiae, nam in ordinatione presbyteri episcopus dicit: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est et onus ejus leve;* et quia per obedientiam ad beatam immortalitatem restituimur, ex qua per inobedientiam primi parentis decidimus; hinc sacerdos illam sibi imponens petit: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidisti in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.* Casula designat vestem nuptialem i. e. caritatem, juxta verba episcopi Casulam neopresbytero imponentis: *Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem et opus perfectum.* Sicut enim Casula ceteris vestibus: ita caritas reliquis virtutibus supereminet, eas protegit et exornat, atque vinculum est perfectionis. Ex pectore et humeris demissa Casula nos admonet, ut Deum et proximum diligamus. Cumque caritas potissime in cruce tollenda probetur:<sup>2)</sup> hinc sacerdos Casulam induens orat: *Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est,*

<sup>1)</sup> Stola erat olim vestis ad talos usque demissa, et quatenus in praedicatione induebatur, *Orarium* dicta fuit.

<sup>2)</sup> *Tantum quisque portat, quantum amat.* S. Joan. Chrysost.

*et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar Tuam gratiam.*

His, quae de vestibus sacerdotalibus pro sacrificii privata celebratione praescriptis hactenus diximus, non absque re erit breviter addere, quod *Dalmatica*, *Tunicella* et *Pluviale* eandem ferme ac *Casula* significationem habent, et *Superpelliceum ac Rochettum* eandem ac *Alba*, quae ad faciliorem usum pro variis functionibus ad formam *Superpellicei* et *Rochetti* est redacta.<sup>1)</sup>

\* De significatu sacrarum vestium: S. Thomas: Suppl. q. 40 a. 7. S. Bonaventura: Expositio Missae cap. 1. — Innocentius III.: De mysteriis Missae Lib. I. cap. 35 et seq. Benedictus XIV.: De ss. Missae sacrificio Lib. I. cap. 10. Gauntus: Thesaurus sacrorum Rituum Tom. I. P. II. Tit. 1. Bona: Tract. ascet. de sacrificio Missae cap. 5 §. 2. De Herdt: Sacrae liturgiae praxis Tom. I n. 163. Fornici: Institutiones liturgicae P. I. cap. 13. Amberger: Pastoraltheologie, 2. B. §. 57. Benger: Pastoraltheologie 2. B. S. 164—172. Gassner: Handbuch der Pastoral I. B. S. 615—619. Schüch: Handbuch der Pastoraltheologie §. 209, Aufl. 8. Innsbruck 1889. Gühr: Das hl. Messopfer. §. 29.

## §. 32.

### Colores Paramentorum.

1. — *Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: albo, rubro, viridi, violaceo et nigro.* Rubr. Miss. XVIII. n. 1.

Color paramentorum est de praecepto, quia omnes Rubricae, quae praescribunt ritum in actu celebrationis servandum, sunt praeceptivae, coll. §. 17 n. 2, et insuper S. R. C. in pluribus Decretis praecepit, strictim servandam esse Rubricam quoad colorem Paramentorum.<sup>2)</sup> — Attamen non videtur sub gravi haec Rubrica obligare, secluso scandalo gravi; quapropter causa rationabilis ab hoc praecepto excusare potest v. g. paupertas ecclesiae, concursus sacerdotum, quibus vestes debiti coloris non sufficiunt.<sup>3)</sup>

2. — Per Rubricam Missalis, quae distincte quinque commemorat colores liturgicos, alii excluduntur et prohibentur. Et quidem reprobatur usus *caerulei* coloris,<sup>4)</sup> item usus *flavi* coloris, quem

<sup>1)</sup> De significatu vestium episcopaliū sapienter disserit d. Thomas: Suppl. q. 40 a. 7, quem alii secuti sunt.

<sup>2)</sup> S. R. C. 19. Dec. 1829 n. 2675; 12. Nov. 1831 n. 2682 ad 50.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 378.

<sup>4)</sup> S. R. C. (2788) 23. Febr. 1839 respondit: „usum caerulei coloris veluti abusum esse eliminandum.“

nonnulli perperam putant pro quocunque colore adhiberi posse.<sup>1)</sup> Permittuntur autem vestes sacrae *auro contextae*, quae *pro colore albo, rubro et viridi servire possunt.*<sup>2)</sup>

Reprobantur paramenta *varii coloris*,<sup>3)</sup> nisi saltem unus ita praedominetur, ut dici possint unius potius quam alterius coloris; episcopi tamen in ecclesiis pauperibus admittere possunt illis uti, donec consumantur.<sup>4)</sup>

3. — Supervacaneum foret exponere, qualis color diversis temporibus et diebus adhiberi debeat, cum id in Rubr. Miss. XVIII. distincte et accurate explanetur. Id tantum innuere volumus, coloribus ab Ecclesia praescriptis non deesse symbolicam significationem.

Color *albus* significat vitae innocentiam et puritatem, gloriam et gaudium; qua ratione congruit festis Confessorum, Virginum aliorumque Sanctorum non Martyrum; porro festis Domini, B. V. M. et tempori Paschali.<sup>5)</sup> Color *rubeus* designat fervorem spiritus, caritatem; sanguinem ex caritate effusum; qua ratione adhibetur festo Pentecostes, s. Crucis, ss. Martyrum.<sup>6)</sup> Color *viridis* repraesentat spem, et adhibetur ab Octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, in Officio de tempore (exceptis tamen diebus pluribus, qui in Rubr. notantur); quatenus peregrinantes et militantes in terra intuitu Christi, qui nobis apparuit, et suffulti gratia Spiritus sancti, qui datus est nobis, fiducialiter appetimus seu appetere debemus patriam et requiem coelestem. Color *viola-*

<sup>1)</sup> Ad dubium: Num liceat uti *colore flavo* vel *caeruleo* in Sacrificio Missae et in expositione Sanctissimi Sacramenti? S. R. C. (2704) resp.: *Negative*. Die 16. Martii 1833. Dein die 23. Sept. 1837 (2769) declaravit: Paramenta *coloris flavi* non possunt adhiberi pro quocunque colore.

<sup>2)</sup> Ad dubium: An revera sacra paramenta auro maxima saltem ex parte contexta pro quocunque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possint? S. R. C. (3145) 28. April. 1866 resp.: *Tolerandam esse locorum consuetudinem, relate tantum ad paramenta ex auro contexta*. Idem (3191) 5. Dec. 1868.

<sup>3)</sup> S. R. C. ad dubium: Potestne

continuari usus illarum ecclesiarum, quae pro colore albo, rubro, viridi, et violaceo utuntur paramentis vel flavi coloris vel mixtis diversi coloris floribus? praesertim si colores a Rubrica praescripti in floribus reperiantur? respondit: „*Servetur strictim Rubrica quoad colorem Paramentorum.*“ Die 12. Nov. 1831 n. 2682 ad 50.

<sup>4)</sup> S. R. C. (2675) 19. Dec. 1829.

<sup>5)</sup> Adhibetur etiam *in Missa pro sponso et sponsa*, quia in sponsa benedicenda carnis puritas supponitur.

<sup>6)</sup> Excipitur *festum Innocentium*, propter horrorem persecutionis et afflictionem matrum, cui color moestitiae, nempe violaceus, congruit.

*ceus* veluti pallidus et lividus denotat carnis macerationem et afflictionem; quare hoc colore utitur Ecclesia diebus poenitentiae et jejunii. Color *niger* est proprius mortis (dicit Innocentius III.), quae nos privat lumine vitae et ad tenebras sepulcri nos detrudit; adhibetur igitur in Parasceve ob mortem Christi, et in Missis defunctorum, quorum animae in tenebris sedent, quibus Ecclesia lucem petit et requiem.

\* De significatu colorum: Innocentius III.: De mysteriis Missae Lib. I. cap. 64. Gavantus: Thesaurus sacrorum Rituum, Tom. I. P. I. Tit. XVIII. Bouvry: Expositio Rubricarum etc. Tom. II. P. III. Sect. 2 pag. 178—183. Weissenburgi 1860. Amberger: Pastoraltheologie 2. B. §. 58. S. 322—327. Gassner: Handbuch der Pastoral 1. B. S. 590—594. Gühr: Das hl. Messopfer dogmatisch, liturgisch und ascetisch erklärt. §. 30.

## V. De Missae formularibus.

### §. 33.

#### Missae prohibitae.

Non licet aliis Missae formularibus uti quam concessis et approbatis a Sede Apostolica. Expresse prohibitae sunt „Missae impressae et a S. R. C. non approbatae, quae circumferuntur sub nomine s. Gregorii (*Missae Gregorianae*) pro vivis et defunctis, porro aliae *quindecim Auxiliatorum*, et *de Patre aeterno*.“ S. R. C. (460) 8. April. 1628.

Sed haec prohibitio non intelligitur quoad Missas numero triginta institutas pro defunctis a s. Gregorio in Dialog. cap. 55, Lib. IV. cap. 5.<sup>1)</sup> Videlicet tradit s. Gregorius M., defuncto quodam Justo monacho, se Pretioso pariter monacho haec demandasse: *Vade itaque, ab hodierna die diebus 30 continuis offer pro eo sacrificium; stude, ut nullus praetermittatur dies, quo pro absolute illius Hostia salutaris non offeratur*. Absoluto Missarum numero Justus monacho Copioso apparuit, cui se purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nuntiavit; *Fratres vero* (inquit s. Gregorius) *sollicite computaverunt dies, et ipse dies exstiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta*. Hinc Missarum usus dimanavit, quae a sancto Gregorio nuncupantur. S. Congr. Indulg. die 13. Martii 1884 recognovit et die 24. Aug. 1888 denuo approbavit piam praxin et specialem fiduciam, qua fideles retinent celebrationem 30 Missarum

<sup>1)</sup> S. R. C. (477) 16. Oct. 1628.

specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animarum e Purgatorii poenis liberationem; requiritur autem 1. ut Missae diebus 30 continuis dicantur, et si incidat triduum hebdomadis majoris, diebus sequentibus numerus absolvatur, et 2. ut sacrificium Missae defuncto applicetur, quin tamen opus sit, ut Missa *de Requie* sumatur, quamvis conveniat diebus permissis.<sup>1)</sup> Insuper eadem s. Congr. die 14. Jan. 1889 declaravit, omnes triginta Missas neque in eodem altari neque ab eodem sacerdote celebrari debere, sed nec constare, datam fuisse Indulgentiam.

### §. 34.

#### Conformitas Missae cum Officio divino.

1. — *Missae cum Officio, quoad fieri potest, conveniat.* Rubr. Miss. Tit. IV n. 3. Namque Ecclesia integros dies destinat in cultum alicujus mysterii vel Sancti, ideoque Officium simul atque Missam in eundem finem ordinat. Porro Officium divinum intime cohaeret cum Missa, totius cultus christiani centro et culmine; etenim in Officio nocturno jam memoria mysterii vel Sancti, quae in Missa principaliter recolitur, plane et distincte agitur ad intelligentiam liturgiae juvandam, et ad congruos in Deum vel Sanctum pietatis affectus, quibus Missa celebretur, excitandos; in Officio diurno eadem memoria innovatur ad eundem pietatis sensum, in Missa magis adhuc succensum, jugiter nutriendum opusque diurnum ex eodem spiritu strenue perficiendum.

2. — Missa conventualis semper debet esse Officio conformis, nisi Rubricae Tit. IV. *de Miss. votiv.* admittant votivas vel nisi Missa principalis dicenda sit pro Defunctis. Ibidem V. 1 de Missis defunctorum. Missa non conventualis pariter concordare debet cum Officio Celebrantis saltem in ejus ecclesia propria nec non in oratorio privato (excepto die festivo Patroni loci, de quo in oratorio Missa festiva celebranda est), dum est *duplex* aut aequivalens; si vero occurrat Officium *semiduplicis* (extra Dominicam) aut *inferioris* ritus, Celebrans dicere potest Missam votivam vel de Feria majore occurrente vel Defunctorum. Rubr. gen. Missal. III. n. 1. IV. n. 3, V. n. 2.

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De ss. et 3. De Herdt: Sacrae liturgiae Missae sacrificio Lib. III. cap. 23 n. 2 praxis Tom. I. n. 63.

3. — Porro sacerdos sive saecularis sive regularis in *aliena ecclesia vel oratorio publico* vel in capella instar oratorii publici habenda (sed principali tantum, si plures existant) neglecto suo Calendario debet celebrare Missas Officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano sive in Regularium Missali continentur, exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. Si vero in dicta ecclesia vel oratorio Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique e Celebrantibus liberum est, Missam de Requite peragere vel votivam vel etiam de Feria majore occurrente, vel denique suum Calendarium sequi celebrando tamen Missam more festivo, si occurrat Officium duplex vel semiduplex. Decr. gen. S. R. C. (3862) 9. Julii 1895; (3892) 14. Martii 1896; (3910) 22. Maji 1896.

### §. 35.

#### Missae votivae.

(*Ex Decr. gen. S. R. C. (3922) 30. Junii 1896.*)

1. — Missa, quae non juxta ordinem Calendarii celebratur, sed *ex voto* seu desiderio vel Ecclesiae (ex indulto Apost. Sedis in perpetuum, ex indictione seu permissu Summi Pontificis aut Ordinarii ex peculiari causa) vel Christifidelium petentium vel denique ipsius sacerdotis, appellatur *votiva*. Missae votivae vel cum Officio diei et ipso votivo concordant, vel haud conformiter ad Officium recitatum celebrantur.

2. — Missas *Officio votivo conformes* quod attinet, jam dudum S. Sedes tam religiosis Ordinibus quam dioecibus variis Officia quaedam votiva cum respondentibus Missis vel semel per annum vel certa Feria hebdomadis non impedita indulset recitanda, e. gr. Officium de ss. Eucharistiae Sacramento, de s. Fundatore Ordinis et alia. Per Decretum denique S. R. C. (3581) 5. Julii 1883 a Leone XIII. adprobatum, datum est generale Indultum tam Capitulis et ecclesiasticis Communitatibus quam singulis de utroque Clero recitandi *Officia votiva per annum Missasque illis respondentibus celebrandi* loco Officiorum ferialium vel festorum simplicium, exceptis feriis quarta Cinerum, totius temporis Passionis ac sacri Adventus inde a die 17. Decembris, *ritu semiduplici*, et quidem feria 2. de ss. Angelis, feria 3. de ss. Apostolis (Romae de ss. Petro et Paulo), feria 4. de s. Joseph Sponso



B. M. V., feria 5. de ss. Eucharistiae Sacramento, feria 6. de passione D. N. J. Ch., sabbato de Immacul. Conceptione B. M. V. — quoad choralem recitationem de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario semel pro semper adprobando, a quo consensu recedere non jam licet; quoad privatam vero recitationem ad libitum singulorum de Clero. Hae omnes Missae Officio recitato conformes habent indolem festi semidupl. (aut dupl. ubi sub hoc ritu Officium est indultum), sed nunquam in iis dicitur Credo. Orationes, nisi occurrant commemorationes speciales, dicantur tempori congruentes; praefatio erit aut propria aut de tempore aut communis.

3. — Missae votivae *Officio haud conformes* seu votivae in sensu strictiori sunt vel solemnes vel privatae.

Missa votiva *solemnis* pro re gravi et publica Ecclesiae causa illa est, quae Officio per se non respondens ab Episcopo vel de ejus consensu, pro qualibet vice obtinendo, solemniter celebratur cum interventu magistratus aut saltem Cleri et populi; et pro quadam spirituali vel temporali necessitate, quae communitatem ipsam afficiat. Pro re gravi non est habenda Missa prima neosacerdotis nec vestitio vel professio monialium, nec nuptiae quantumvis solemnes nec jubilaëum 50 annorum, nec Missa singulis annis recurrens uti incipiente vel finito anno scholastico aut in die natalitio vel nominali Principis regnantis, vel similes.

Missa votiva *privata* dicitur, quae celebratur ex causa privata seu pro re non gravi vel causa non publica, sive solemniter cantetur sive privatim legatur.

Modo exponendum est 1. quaenam Missae, 2. quando, et 3. quomodo celebrentur tamquam votivae.

4. — I. *Quaenam Missae celebrari possint tamquam votivae.* Dici possunt: 1. omnes Missae, quae in Missali exstant post Commune Sanctorum et ante Missas pro aliquibus locis; — 2. illae Missae festorum, in quibus adnotatur, quomodo legendae sint pro *votivis* e. gr. septem dolorum B. M. V., Immaculatae ejusdem Conceptionis, ss. Nominis et Cordis Jesu<sup>1)</sup> etc. — 3. Sumi possunt Missae votivae *do quocunque Sancto*, modo de ejus canonizatione

<sup>1)</sup> Ad quaesitum: In Introitu Missae (*Miserebitur*) de ss. Corde Jesu duo leguntur *Alleluja*. In Missis *votivis* extra Adventum et Quadragesimam

tolline debent ista *Alleluja*? S. R. C. (3137) in Cameracens. ad 5 respondit: *Affirmative*. Die 16. Sept. 1865.

constet; nam de Beatis non canonizatis illicitum est absque speciali Sedis Apostolicae Indulto Missas votivas celebrare.<sup>1)</sup> Et quidem de Sanctis Missae votivae celebrari possunt, vel propriae ipsorum vel de Communi Sanctorum: *a. Propriae*, si fuerunt concessae et veritas in verbis formularis Missae servatur vel servari potest pauca omittendo e. g. *hanc diem, hodierno die*, aut pauca mutando, ut in oratione verba *solemnitas, natalitia*, in verba *memoria, honor*.<sup>2)</sup> At *b. de Communi Sanctorum*, si veritas in verbis non potest facile obtineri.<sup>3)</sup>

Tamquam votivae *non possunt* dici Missae, quae continentur in Proprio Missarum de Tempore, neque Missae de illis mysteriis vel Sanctis, pro quibus in Missali prostat Missa votiva propria, uti de B. M. V. pro temporis diversitate (exceptis iis, de quibus supra n. 2); si petatur Missa de s. Joseph Sponso B. M. V., legenda est Missa votiva pro Feria quarta assignata; si de ss. Ap. Petro et Paulo, dicatur Missa votiva quae habetur post Missam de Angelis. Quando igitur Missa in honorem alicujus mysterii veluti Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis D. N. J. Ch., Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis B. M. V. etc. petitur aut ex tenore foundationis dicenda esset, non ideo violandae sunt Rubricae imperitorum laicorum causa, et fit satis celebrando Missam diei occurrentis cum intentione venerandi mysterium, cujus petitur Missa.<sup>4)</sup>

Frequentior casus est petitio Missae votivae in honorem B. M. V. Igitur si talis Missa poscitur *extra Octavam alicujus festi B. M. V.*, sumenda est una ex votivis B. M. V. in Missali assignatis, observato tempore; non vero Missa de aliqua festivitate ejusdem B. M. V. Sic S. R. C. (2427) 22. Dec. 1753. Si *infra Octavas B. M. V.* exigitur Missa votiva de B. M. V., legenda est Missa de die infra Octavam cum *Gl.* et *Cr.*, quamvis Officium non fiat de die infra Octavam. Pariter die, quo Officium votivum de B. M. V. recitatur, Missa votiva sumatur, quae respondet Officio; si in Vigilia Assumptionis vel Immacul. Conceptionis B. M. V., petitur Missa votiva de B. M. V., celebretur (modo

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 423, Advert. III.

<sup>2)</sup> Si Missa extra festum est inconveniens tantum propter Introitum *Gaudeamus*, Introitus sumitur de Communi. De Herdt: Tom. I. n. 36.

<sup>3)</sup> Pro votiva s. Joannis B. legi potest Missa in ejusdem Vigilia.

<sup>4)</sup> S. R. C. (321) 19. Maji 1614, gener. confirm. a S. P. Paulo V.; (2417) 29. Jan. 1752, (2427) 22. Dec. 1753. S. Alph. Lib. VI. n. 423.

ritus diei permittat, S. R. C. die 2. Maji 1900) Missa de Vigilia sine Gl. (etiam in Sabbato).

5. — II. *Quando celebrari possint Missae votivae.*

1. Missa *solemnis* votiva ex indictione vel licentia episcopi pro re gravi et publica Ecclesiae causa est maxime *privilegiata*, ita ut permittatur omnibus diebus, et dominicis et festis, exceptis dupl. 1. cl., dominicis 1. cl., feria Cinerum et feriis majoris hebdomadis, vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes necnon dominicis et festis feriatis in illis ecclesiis, in quibus una tantum Missa celebratur. Potest tamen his diebus exceptis, festis etiam 1. cl., in Missa diei Orationi addi commemoratio pro re gravi (sub una conclusione), si specialiter praescribatur ab episcopo.<sup>1)</sup> *Minus privilegiatae* sunt Missa solemniter cantanda die anniversaria electionis vel consecrationis episcopi, quae in ecclesiis cathedralibus permittitur in dupl. min. et maj. et in Dominicis per annum, Missa solemniter pro precibus 40 horarum, quae permittitur omnibus diebus, exceptis dupl. 1. et 2. cl., Dominicis privilegiatis, diebus infra Octavas Epiph., Pasch. et Pent., ac diebus supra notatis.

2. Missa *privata* votiva vel etiam solemniter sed pro re non gravi dici vel cantari potest, quocumque die Officium non est duplex (vel duplicia excludens), aut Dominica,<sup>2)</sup> ex causa rationabili, qualis est petitio fidelium, devotio ipsius celebrantis.<sup>3)</sup>

Inter Missas privatas votivas est *privilegiata* 1) Missa *pro sponso et sponsa*, de qua infra *de matr.* Porro 2) Missa B. M. V., quae incipit *Rorate*, in Archidioecesi Viennensi, Dioecesi Lincensi, aliisque Dioecesibus diebus Adventus, per Indulta Apostolica, sed cum restrictionibus, quae in Directoriis adnotantur.

6. — III. *Quomodo celebrandae sint Missae votivae.*

1. In Missa *solemni* una tantum dicitur oratio, nisi addenda sit collecta pro gratiarum actione vel de ss. Sacramento. Recitatur *Gloria*, nisi cantetur colore violaceo, et *Credo*, nisi celebretur colore violaceo extra Dominicam. *Praefatio* dicitur propria, si talem Missa votiva habeat, alias de tempore vel Octava vel Dominica (de Trinitate), alias communis, nunquam vero de festo occurrente, quod propriam Praef. habeat. Dicitur *Ite Missa est*,

<sup>1)</sup> S. R. C. (2494) 27. Martii 1773.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 419.

<sup>2)</sup> Rubr. Missal. IV. n. 3.

si recitetur *Gloria*; secus *Benedicamus Domino*. Ultimum Evangelium est s. Joannis.

2. In Missa *privata* tres orationes debent sumi, sed 5 etiam vel 7 dici possunt. Prima est votivae propria, secunda diei, tertia, quae secundo loco in Missa diei dicenda esset. Si die, quo fit Officium de Octava, Missa votiva dicatur, secunda oratio erit de Octava, tertia autem (nisi occurrat commemoratio simplicis) de tempore, in Missa vero votiva B. M. V. de Spiritu sancto. Quodsi in Officio plures factae sunt commemorationes e. g. Sanctorum, feriae, illae omnes faciendae sunt in Missa votiva. Non recitatur *Gloria*, nisi Missa de B. M. V. celebretur Sabbato vel infra Octavam B. M. V., ut supra n. 4 dictum est, vel Angelorum, vel alicujus Sancti infra illius Octavam, in quo casu Missa celebranda esset ut in ipso festo cum Gl. et Cr. ac oratione 2. et 3. ut infra Octavam. Dicitur *Benedicamus Domino* pro *Ite Missa est*, nisi recitetur *Gloria*, ultimum Evang. est s. Joannis.

### §. 36.

#### De Missis defunctorum.

1. — Pia omnium mater, Ecclesia catholica, tum vivis tum defunctis filiis suis per salutare Missae sacrificium subvenire satagit. Ideo non tantum *in die commemorationis* omnium fidelium defunctorum offert pro omnibus divinum sacrificium, sed illico *post mortem* pro quolibet in communionem suam defuncto hostiam salutarem sacrificat, ejusque memoriam renovat *die tertio*, juxta exemplar Christi die tertia resurgentis, et *die septimo*, ad monitum Eccli. 22, 13: *Luctus mortui septem dies*; atque *trigesimo die*, juxta exemplum filiorum Israel, qui 30 diebus fleverunt Moysen defunctum Deut. 34, 8, complet dies luctus et planctus. Elapso dein anni curriculo *anniversarium* celebrandi antiquissimum tenet usum, et etiam *per annum* hostiam vivificam pro defunctis immolat.<sup>1)</sup> Hinc distinguuntur 1) Missae *de Requie* in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, 2) Missae in die obitus seu depositionis, 3) Missae in die 3., 7. und 30. a die obitus vel sepulturae, 4) anniversaria, et 5) Missae per annum seu quotidianae.

2. — In Offertorio Missae defunctorum haec consideratione digna occurrunt verba: *Domine, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni*,

<sup>1)</sup> Instr. Eyst. pag. 127.

*de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Alii putant, Ecclesiam has retrahere preces ad illud instans, quo animae e corporibus egrediuntur, atque orare, ut animae istae liberentur ab aeternis inferni cruciatibus.<sup>1)</sup> Alii vero,<sup>2)</sup> quibus Benedictus XIV. consentit,<sup>3)</sup> dicunt Ecclesiam orare pro animabus, quae sunt in purgatorio, et hoc ideo appellari *infernum*, quia idem utrobique sit ignis; atque *lacum profundum* et *tartarum* ratione situs subterranei, et metaphorice *os leonis*, quatenus ibi inclusae animae detinentur, quin se possint liberare; denique Ecclesiam orare, *ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, videlicet ne longo tempore poenis quasi absorbeantur in loco isto tenebroso. Utraque explicatio apta est, sed posterior magis congruere videtur ceteris precibus Missae *pro defunctis*, qui in illis tamquam poenas in purgatorio luentes considerantur.

3. — Quoad Missam de Requie *in die commemorationis omnium defunctorum* haec tantum observanda sunt: 1. applicatio sacrificii potest fieri ad libitum sacerdotis, vel pro omnibus defunctis vel pro aliquibus tantum, — 2. unaquaeque Missa hac die gaudet privilegio, acsi esset in altari privilegiato celebrata, Clemens XIII. die 19. Maji 1761; — 3. si petitur Missa pro defuncto, qui hac die est sepeliendus, ultra Missam de communi defunctorum celebranda est una Missa ut in die obitus S. R. C. (893) 14. Apr. 1646. Decr. gen. (3864) 9. Julii 1895.

De ceteris Missis supra indicatis modo dicendum est, *quando* et *quo modo* sint celebrandae. In antecessum autem notare oportet, quod Missae in die obitus, in die 3., 7 et 30., et Missae de anniversario sunt plus minusve *privilegiatae*.

4. — A. *Quibus diebus Missae de Requie celebrari possint.*

I. *In die et pro die obitus seu depositionis*,<sup>4)</sup> *praesente cadavere*, Missa una sollemnis aut cum cantu celebrari potest, quandocumque non occurrat aliquod festum dupl. 1. cl. e solemnioribus, videlicet: Nativitas Domini, Epiphania, Dominica Paschatis et Pentecostes, Ascensio Domini, festum ss. Corporis Christi, Assumptio et Imma-

<sup>1)</sup> Sic Suarez: In III. Disp. 83 Sect. I n. 29, Pasqualigo, Tournely, Merati, ac praeter alios nostro tempore Wiseman: Vorträge über die in der päpstl. Kapelle übliche Liturgie in der stillen Woche S. 42, Augsb. 1840. Gühr: Das hl. Messopfer u. s. w. S. 466 u. f. Van den Bergh: Ordo missae p. 28. Brugis Flandrorum 1900.

<sup>2)</sup> Valentia: Tom. III. Disp. 6 a. 2 Punct. 8. Azor: Institutiones

moral. Lib. X. c. 22 q. 8. Gobat: Experient. theol. Tract. III. n. 172—174, Sporer, Gavanti, praeter alios recenter Kössing: Liturgische Vorlesungen über die hl. Messe S. 361—363

<sup>3)</sup> De ss. Missae sacr. Lib. II. c. 9 n. 6.

<sup>4)</sup> Per diem obitus seu depositionis intelligitur totum temporis spatium ab instante mortis usque ad sepulturam. De Herdt et alii.

culata Conceptio B. M. V., festum s. Joseph, Sponsi B. M. V. et Patroni Ecclesiae cath., ss. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, patroni principalis provinciae vel regni, praesertim ubi non habentur patroni locorum; et festum nativitatis s. Joannis B. His accensenda sunt etiam Triduum sacrum (non autem feria 2. et 3. Pasch. et Pentecostes), festa patroni principalis vel tituli et Anniversarii Dedicationis Ecclesiae propriae ac Dominica, in quam solemnitas festi infra hebdomadem occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo; nec non ubi et donec ss. Sacramentum solemniter expositum habetur. Reliquis autem quibuscumque diebus haec Missa permittitur in omnibus ecclesiis, iis tantum exceptis, in quibus unicus est sacerdos, quoad dies, in quibus Missa parochialis pro populo applicanda aut Missa Rogationum (si fiat processio) vel Vigiliae Pentecostes dicenda est.

Quodsi ex civili vetito aut morbo contagioso aut alia gravi causa *cadaver in ecclesia praesens esse nequeat*, imo etiam jam terrae mandatum fuerit, praedicta Missa celebrari potest in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens.

Eadem Missa celebrari potest pro prima tantum vice *post* obitum vel ejus *acceptum a locis dissitis nuntium* die, quae prima occurrat non impedita ut supra, aut a quocumque festo dupl. 1. vel 2. cl. vel a festo de praecepto.<sup>1)</sup> S. R. C. Decr. gen. (3755) 2. Dec. 1891.

In depositione *pauperis defuncti*, cujus familia impar est solvendo expensas Missae exequialis cum cantu, permittitur Missa exequialis lecta loco Missae cantatae; dummodo in Dominicis aliisque festis de praecepto non omittatur Missa Officio diei currentis respondens. S. R. C. Decr. gen. (4024) 9. Maji 1899.

*Missae privatae* pro defunctis ut in die obitus seu depositionis, praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, celebrari possunt etiam in duplicibus, exceptis dupl. 1. cl., diebus duplicia 1. cl. excludentibus, et festis de praecepto (Rubr. gen.

<sup>1)</sup> Festa de praecepto censentur omnia, quae per Constitutionem Urbani VIII. a. 1642 ex praecepto collenda sunt, quamvis praeceptum audi-

endi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus postea in multis locis abrogatum sit.

Missal. V. n. 2 in fine), in quibuslibet ecclesiis et oratoriis tam publicis quam privatis et in sacellis ad seminaria, collegia et religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectantibus, dummodo Missa applicetur pro defuncto, cujus cadaver est vel censetur praesens et, si agatur de ecclesiis vel oratoriis publicis, fiat etiam funus cum Missa exequiali (cantata). S. R. C. (2725) 23. Maji 1835; (3903) 19. Maji 1896; (3944) 12. Jan. 1897; 3. Apr. 1900.

II. *Missae in die tertio, septimo et trigesimo*, a die obitus vel depositionis numerando, cantari (non legi) potest in dupl. sive major. sive minor., ut anniversaria fundata.

Quodsi ejusmodi dies tertius vel septimus vel trigesimus incidat in Dominicam vel diem festivam, anticipatur vel transfertur Missa in diem proximam non impeditam cum eadem solemnitate et absque mutatione in Collectis.

III. *Anniversaria* alia sunt fundata, alia non fundata; alia quotannis recurrente ipso die obitus celebranda, alia aliis determinatis diebus vel temporibus celebranda.

1. Anniversaria sive fundata a *testatoribus* pro die obitus aut alia determinata die, sive privata *ad petitionem viventium* sed solummodo pro die obitus in cantu celebrari possunt etiam in duplici minori et majori, exceptis dupl. 1. et 2. cl., vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Octavis et feriis privilegiatis, omnibus Dominicis et festis pro populo, ac tempore expositionis ss. Sacramenti; quibus diebus vetitis occurrens anniversarium debet cantari die proxime subsequenti vel antecedente ut supra non impedita.

2. Anniversaria, quae a religiosis communitatibus, a Canonico collegiis, a confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus pro confratribus defunctis semel in anno fieri solent, quamvis *non sint a die obitus*, nec non illa quae pro fidelium pietate infra Octavam omnium Fidelium defunctorum locum habent, in duplicibus minoribus celebrari possunt, exceptis diebus supra memoratis. S. R. C. Decr. gen. (3755) 2. Dec. 1891.

3. *Ex privata devotione* parochianorum petentium Missam pro defunctis parentibus, fratribus, amicis et aliis defunctis in ruralibus ecclesiis Missa de Requie cantari potest in dupl. minori, sed solummodo in die vere anniversario a die obitus. S. R. C. (2059) 19. Jun. 1700.

4. Dies anniversarius, nec non dies 3., 7. et 30. tam a die obitus quam a die depositionis computari potest. S. R. C. Decr. gen. (3753) 2. Dec. 1891.

IV. Missae defunctorum cadavere nullo modo praesente — sive privatae sive solemnes — extra dies supradictos prohibentur diebus Dominicis, festis duplicibus, Octavis privilegiatis, feriis quarta Cinerum et majoris hebdomadis, vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes; praeterea diebus Rogationum (si fiat processio) in iis ecclesiis parochialibus, in quibus una tantum Missa celebratur; reliquis diebus permittitur.<sup>1)</sup>

Attamen Leo XIII. per Decr. S. R. C. (3903) 19. Maji 1896 indulget, ut in quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo Missae, quae inibi celebrari permittuntur, possint esse de Requie, exceptis festis dupl. 1. et 2. cl., Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non feriis, vigiliis et Octavis privilegiatis.

5. — B. *Quo modo Missae de Requie celebrandae sint.*

Quatuor Missae pro defunctis in Missali assignantur: 1) in commemoratione omnium fidelium defunctorum, 2) in die obitus seu depositionis, et in die 3., 7. ac 30., 3) in Anniversario, 4) Missae quotidianae, quae dicuntur extra praefatos dies. *Prima* Missa etiam dicitur in die obitus seu depositionis, in die 3., 7. et 30., et in Anniversario *Summi Pontificis, Cardinalis et Episcopi*, cum Oratione, quae post Missam quotidianam assignatur cuique propria. In die obitus, die 3., 7. et 30. et in Anniversario *sacerdotis* dici potest *prima vel altera* Missa, sed semper cum Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes etc.* S. R. C. (2417) 29. Jan. 1752

In die commemorationis omnium defunctorum, et in die depositionis, et in Anniversario defuncti dicitur *una tantum Oratio*, similiter in die 3., 7. et 30., et quodcumque pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe cum ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cantatis, dicendae sunt *tres Orationes* (in Missa lecta possunt etiam 5 vel 7 dici), quarum *prima* sit pro defuncto vel defunctis certe designatis, pro quibus Sacrificium

<sup>1)</sup> Ex indulto Pii IX. d. 31. Mart. 1859 in ecclesiis parochialibus Dioecesis Viennensis duabus vicibus in

qualibet hebdomada pro defunctis decantari valet Missa de Requie, occurrente licet Officio duplici.



offertur, *secunda* ad libitum, *ultima* pro omnibus defunctis. Si vero pro defunctis in genere Missa celebratur, dicendae sunt orationes, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine quo ibi sunt inscriptae.

*Sequentia* pro defunctis semper dici (simulque in choro cantari S. R. C. 2. Maji 1900) debet in omnibus cantatis Missis de Requie, et dici insuper debet in iis lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt. In aliis lectis Missis recitari potest vel omitti ad arbitrium Celebrantis. S. R. C. (3920) 30. Junii 1896.

## VI. De necessaria sacerdotis celebrantis pietate.

### §. 37.

#### Necessitas praeparationis.

Cum fidei lumine illustrati necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur:<sup>1)</sup> satis etiam apparet, sacerdotem omni cura studioque ad altaris sacrificium digne celebrandum se praeparare debere. Cumque in hoc sanctissimo opere non solum anima, sed corpus etiam occupetur, ideo praeparatio illa tum corporis tum animae dispositionem sanctitati tanti mysterii congruentem exquirat. De utraque modo agemus, a minori ad majus progressuri.

### §. 38.

#### De dispositione corporis.

1. — Ad hanc pertinet I. *jejunium naturale* a media nocte. Hoc praeceptum ecclesiasticum<sup>2)</sup> non admittit parvitatem a) neque ex parte temporis, unde cum primo ictu horologii media nox sit expleta, qui aliquid sumit post primum ictum (licet ante ultimum), non amplius potest Missam celebrare;<sup>3)</sup> b) neque ex parte rei,

<sup>1)</sup> Vid. Conc. Trid. Sess. 22 de observ. et evitand. in celebr. Missae.

<sup>2)</sup> Ab Apostolicis usque temporibus statutum, ut Benedictus XIV De ss. Missae Sacrif. Lib. III. cap. 12 n. 1 observat.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 282. — *Causa jejunii naturalis et ecclesiastici,*

*aliorumque Ecclesiae officiorum fideles sequi debent publica horologia in singulis locis, quamvis tempus verum non signent.* S. Poenitent. die 18. Junii 1873. Si in eodem loco plura adsint publica horologia dissonantia, licet ultimum sequi, modo non constet de ejus errore, et modo ultimum non sit tale,

unde si quis vel minimum sumpserit, quamvis per modum medicinae, sub gravi prohibetur communicare, adeoque celebrare, ut ait Rubrica Missalis. *Qui dubitat, an post mediam noctem cibum aut potum sumpserit*: si inquirendo non possit resolvere dubium, celebrare vel communicare poterit; quia non constat de violato jejunio, proindeque nec constat celebrationem Missae esse prohibitam.<sup>1)</sup>

2. — *Ad frangendum jejunium juxta regulas a doctoribus traditas tria requiruntur*: 1. ut id, quod deglutitur, ab extrinseco sumatur, 2. ut rationem cibi vel potus habeat, et 3. ut per modum comestionis vel potationis sumatur.

1. Requiritur, ut aliquid *ab extrinseco* sumatur et in stomachum transmittatur; <sup>2)</sup> etenim res, quae manducari vel bibi dicuntur, ab extra proveniunt. Hinc deglutiens sanguinem ex ore, lingua, gingivis effluentem, jejunium non solvit, licet ex proposito id faciat; secus si sanguinem sugeret ex digito.

2. Requiritur, ut quod sumitur, *habeat rationem cibi et potus* seu ut sit digestibile in stomacho, sive nutriat sive non nutriat <sup>3)</sup> Hinc jejunium solvunt pulvis medicinalis, folia arborum, palea, creta, quae quippe a stomacho alterari possunt; <sup>4)</sup> non autem fumus tabaci ac vapor ciborum, qui nec cibus sunt nec potus.

3. Requiritur, ut aliquid *sumatur per modum comestionis vel potationis*. Unde quidquid per modum salivae vel respirationis praeter intentionem hauritur, jejunium nullatenus laedit. Qui exiguas cibi reliquias dentibus inhaerentes involuntarie deglutit, per modum salivae, jejunium non frangit; qui voluntarie eas trajicit, juxta plures jejunium solvit. <sup>5)</sup> Idem dicendum, si os lavando deglutiantur guttulae aquae cum saliva mixtae; si enim hoc accidit praeter intentionem, jejunium non frangitur, secus vero, si volun-

---

ut plerumque erret, quia tunc praesumitur semper errare. S. Alph. ibidem. Si vero ex his horologiis alia tempori medio accomodata sint, alia verum tempus signent, fideles in jejunio servando et clerici etiam in officio divino recitando priora horologia seu tempus legale sequi possunt, sed non tenentur. S. Poenit. 29. Nov. 1882 (v. Acta S. Sedis Vol. VII. p. 399, et XV. p. 445) et S. C. Conc. 22. Julii 1893.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 282, coll. Lib. I. n. 39.

<sup>2)</sup> Ex d. Thoma: In IV Sent. Dist. 8 q. 1 a. 4 q. 2.

<sup>3)</sup> Ex s. Thoma: 3. q. 80 a. 8 ad 4.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 281.

<sup>5)</sup> S. Alphons. Lib. VI. n. 279, Dub. 1 sententiam id affirmantem vocat probabiliorem et omnino consulendam, sed addit, in hoc non esse scrupulose agendum.

tarie fit.<sup>1)</sup> Non illicitus est pulvis tabaci naribus ingestus, quia non sumitur per modum comestionis.<sup>2)</sup> Nec jejunium frangit, qui lingua aliquid cibi vel potus degustat, ut saporem probet, nec deglutit, sed statim expuit.<sup>3)</sup> Qui pulverem, pluviam, floccum nivis, muscam casualiter deglutit, jejunium non frangit, quia talis actio non est comestio, sed respiratio; secus vero, si hoc ex proposito faciat.<sup>4)</sup>

3. — Causae excusantes sacerdotem a jejunio naturali sunt: 1. *Necessitas vitandi grave scandalum*, quod ex omissione Missae oriretur,<sup>5)</sup> e. g. si parochus die festo non amplius jejunus sacrum omittere nequeat sine gravi scandalo, aliter non evitabili; solum praecceptum audiendi Missam non subministrat rationem sufficientem, ut sacerdos violato jejunio licite celebret. — 2. *Necessitas perficiendi sacrificium*, videlicet a) si sacerdos pro specie vini sumpsit aquam, tenetur denuo consecrare utramque speciem, vel in loco publico celebrans potest solum vinum consecrare ad scandalum vitandum; <sup>6)</sup> b) si celebrans post consecrationem deficiat, potest alius sacerdos etiam non jejunus, si jejunus haberi nequeat, sacrificium perficere (v. §. 40 n. 4); porro c) si post consecrationem unius speciei sacerdos recordetur, se non esse jejunum, tenetur pergere, ne sacrificium maneat imperfectum; si autem recordetur soluti jejunii ante consecrationem, debet a Missa desistere, si possit sine scandalo aut infamia; d) si ablutione sumpta, imo post Missam in sacristia sacris vestibus *adhuc indutus*, sacerdos advertat, aliquas ejusdem sacrificii reliquias remansisse, eas sumere potest et debet;<sup>7)</sup> si vero vestibus jam est exutus, vel fragmentum diversi sacrificii vel hostia integra remansisset, tunc tantum ea sumere potest, si nequeant reverenter servari. — 3. *Periculum profanationis* ex parte haereticorum vel impiorum, quo imminente sacerdos etiam non jejunus potest ss. Eucharistiam sumere vel laicis quoque non

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 279, Dub. 2 cum sententia communi, ex Rubr. Miss. de def. IX. n. 3. Addit s. Doctor: *Jejunium frangit, qui sumit aquam licet involuntarie, vel quia labitur in flumen vel quia alius per vim illam (aquam) in os ejus infundit.*

<sup>2)</sup> Benedictus XIV. De Syn. Dioec. Lib. XI. cap. 13 n. 2.

<sup>3)</sup> Idem: De ss. Missae Sacrif. Lib. III. cap. 12 n. 6.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 280, Dub. 1.

<sup>5)</sup> Benedict. XIV op. c. Lib. III. cap. 12 n. 8. S. Alph. n. 287. Sed turbatio fidelium timenda per se sacerdotem non excusaret.

<sup>6)</sup> Rubr. Miss. de def. IV. n. 5.

<sup>7)</sup> V. s. Alph. H. A. Tr. 15 n. 53 et 54.

jejunis praebere, si nullus locus securus et decens eam asservandi suppetat.<sup>1)</sup> — 4. *Dispensatio Romani Pontificis*, qui solus potest in illo dispensare;<sup>2)</sup> v. infra §. 99 n. 2.

Illicitum est, sacerdotem non jejunum celebrare, ut viaticum moribundo deferre possit. Expresse id monet Benedictus XIV.,<sup>3)</sup> nec audiendi, qui contrarium autumant. Neque enim, ut praelaudatus Summus Pontifex addit, infirmus urgetur ad Eucharistiam suscipiendam, quando illi Eucharistiae copia deest; porro deesse illi Sacramenti copiam merito dicere possumus, cum non possit ministrari servata reverentia ss. Sacramento debita.<sup>4)</sup>

4. — Praeter jejunium naturale ad debite peragendum sacrificium corporis et sanguinis Domini requiritur II. *illibata corporis puritas et condecens ejusdem compositio*.

Primam quod attinet, sacerdos juxta Rubricas Miss. de def. IX. n. 5, si pollutio nocte praecesserit voluntaria, quae sit peccatum mortale, quamvis contritus et confessus, a celebratione Missae saltem sub veniali abstinere debet, propter reverentiam tanto mysterio debitam, in quo offertur et consumitur *hostia virgineo fragrans odore*;<sup>5)</sup> nisi scandalum vel alia justa causa exigat celebrationem, prout prudenti confessario videatur. Quodsi involuntaria fuerit pollutio, sacerdos celebrare potest; sed mentis perturbationem ex corporis foeditate forte secutam conetur repellere quantum in se est, ut devote accedat.<sup>6)</sup>

Quoad decentem corporis compositionem sacerdos juxta Rubricas *de praepar. sacerdotis* n. 2 debet esse *indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talem pedis attingat*. Itaque requiritur vestis talaris<sup>7)</sup> praeter alias vestes sacerdoti conve-

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 287. Pius VI. in Instr. pro Gallia data 28. Maji 1793 ad 9 decrevit, *licere sacerdotibus non jejunis hostias sumere a catholicis sacerdotibus consecratas, ne in manus intrusorum veniant, quoties alius sacerdos jejunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiae iisdem hostiis debita*.

<sup>2)</sup> Benedict. XIV.: De ss. Missae Sacrif. Lib. III. cap. 12 n. 8.

<sup>3)</sup> Idem, l. c.

<sup>4)</sup> Vid. etiam s. Alph.: Lib. VI.

n. 286. Pruner: Pastoraltheologie §. 28, 1900.

<sup>5)</sup> Secreta Missae in festo s. Catharinae Senensis die 30. Aprilis.

<sup>6)</sup> S. Alph. n. 272.

<sup>7)</sup> Toga talaris, dicit de Herdt, licet non nimio in terram syrmate defluere possit, ad celebrandum tamen convenienter in terram dimittitur, ne dum celebrans incumbit altari aut illud osculatur, medietas tibiaram cum scandalo assistentibus appareat. *Conc. Prov. Vienn.* Tit. III. cap. 5

nientes, mundas et modestas, non laicales, ne sacerdos videatur pedes in diversis ponere, unum in divinis, alterum in carnalibus. Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 6. de Ref.

\* Benedictus XIV De ss. Missae Sacrificio Lib. III. cap. 12 (de jejuniis naturali). S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 80 a. 7 et 8. S. Alphonsus: Theol. moral. Lib. VI. n. 271. 272. 277—289 Probst: Verwaltung der Eucharistie als Sacrament §§. 77. 78. 2. Aufl. Tübingen 1857. Gassner: Handbuch der Pastoral. I. B. S. 769 u. f. Salzburg 1868. Pruner: Pastoraltheologie S. 27—28. Paderborn 1900.

### §. 39.

#### De dispositione animae.

1. — Optima praeparatio ad celebrandam Missam, in qua divinae Majestati offertur hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata, est illa, quae in puritate et sanctitate vitae consistit. Satagat igitur sacerdos, ut sit mundus ab omni peccato, non solum mortali, sed etiam veniali deliberate et scienter admissio, et ab omni ipso affectu erga peccata venialia propenso. Ast stricto praecepto requiritur, ut sacerdos celebraturus in statu gratiae sit, et ab omni censura et irregularitate immunis.

2. — I. *Requiritur, ut sacerdos sit in statu gratiae.* Si enim non decet ad sacras ulla functiones quempiam accedere nisi sancte,<sup>1)</sup> certe divini hujus sacrificii sanctitas, qua major non est, statum gratiae sanctificantis maxime necessarioque praeexigit in eo, qui ad illud celebrandum accedit. Qui vero in statu peccati letalis sacrum peragere non contremiscit, horrendum committit sacrilegium, — sacrilegium, inquam, non simplex, sed quadruplex: 1. quia indigne consecrat, 2. quia indigne sumit, 3. quia indigne ministrat, 4. quia ministrat indigno, nempe sibi ipsi.<sup>2)</sup>

*Sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius est, sub gravi tenetur confessione sacramentali expiari, antequam Missam celebret, nec sufficit contritio perfecta; nisi necessitas celebrandi urgeat et desit copia confessarii, et tunc tenetur quamprimum confiteri.* Sic Concilium Trident. Sess. 13. cap. 7 edixit, et can. 11 anathema tulit in eum, qui contrarium doceret vel pertinaciter assereret.<sup>3)</sup>

dicit: „Nemo Missae sacrificium absque veste talari celebrare praesumat. In usum sacerdotum, qui, cum peregrini sint aut remotiori loco degant, eadem induti ecclesiam facile adire non possunt, vestis talaris in sacristia praesto sit.“

<sup>1)</sup> Conc. Trid. Sess. 13. cap. 7.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 35.

<sup>3)</sup> Verba Concilii cap. 7 haec sunt: „— communicare volenti revocandum est in memoriam ejus (Apostoli) praeceptum: *Probet autem se ipsum homo*

Sequentia desuper notanda:

1. Praeceptum, praemittendi confessionem sacramentalem Missae celebrationi, ubi sacerdos celebraturus peccati mortalis sibi conscius est, non ecclesiasticum, sed divinum est per Apostolum 1 Cor. 11, 28 promulgatum.<sup>1)</sup> *Dubius* de peccato mortali potest celebrare, quin confiteatur, infra §. 99 n. 5.

2. Ab obligatione confitendi excusatur sacerdos, si urgeat necessitas celebrandi et desit copia confessarii.

Porro *a. necessitas celebrandi* adesse censetur, quando populus debet Missam die festo audire, et sacerdos non posset omittere celebrationem sine gravi scandalo vel infamia; si particula consecranda esset, ut deferretur viaticum ad moribundum.<sup>2)</sup> *b. Copia confessarii* deesse judicatur, si plane nullus adsit, vel praesens careat jurisdictione, vel absens spectatis circumstantiis debilitatis, distantiae, negotiorum gravium, sine magna difficultate adiri non possit. Quodsi utraque conditio concurrat, sacerdos celebraturus tenetur contritionem perfectam elicere et *quamprimum* confiteri.<sup>3)</sup> Et quidem praecceptum grave, non consilium est, ut sacerdos *quamprimum* confiteatur, quod confirmatur ex prop. 38 ab Alexandro VII. damnata.<sup>4)</sup>

Porro vox illa: *quamprimum*, non intelligenda est, cum sacerdos suo tempore confitebitur, ex propos. 39 ab Alexandro VII. damnata,<sup>5)</sup> nec cum primum talis sacerdos vult iterum celebrare, sed praecise post celebrationem, etiamsi vellet aliquamdiu a cele-

(1 Cor. 11, 28). *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quodsi necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De ss. Missae sacrif. Lib. III. cap. 11 n. 5. S. Alph. Lib. VI. n. 256.

<sup>2)</sup> E naturali vel divino praeccepto celebrandi fluere debet urgens neces-

sitas, dicit Benedictus XIV. l. c. n. 6.

<sup>3)</sup> Benedictus XIV. ait: „Temeraria est propositio, quae statuit, satis esse *attritionem*, etiam quae talis cognoscitur. Scilicet necessaria est *contritio*, aut saltem attritio, quam sacerdos sine culpa probabiliter existimavit contritionem.“ Op. c. Lib. III. c. 11 n. 5.

<sup>4)</sup> Propos. 38 sic sonat: *Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praecceptum.*

<sup>5)</sup> Quae sic se habet: *Illam particula quamprimum intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

brando abstinere; et quidem saltem *intra triduum*, ut communiter Theologi vocabulum illud interpretantur, quia cum hoc praeceptum quoad temporis determinationem sit tantum ecclesiasticum, vox illa *quamprimum* latius intelligi potest, prout intelligitur in aliis praeceptis humanis, ubi illud verbum vel simile ad spatium trium dierum extenditur. Attamen aliquando sacerdos tenebitur eadem die et forte eadem hora confiteri, nempe si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas celebrandi urgeret nec posset confiteri.<sup>1)</sup>

3. — II. *Requiritur, ut sacerdos ab omni censura et irregularitate sit immunis.* Etenim, ut in Rubr. Miss. VIII de defect. disp. animae n. 1 dicitur: „Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis vel alias canonicè impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quae sibi erat interdicta.“

4. — Pro praxi adhuc sequentia adverte:

1. Si sacerdos ligatus sit reservato papali, tenetur illud confiteri, quia ex decreto S. Officii 23. Jun. 1886 quilibet confessarius in casibus urgentioribus ab omnibus Papae reservatis absolvere potest, sub poena tamen reincidentiae, nisi absolutus infra mensem ad S. Sedem recurrat ejus mandata suscepturus. Cf. §. 145 n. 3 sub A. Sed deficiente omni confessario et urgente necessitate celebrationis Missae sacerdos contritionem perfectam eliciat et quamprimum confiteatur.

2. Si sacerdos partim reservata, partim non reservata episcopo peccata mortalia habeat, ad confessionem sacramentalem tenetur; quia cum urgeat praeceptum divinum confessionem sacramentalem praemittendi celebrationi Missae, debet fieri confessio saltem formaliter integra, ni possit fieri materialiter integra; et tunc absolutio indirecte cadit in reservata, directe in non reservata peccata. Quodsi tantum peccatum reservatum habeat, confiteri non tenetur, sed sufficit, ut per contritionem perfectam eliciendam se praeparet ad celebrandum; quamvis omnino consultum sit, venialia, quae habet, vel mortale, quod alias confessus est, confiteri, ut indirecte a reservato absolvatur, atque securius ad altare accedat.<sup>2)</sup> — Quandoque episcopi pro casibus indirectae abso-

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 266,  
Quaer. IV.

<sup>2)</sup> Idem n. 265, *Quaeritur 1.*

lutionis ex causis urgentibus concedunt facultatem directe absolventi a reservatis; tunc vero perfecta contritio non sufficit, sed confessio peccati reservati omnino requiritur.

3. Si sacerdos in Missae celebratione ante consecrationem recordetur, se esse in peccato mortali, vel aliqua censura implicitum, Missam abrumpere debet, nisi scandalum timeat; si post consecrationem peccati vel censurae recordetur, elicitu actu contritionis cum proposito confitendi sacrificium perficere debet. Sic Rubr. Miss. de def. VIII. n. 4 et 5.<sup>1)</sup>

5. — Praeter dignitatem moralem canonicamque habilitatem modo explicatam in sacerdote ad pie offerendum sanctissimum altaris sacrificium requiritur, ut *orationi* devote incumbat.

Valde commendandum sacerdoti, ut vespere praecedenti cogitet se die crastina hostiam salutarem Deo omnipotenti oblaturum, ac repetitis amoris et desiderii aspirationibus cor suum disponat; cumque noctu et mane evigilat, statim cor et os suum ad sanctissimum Sacramentum salutandum piis suspiriis adimpleat.

Obligatur autem sacerdos, antequam Missam celebret, ad absolvendum saltem *Matutinum cum Laudibus*, omnino convenienter v. §. 34 n. 1; quae obligatio jam Lib. II. §. 184 n. 7 explicata est. Ad eundem finem multum conducet, quod Rubr. 1 *de praep. sacerdot. celebr. n. 1* commendat, ut videlicet sacerdos celebraturus Missam perlegat, vel potius pro meditationis argumento eam eligat. Narratur, s. I g n a t i u m semper pridie legisse in Missali totam Missam die sequenti dicendam.

Porro *meditationem* sacerdoti omnes proponunt, qui de mediis praeparationis ad Missam celebrandam agunt; per eam siquidem spiritus devotionis fovetur, et ad gratias divini mysterii suscipiendas anima dilatatur.

Instante celebratione eliciat et dirigat intentionem<sup>2)</sup> *largus, et profusus sit in applicatione fructuum sacrificii* (speciales tamen fructus specialiter illi, cui applicare tenetur, applicare intendens); cum enim sacrificii valor sit infinitus et ejusdem effectus nullis limitibus concludantur v. §. 12: sacerdos piis suis intentionibus

<sup>1)</sup> Vid. s. Thom.: 3. q. 83 a. 5 ad 2. Benedictus XIV. Op. c. Lib. III. cap. 11 n. 9.

<sup>2)</sup> Gregorius XIII. concessit indulgentiam 50 dierum cuilibet dicenti ante Missam orationem, quae incipit: *Ego volo celebrare missam et conficere etc.*



Deum plurimum laudare, quamplurimis hominibus plurimum prodesse non praetermittat.

Profundam animi humilitatem, firmam fidem mysteriorum, confidentiam generosam, filialem caritatem, ardens desiderium sese cum summo bono uniendi in se excitare nitatur; et quamvis nihil in Sacramento Poenitentiae expiandum sibi occurrat, intensum nihilominus contritionis actum de levioribus delictis elicere non omittat; unacum Christo semetipsum et res suas Deo penitus consecrare atque offerre satagat; sed et Dei opem atque auxilium B. V. Mariae, Angelorum et Sanctorum humiliter imploret. *Psalmi et orationes* in Missali positae abundant affectibus, quibus sacrificium celebrari convenit; non autem stricte ab Ecclesia praecipuntur, aliaeque preces dici possunt. Attamen sacerdos, qui sine ulla alia praeparatione saltem domi facta ad sacrificandum accederet, ab aliqua culpa non excusaretur.<sup>1)</sup>

#### §. 40.

#### Observanda in ipsa Missae celebratione.

1. — Praeparatione ad Missam sedulo peracta sacerdos facile ea reverentia et devotione, qua oportet, divinum altaris sacrificium celebrabit. Notabilis distractio voluntaria in recitando Canone, et praecipue in peragenda Consecratione et communione juxta s. Alphonsum<sup>2)</sup> aliosque culpa gravi non vacaret, quia sacrificium, ut sanctus Doctor addit, non est simplex oratio, sed excellentissimus religionis actus, et ideo gravem Deo videtur irrogare irreverentiam, qui, dum profitetur se hoc actu Deum colere, sciens et volens se penitus distrahit. Id autem alienum puto ab omni sacerdote, cujus non emortua fides.

2. — Necessae est sacerdotem celebrantem ministro eoque masculo uti, qui gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona sacerdoti pluraliter respondet.<sup>3)</sup> Absque ministro celebrare mortale esset, nisi urgeret necessitas celebrandi ad ministrandum viaticum vel nisi populus vi praecepti teneretur Missam audire.<sup>4)</sup> Ministerio mulieris sacerdos celebrans non potest uti,

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 410, Dub. 2.

<sup>2)</sup> n. 410, Dub. 5.

<sup>3)</sup> S. Thom.: 3. q. 83 a. 5 ad 12.

<sup>4)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 391, Dub. 1. Sed sacerdos sine ministro celebrans debet tantum semel dicere *Confiteor* ante Introitum. S. R. C. (3368) 4. Sept. 1875.

nisi urgente necessitate (praesertim apud moniales) tantum pro responsis; immediate ministrare in altari, porrigendo urceolos etc. mulieri non permittitur.<sup>1)</sup>

3. — *Sacerdos juxta ritum, modum et normam in Missali praescriptam Missam decantare ac legere stricte jubetur*, coll §. 17, ne sacerdos inter homines Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque suo munere fungatur, Deum magis iritet, prout Clemens XI. in lit. d. 16. Martii 1703 animadvertit. S. Franciscus Salesius, qui magnam adhibuit curam Ecclesiae caeremoniis etiam minimis pie observandis, cum aliquando conspexisset aliquem Praelatum Missam celebrantem, ejusdem Capellanum rogabat, ut illum ad caeremoniam parvam, quam in Missa omiserat, attentum redderet, subjungens: *Debemus eis, quae nobis sunt praescripta, sedulo obtemperare.*<sup>2)</sup> Nec aliter sentiebat s. Alphonsus, qui Missae Rubricas, a se exactissime observatas, etiam a sacerdotibus suae dioecesis rite observari voluit; quem in finem omnes coram ipso Missam legere jussit, quosque videbat in Missae caeremoniis non bene versatos, eos a celebratione arcebat, usquedum in illis bene erant exercitati.<sup>3)</sup> S. Cajetanus in Bulla Canoniz. ab Innocentio XII. a. 1611 edita §. 11 singulariter laudatur de exacta sacrorum rituum observantia, quorum quidem peculiare studium suis demandavit.

Merito Theologi dicunt, sacerdotem non excusari a peccato mortali, si Missam *infra quadrantem* absolverit, etiamsi Missa sit de brevioribus, quia tam brevi temporis spatio nequit integras preces recitare, ritusque reverenter perficere; ac proinde duos graves defectus committet: alterum gravis irreverentiae erga sacramentum, alterum gravis scandali erga populum.<sup>4)</sup> Prudenter Benedictus XIV. quoad Missae durationem dicit, Missam nec brevioris tertiae horae parte, nec longioris dimidia hora esse

<sup>1)</sup> Postulatum: Potestne sacerdos, omnibus prius sibi commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis? S. R. C. respondit: *Affirmative, urgente necessitate*. Die 27. Aug. 1836 n. 2745. Vid. etiam s. Alph. n. 392.

<sup>2)</sup> Sic refert s. Joanna Francisca. Vid. Studien über den hl. Franz von Sales von Boulangé. Deutsch, München. 1862. B. II. S. 30.

<sup>3)</sup> Jeancard: Leben des hl. Alphons M. von Liguori. Deutsch. 2. Aufl. Regensb. 1857. S. 220.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 400.

debere; quia breviori spatio non possunt omnia debito decore peragi, et longiori sacerdos taedio esset adstantibus.<sup>1)</sup> Hinc Conc. Prov. Viennensis a. 1858 Tit. III. cap. 5 statuit: *Teneatur regula, Missam ordinariam dimidia hora absolvendam esse.*

Rubricae ita observentur, ut nihil omittatur, nihil addatur, vel quocunque modo immutetur.

1. *Nihil omittatur*: a. Ante Missam non lavare manus, preces in vestibus induendis non recitare, ex communi sententia est peccatum veniale.<sup>2)</sup> b. Partes Missae ordinarias seu illas, quae semper dicuntur vel aguntur, omittere de se est peccatum grave, nisi parvitas materiae excuset. Hinc mortale esse dicunt, omittere Epistolam, Evangelium, Collectas principales, Offertorium, Praefationem etc.<sup>3)</sup> Veniale, omittere benedictiones, inclinationes, genuflexiones, non ad terram genuflectere, uti praescribitur in Rubrica.<sup>4)</sup> c. Partes Missae extraordinarias, scilicet eas quae non in omni Missa dicuntur, omittere est tantum veniale, nisi tot partes omittantur, ut simul sumptae notabilem materiam constituerent. Quare veniale dicunt, omittere Collectas (praeter propriam Missae), Tractum, Credo etc.<sup>5)</sup>

2. *Nihil addatur*. Certum est apud omnes, esse mortale, addere aliquid in Missa animo inducendi novum ritum; veniale esse, ex devotione quid addere e. g. Collectam, nominibus Sanctorum in Canone nomen alicujus Sancti.<sup>6)</sup>

Ad quaestionem: Quando in Missa vel Officio plures orationes dicendae sunt sub unica conclusione, et in prima vel secunda oratione, non autem in ultima Filius aut Spiritus Sanctus nominatur, an in conclusione dici debeat „per eundem Dominum nostrum“ vel „in unitate ejusdem Spiritus Sancti“? S. R. C. (2724) 23. Maji 1835 respondit: *Negative, ad utrumque*. Inde concludendum: Affirm., quando Filius aut Spiritus s. in ultima oratione nominatus fuerit.

3. *Nihil mutetur*. Submisso dicere, quae alta voce sunt dicenda, vel alta voce proferre, quae sunt secreto recitanda, veniale est.<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> De Missae sacr. Lib. III. cap. 24 n. 3 et seq.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 409 et 410, Dub. 3.

<sup>3)</sup> Idem n. 404.

<sup>4)</sup> Idem n. 400.

<sup>5)</sup> Idem n. 409. — Quando in Missis tertia oratio est ad libitum, et ex jussu S. Pontificis vel Episcopi in Missis debet apponi aliqua specialis

oratio, haec ultima quarto loco dicenda est per modum praecepti et obligationis. S. R. C. (2198) 17. Aug. 1709.

<sup>6)</sup> Idem n. 411.

<sup>7)</sup> Advertatur Rubr. tit. 16: *Sacerdos autem maxime curare debet, ut quae clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non ad modum*

Mutilare verba, salvo sensu et secluso scandalo, non excedit peccatum veniale, et nullum est peccatum, si ex naturali defectu fiat. <sup>1)</sup> Item veniale dicunt, celebrare Missam votivam vel de Requie diebus vetitis, secluso scandalo et contemptu. <sup>2)</sup>

4. — *An Missam interrumpere licet?* Missa interrumpi potest: 1. si lecto Evangelio concio habenda est, 2. tam ante quam post consecrationem, si gravis urgeat necessitas Baptismum vel aliud necessarium Sacramentum ministrandi proxime morituro; si facta sit consecratio, diligentissime curet sacerdos, ut Sacramentum interim caute custodiatur vel in tabernaculo ocludatur; 3. si celebrans post sumptionem ss. sanguinis ab altari sermonem habeat ad populum vel ad neocommunicantes ante distributionem s. Communionis, S. R. C. (3059) 12. Sept. 1857; 4. si celebrans sumpto ss. Eucharistiae sacramento excipiat vota religiosa profitentium vel renovantium, eosdemque post formulam recitatam communicet. S. R. C. Decr. gen. (3836) 14. Aug. 1894. — Juxta plures, si princeps vel processio populi die festo veniret ante Offertorium, et alia Missa careret, sacerdos posset, sed non teneretur Missam ab initio repetere. <sup>3)</sup>

Si sacerdos aegritudine *deficiat*, ante consecrationem, nihil per alium suppleri debet; si post consecrationem, etiam unius tantum speciei, tunc supplere debet sacerdos jejunos, si adsit, alias etiam non jejunos. <sup>4)</sup> Si deficiat post sumptionem s. Hostiae, ab alio, etiam non jejuno, calix sumendus est. Si fieri potest post

---

*festinanter, ut advertere possit, quae legit; nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit: sed mediocriter gravi, quae devotionem moveat, et audientibus ita sit accomodata, ut quae leguntur, intelligant; quae vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiantur.*

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 407.

<sup>2)</sup> Idem n. 420.

<sup>3)</sup> Benedict. XIV. De Miss.

sacr. Lib. III. cap. 14 n. 15 et 16. S. Alph. n. 352—354.

<sup>4)</sup> Quid, si in Parasceve sacerdos sub initio sacrarum functionum apoplexia arriperetur? S. R. C. (2636) 8. Martii 1826 respondit: *Si ministrans ut Diaconus est sacerdos et jejunos, ipse assumpta casula prosequatur Officium et Missam Praesanctificationum absolvat, alterque non jejunos ei succedat in munere Diaconi; quatenus vero ille sit dumtaxat in ordine Diaconatus constitutus et nemo alius adsit sacerdos jejunos, cesset Officium, et sacra hostia reponatur in tabernaculo, die sequenti post sumptionem calicis a Celebrante sumenda.*

moram, ab eodem sacerdote sacrificium compleatur. Ast sacerdos etiam jejunus, qui complevit sacrificium ab altero interruptum, non potest amplius Missam celebrare.<sup>1)</sup>

## §. 41.

**Gratiarum actio.**

1. — Quamvis Deo, sicuti meretur, gratias agere non sufficiamus, tamen quantum valemus, tantum gratos nos ipsi exhibeamus. Quod monitum s. Joannis Chrysostomi<sup>2)</sup> imprimis sacerdos divino sacrificio peracto observare, dumque ab altari discedit, summa devotione Deo in se praesenti intendere eumque laudare et glorificare enitatur. Non desunt, qui asserant, *Canticum trium puerorum* cum 150. Psalmo et praeclaris orationibus subnexis ex stricto praecepto a sacerdote esse recitandum; quod tamen s. Alphonsus<sup>3)</sup> cum aliis merito negat, alium modum gratias Deo agendi permittens.

Concilium Prov. Viennensis Tit. III. cap. 5 praescribit: „*Sacerdos ab ecclesia non discedat, antequam Domino gratiarum actionem quam maxima possit devotione obtulerit. Qui sine eluctabili quadam necessitate animum ad alia sua culpa converterit, gravissimae irreverentiae reum se esse sciat; qui gratiarum actionem obiter vel ne obiter quidem persolvere assueverit, maledictionem se pro benedictione habiturum justissime timeat.*“

2. — Immoretur igitur sacerdos piae cum Christo conversationi per notabile tempus, si non per dimidiam horam, quod s. Alphonsus enixe suadet, *saltem per quartam horae partem*, ut idem Sanctus monet.<sup>4)</sup> Nemo negabit, quod vere desuper Card.

1) S. R. C. (2630) 16. Dec. 1823.

2) Homil. 26. in cap. 8. Gen.

3) Lib. VI. n. 410.

4) S. Alph.: Der Priester etc.; II. Abth. 1. Bel. n. 17. Et n. 16 sic conqueritur: „Ach, welch' ein Elend und welch' eine Verkehrtheit ist es nicht, wenn man Priester sieht, die nach der hl. Messe, und nachdem sie ohne Aufmerksamkeit und Andacht einige Gebete in der Sacristei gelesen haben, sogleich von unnützen und eitlen Dingen zu reden anfangen, ja die sogar die Kirche verlassen, um sich,

da sie Jesus Christus noch im Herzen tragen, sogleich auf die Straße hinauszugehen. Mit Solchen sollte man es immer machen, wie eines Tages (der am 15. April 1894 seliggesprochene) P. Avila, der, als er sah, wie ein Priester, nachdem er kaum die heil. Messe gelesen, sogleich die Kirche verließ, ihn von zwei Clerikern mit brennenden Kerzen begleiten ließ; als der Priester dieselben fragte, was dies zu bedeuten habe, so antworteten sie: „Wir begleiten das allerheiligste Sacrament, das sich noch in Ihrem Herzen befindet.“

Bona<sup>1)</sup> scribit: „Nullum certe pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo manet. Nec valent praetextus negotiorum vel studii, quibus se tepidi excusant. Quod enim gravius et utilius negotium, quam de animae salute cum Deo tractare? Vel quid possunt docere libri, quod non Deus praesens melius docet?“

Profecto ratio gratitudinis erga Deum et propriae salutis exposcit, ut sacerdos celebrata Missa cum divino hospite in se suscepto libenter conversetur. Itaque tota mente se erigat ad considerandum, quid tractaverit, — quis venerit — et ad quem, ponderando majestatem Dei et vilitatem suam, ut concipiat affectus admirationis et adorationis, gaudii et exultationis, laudis et gratiarum actionis. Sanctissimam Virginem Mariam, Angelos et Sanctos, omnes invitet creaturas ad Deum secum laudandum, adorandum, benedicendum, glorificandum. Pro defectibus in hoc sanctissimo opere forte admissis Deum humiliter deprecetur. Offerat Christo Domino semetipsum sine restrictione, actus caritatis piaque proposita generose eliciens. Nec omittat gratias sibi magis necessarias a Deo cum omni fiducia petere, siquidem, ut s. Theresia observat, post Communionem Jesus existit in anima tamquam in throno misericordiae ad gratias illi copiosissime elargiendas. Et quidquid devotio suggesserit, fiducialiter proferat.

3. — His peractis sacerdos singulari cura cor suum et sensus custodire studeat, tantam Dei dignationem crebro per diem (e. g. dum horas canonicas recitat) in memoriam grato animo revocet, atque ita in omnibus se gerat, ut in Christum, quem suscepit, transformatus videatur, quatenus se ipsum hostiam vivam et sanctam exhibeat, et mortificationem Jesu in suo corpore circumferat.<sup>2)</sup> Quid denique, nonne rectissime sanctus Alphonsus<sup>3)</sup> suggerit, totam vitam sacerdotis continuam praeparationem ad s. Missam et gratiarum actionem pro s. Missa esse debere? Ipsa Ecclesia orat: „*Repleti, Domine, muneribus sacris: da quaesumus, ut in gratiarum semper actione maneamus.*“<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> De Missa Tract. ascet. cap. 6 §. 1.

<sup>2)</sup> In Ordinatione Presbyteri episcopus ad ordinandos dicit: „*Agnoscite, quod agitis. Imitamini, quod tractatis: quatenus mortis Dominicae my-*

*sterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis.*“

<sup>3)</sup> Der Priester I. c. n. 5.

<sup>4)</sup> Postcommunio in Dominica infra Oct. Ascensionis Domini.

## §. 42.

## E p i l o g u s .

*Ex opere dubio, sed praeclaro, s. Bernardi: De praecipuis mysteriis nostrae religionis cap. 8.*

„Gloriare igitur semper, sed in Domino, sacerdos Dei Altissimi; dignitatem tuam considera, intuere mentalibus oculis eminentiam tuam, cogita praerogativam tuam, vide sortem tuam. Certe funes ceciderunt tibi in praeclaris, si haereditatem tuam praeclaram non negligis. Attende, quantum Deus tuus te extulit, quantum prae omnibus creaturis sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuae in coelo, cum rite assistis sacris altaribus, cum sanctissimum mysterium coelestis sacrificii celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad verbum tuum vivificum, ad postulationem tuam salutarem, summus Pater, cujus nutu omnia subsistunt, quem indesinenter laudant Angeli, cui jubillant astra matutina, quem adorant Dominationes, quem tremunt Potestates; qui respicit terram et facit eam tremere; qui fecit mirabilia magna solus; ipse, inquam, tantus, tam immensus dulcissimum Filium suum deponit, et manibus tuis imponit; transmittit ab altissimis, et digitis tuis immittit. Ibi holocaustum tuum pingue fit, plus quam in millibus agnorum et arietum pinguium.

Multum enim acceptum fuit munus Abel, sed non ita; multum placuit sacrificium Abrahae Patriarchae, sed non adeo; multum approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multo minus isto. Denique quid ait Propheta? *Sacrificium et oblationem noluisti, . holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio* Ps. 39, 7—8 (Hebr. 10, 5—7), dixit ille qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Omnia in figura contingebant antiquis. Hic veritas, ibi figura; ibi umbra, hic lux; ibi nubes, hic claritas; ibi agnus legalis, hic agnus innocens, qui tollit peccata mundi. Verus est enim Filius Dei, quem tu sacerdos immolas, quem manibus tractas, quem ore sumis, quem in corpus tuum transmittis; sed non sola ad te venit illa majestas. Venit ad te Filius, sed non sine Patre. *Qui me misit, inquit, mecum est, et non reliquit me solum.* Joan. 8, 29. Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu sancto. Quid enim ait Joannes? *Super quem videris Spiritum*

*descendentem et manentem, ipse est* Christus, Joan. 1, 33. Super alios descendit Spiritus sanctus, sed non semper manet. Super Christum vero semper mansurus descendit. Adest nihilominus totus supernorum exercitus civium. *Millia, inquit, millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Dan. 7, 10. Semper enim Angeli, licet sint administratores spiritus, et in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui majestatis, in quem desiderant prospicere; fruuntur nec fastidiunt, qui eo magis frui sitiunt. Quanta luce credis te circumfundi, sancte sacerdos, in praesentia tantae majestatis, in tam solemni adventu et conventu Trinitatis et totius militiae coelestis? Quantam aestimas claritatem adesse, et inesse toti curiae coelesti? Tantam nimirum, quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuae infirmitati ad ferendum obumbraret.“

---



# TRACTATUS II.

---

## De Sacramentis.

§. 43.

### Ingressio.

Sacramenta christianae vitae initium sunt et fundamentum, et iisdem augenda est et perficienda, et tota suis quasi cardinibus vertitur. Conc. Prov. Colon. 1860 Tit. II. cap. 10. Nimirum Sacramenta sunt instrumenta, per quae cum gratia sanctificante virtutes omnes supernaturales infunduntur; praeterea Sacramenta per auxilia gratiae actualis, quae adjuncta habent, plurimum juvant ad actus virtutum exercendos.

Doctrina de Sacramentis partim dogmatica seu theoretica, partim moralis seu practica est. *Dogmatica* seu *theoretica* refertur ad solam veritatis cognitionem, quatenus inquiritur, an sit et quid sit Sacramentum, quas causas, proprietates, effectus habeat etc. *Moralis* et *practica* refertur ad vitam hominum, quatenus considerantur ea, quae fieri debeant, ut hominibus Sacramenta revera sint media vitae spiritualis, et consequenter explicantur praecepta, quae ad Sacramenta pertinent, et modi, quibus contra ea peccare contingat, et si quae forte poenae ob transgressiones ab Ecclesia impositae sunt, et caeremoniae, quae ad devotionem pietatemque fovendam ab Ecclesia statutae sunt.<sup>1)</sup>

Quum doctrinam practicam seu moralem de Sacramentis exponere nobis incumbat, ea tantum et brevissime quidem ex Dogmatica proferemus, quae ad illam intelligendam vel probandam necessario praemitti debent.

Primum de Sacramentis in genere, deinceps de singulis Sacramentis disseremus.

---

<sup>1)</sup> Cf. Suarez: De Sacramentis, Praefatio.

## Sectio I.

## De Sacramentis in genere.

## Rerum divisio.

Pauca pro scopo nostro primum dixisse sufficere de notione et veritate, effectibus et divisione Sacramentorum. Amplius dein sermocinari oportebit de signo sacramentali, de ministro, de subjecto, deque caeremoniis Sacramentorum.

## A. Doctrinae praeliminare.

## §. 44.

## Notio et veritas Sacramentorum.

1. — Pulchre ecclesia in Or. Secreta ad secundam Missam in Nativitate Domini precatur, *ut sicut homo genitus idem refulsit et Deus, sic nobis haec terrena substantia conferat, quod divinum est.* Quippe in ss. Eucharistia, itemque in ceteris Sacramentis invenitur similitudo quaedam incarnationis Domini. Sicut enim in Christo sub humanitate visibili latebat divinitas invisibilis: ita in Sacramentis sub signo visibili latet gratia invisibilis. Et quemadmodum Christus qua Deus homo totum genus humanum Patri reconciliavit et sacrauit: ita Sacramenta singulos homines Deo initiant, sacrant, sanctificant. Sic Christus est *magnum pietatis Sacramentum* 1 Tim. 3, 16; et ex ejus ss. Corde, tamquam caritatis et sanguinis sede, omnia Ecclesiae manarunt Sacramenta, quatenus fructus sunt caritatis, passionis ac sanguinis Christi, magno illi Sacramento, nempe Verbo incarnato, conformia.<sup>1)</sup>

Accurate definitum *Sacramentum novae legis est signum visibile, quod ex Dei institutione, gratiae tum significandae tum efficiendae vim habet.*<sup>2)</sup> Tria notanda:

<sup>1)</sup> S. Thomas: „*Ab hac universali medicina et prima (Verbo incarnato) aliae particulares medicinae procedunt, universali medicinae conformes, quibus mediantibus virtus universalis medicinae proveniat ad infirmos: et haec sunt Sacramenta, in quibus sub tegumento rerum visibilium virtus secretius operatur salutem.*“ Prolog. in 4. Libr. Sent.

<sup>2)</sup> Diversas Sacramenti et Mysteri. significationes profanis sacrisque auctoribus consuetas indicant Bellarmine De Sacramentis in genere Lib. I. pag. 8. Gröner: Sacramentum oder Begriff und Bedeutung von Sacrament. Soest 1853. Oswald: Die dogm. Lehre von den heiligen Sacramenten. 5. Aufl. Münster 1894.

1. Sacramentum est *signum visibile* seu sensibus subjectum, ideo *a)* quia ad suavem Dei providentiam pertinet, ut per res exteriores ad cognitionem et perceptionem rerum spiritualium ac divinarum adducamur,<sup>1)</sup> — et *b)* quia per Sacramenta homines in unum visibilis Ecclesiae corpus sociari debent, hincque necesse est, ut ab omnibus apprehendi possint.<sup>2)</sup>

2. Signum hoc *significat gratiam, gratiam sanctificantem*, proxime quidem et principaliter; significat quippe etiam *passionem Christi*, quae est causa gratiae, eamque ut praeteritam commemorat, atque *coelestem gloriam*, quae est effectus gratiae, eamque tamquam futuram praenuntiat.<sup>3)</sup> Signum hoc etiam vim *efficiendi gratiam* habet. Gratia sanctificans in Sacramento non est sicut in subjecto, neque sicut in vase,<sup>4)</sup> sed quemadmodum effectus in instrumento; atque gratia a Sacramento causatur, sicut effectus ab instrumento, quod ordinatum est ad effectum producendum.<sup>5)</sup>

3. Signum sacramentale *a Deo est institutum*, nam Dei solius est, instituere signum, quod non modo significandi, sed etiam conferendi gratiam sanctificantem vim habet; sicut Deus tantum sanctitatem efficere potest. Sed Christus etiam qua *homo* est auctor Sacramentorum, *a)* quia sua passione promeruit gratiam, *b)* quia per gratiam Sacramentis vim tribuit, *c)* quia ritum sacramentalem visibiliter instituit.<sup>6)</sup>

2. — *Existere Sacramenta proprie dicta in lege nova, eaque septem esse*, semper Ecclesia credidit et docuit, solemnique iudicio definivit contra novatores in Concilio Trid. Sess. 7. can. 1. Ratio congruentiae pro septennario numero Sacramentorum *una* desumitur ex analogia spiritualis vitae cum vita corporali, quam expositam invenis in quolibet opere dogmatico,<sup>7)</sup> *altera* ex numero virtutum, quibus congruunt Sacramenta, praesertim a Doctore Seraphico

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 60 a. 4 c.

<sup>2)</sup> S. Augustinus ait: „*In nullo religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio.*“ Contra Faustum Lib. XIX. c. 11.

<sup>3)</sup> Juxta d. Thomam docentem: „*Sacramentum est signum commemorativum ejus quod praecessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per*

*Christi passionem, scilicet gratiae, et prognosticum id est praenuntiativum futurae gloriae.*“ 3. q. 60 a. 3 c.

<sup>4)</sup> S. Thom. 3. q. 62 a. 3 ad 1.

<sup>5)</sup> Idem 3. q. 62 a. 1 et a. 4 ad 1.

<sup>6)</sup> Vid. d. Thom. 3. q. 64 a. 3. Plura Franzelin: De sacr. in genere cap. V, Thesis 14. Romae.

<sup>7)</sup> Legatur praesertim d. Thom. 3. q. 65 a. 1. *Catechismus Romanus* P. II. cap. 1 q. 15.

allata, <sup>1)</sup> quatenus Baptismus respondet fidei, Confirmatio fortitudini, Eucharistia caritati, Poenitentia justitiae, Extrema Unctio spei, Ordo prudentiae, Matrimonium temperantiae. <sup>2)</sup>

\* De figuris septem Sacramentorum s. Bonaventura: Compendium Theologicae veritatis Lib. VI. cap. 5. S. Thomas: In Lib. IV. Sent. Dist. II. q. 1 a. 2. Contra Gent. Lib. IV. cap. 58. — Bellarmin: De Sacram. in genere Lib. II. cap. 26. Hettlinger: Apologie des Christenthums B. II. Abth. 2, Vortrag 13. Hurter S. J.: Comp. Theologiae dogmaticae, Tom. III. Tr. 9 cap. 2.

*Dominum nostrum Jesum Christum esse omnium Sacramentorum auctorem*, est doctrina fidei, definita a Conc. Trid. Sess. 7. can. 1. Et sententia certa tenendaque tradit, <sup>3)</sup> Christum *immediate* omnia et singula Sacramenta instituisse. Etenim 1) cum Conc. Trid. l. c. absolute dicat, *omnia Sacramenta* novae legis a Christo Domino nostro fuisse instituta, asseri vix potest, alia a Christo institutore visibili immediate, alia a Spiritu Sancto vel Christo institutore invisibili per Apostolos seu mediate tantum ab ipso processisse. 2) Apostoli nonnisi dispensatores et ministri mysteriorum Dei in s. scriptura appellantur. 3) Sacramenta V. T. a Deo immediate sunt instituta, multo magis Sacramenta N. T. utpote praestantiora a Christo Domino auctore novae legis immediate repetenda erunt. 4) De Sacramento Extremae Unctionis, quod maxime a nonnullis dicebatur institutum a Spiritu Sancto per Apostolos, Conc. Trid. Sess. 14. can. 1 peremptorie dicit, illud esse a Christo institutum, per Apostolum Jacobum vero tantum fidelibus commendatum et promulgatum.

\* De auctore Sacramentorum: Bellarmin: De Sacramentis in genere Lib. I. cap. 23. Collet: De Sacram. in genere cap. 2, Sect. 1. Schwetz: Theol. Dogm. Vol. III. §. 29. Franzelin S. J.: De Sacramentis in genere, Thesis 14.

## §. 45.

### Effectus Sacramentorum.

1. — Effectus omnibus Sacramentis communis est *gratia sanctificans*. Haec porro gratia adnexa habet specialia auxilia divina ad

<sup>1)</sup> Breviloquium P. VI. cap. 3. Compendium Theologicae veritatis Lib. VI. cap. 5.

<sup>2)</sup> Aliae congruentiae rationes in praedictis s. Bonaventurae operibus habentur.

<sup>3)</sup> Non defuerunt ante Concilium Trid. Theologi, qui aliqua Sacramenta (nominatim Confirmationem et Extremam Unctionem) a Spiritu Sancto per Apostolos instituta fuisse putarunt.

consequendum cujusvis Sacramenti finem. Et sic concepta gratia sanctificans, quatenus nempe adnexas habet speciales gratias vel saltem jus adfert ad has gratias suo tempore obtinendas, *gratia sacramentalis* appellatur.<sup>1)</sup> Cumque gratiae auxilia radiceantur in gratia sanctificante: sequitur, illa numquam ex opere operato iis tribui, qui indigne ad Sacramentum accedentes gratiam sanctificantem non receperunt vel gratiam sanctificantem acceptam per peccatum mortale perdididerunt, illa vero auxilia divina cum gratia sanctificante per poenitentiam recuperari.<sup>2)</sup>

Majorem vel minorem gratiam seu sanctitatem conferunt Sacramenta secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prouti vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7.

Praeter gratiam sanctificantem Sacramenta conferre virtutum supernaturalium habitus et dona Spiritus Sancti vel illorum habituum et donorum augmentum, sat superque constat ex Lib. I. §. 114 n. 5, §. 120 n. 5.

2. — Tria Sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio et Ordo, imprimunt in anima *characterem* indelebilem, quare iterari nequeunt, ex dogmatica definitione Concilii Trid. Sess. 7. can. 9.

Imprimitur character etiam per Sacramentum indigne susceptum, nec amittitur per peccatum; remanet quoque post mortem in beatis ad gloriam, in damnatis ad ignominiam.<sup>3)</sup>

Character sacramentalis est quaedam consecratio, potestatis consignatio, Christi configuratio; quapropter hoc insigniti a ceteris discernuntur, nempe Christi familiares ab eis, qui foris sunt; milites Christi ab eis, qui militiae Christi non sunt adscripti et quasi modo geniti infantes; ministri Christi a laicis. Moventur Angeli, ut specialem curam habeant illuminandi, protegendi et gubernandi eos, quos vident habere signum Dei in frontibus eorum. S. Cyrillus dicit: „*Cognoscunt Angeli insignitum sigillo (characterem), ut eum tueantur utpote aliquem suae familiae.*“<sup>4)</sup> Simi-

<sup>1)</sup> S. Thomas ait: „Gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.“ 3. q. 62 a. 2 c. „Ratio sacramentalis gratiae se habet ad gratiam com-

muniter dictam, sicut ratio speciei ad genus.“ Ibid. a. 2 ad 3.

<sup>2)</sup> Lugo: De Sacr. Disp. IV. Sect. 3 n. 29.

<sup>3)</sup> S. Thom. 3. q. 63 a. 5 ad 3.

<sup>4)</sup> Catech. I. n. 2.

liter alii ss. Patres. <sup>1)</sup> — Cetera de charactere sacramentali notanda Dogmaticis relinquimus.

Par est doctrina praemissa, ingerendo nobis consolationem et magnam erga Deum gratitudinem, sed et roborando fiduciam, sed etiam excitando pietatem, ut nobis character sacramentalis fiat ad gloriam, non ad ignominiam. Nonne ignominia maxima erit in sacerdote damnato character, quo insignitus est, character triplex, filiationis, militiae et ministerii Christi? Nonne daemones hac visa triplici signatura crudelissime illudent sacerdotem miserimum: Fili Dei, ubi est haereditas tua? miles Christi, ubi est corona tua? minister Christi, ubi est thronus gloriae tuae? — —

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. p. 62 a. 2 (de gratia sacramentali), q. 63 per 6 artic. (de charactere sacramentali). -- Bellarmin: De Sacramentis in genere Lib. II. cap. 18-27 (de charactere). Lugo: De Sacram. in genere Disp. IV. Sect. 3 (de gratia sacramentali), Disp. VI. per 4 Sect. (de charactere). Franzelin: De Sacram. in genere Thes. 12 et 13 (de charactere). Romae. Scheeben: Die Mysterien des Christenthums Hauptst. 7 §. 84 (Mystische Natur und Bedeutung des sacrament. Characters). Freiburg. Patiss: Das Leben des Gott-Menschen Jesus Christus, Geheimnis IV, S. 300 u. f. Wien. Hurter: Theol. dogm. Tom. III. n. 300 et seq. Oeniponte.

3. — De modo, quo Sacramenta effectus nunc indicatos producunt, fide certum est, ea operari *ex opere operato*, id est, vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis vel suscipientis sive de congruo sive de condigno. Conc. Trid. Sess. 7. can. 8. *Opus operatum* videlicet est ipsa actio sacramentalis seu visibile signum sacramentale.

Conferuntur Sacramenta a) *valide* iis, in quibus non obstat *incapacitas* seu inhabilitas, b) *fructuose* seu cum gratia sanctificante *omnibus non ponentibus obicem*, Conc. Trid. Sess. 7. can. 6.

*Incapacitas* est ineptitudo ad Sacramentum suscipiendum, quae oritur ex defectu baptismatis quoad omnia reliqua Sacramenta, ex charactere jam percepto quoad Sacramenta characterem imprimantia; ex defectu usus rationis, qui numquam habitus est, quoad Poenitentiam, ex eodem defectu vel ex sanitate corporis quoad Extremam unctionem, ex sexu femineo quoad Ordinem ex impedimentis dirimentibus quoad Matrimonium. *Obex gratiae* dicitur mala dispositio repugnans infusioni gratiae; in infantibus nullus esse potest, in Sacramentis mortuorum est impenitentia,

<sup>1)</sup> Vid. Franzelin: De Sacram. in genere, Thesis 12 et 13. Romae.

in Sacramentis vivorum est status peccati mortalis. Obex est vel *culpabilis* vel *inculpabilis*, prouti aliquis aut scienter absque debita dispositione suscipit Sacramentum, et tunc peccat, aut invincibiliter ignorans sive non advertens defectum dispositionis Sacramentum suscipit, et tunc non quidem peccat, sed tamen non accipit gratiam Sacramenti.<sup>1)</sup> Unde liquet, *a)* quod aliquis sine fructu, sed cum peccato, et *b)* quod quis sine fructu et sine peccato potest Sacramentum suscipere.<sup>2)</sup>

## §. 46.

## Divisio Sacramentorum.

1. — Sacramenta varie dividuntur, nimirum

1. Ratione *effectus* alia sunt imprimentia, alia non imprimentia characterem in anima, ut satis constat.

2. Ratione *necessitatis* alia privatis, alia Ecclesiae in universum sunt necessaria. Ordo et Matrimonium ad haec, reliqua ad illa pertinent. Alia necessaria sunt *necessitate medii* saltem in voto, nempe Baptismus pro omnibus, Poenitentia pro lapsis in peccatum mortale; cetera i. e. Confirmatio, Eucharistia et Extrema Unctio *necessitate praecepti* necessaria sunt. Quod Eucharistiam vero plures tenent, eam saltem in voto implicito esse necessariam necessitate medii, de qua re vide infra §. 98 n. 1.

3. Ratione subjecti alia sunt Sacramenta *mortuorum*, alia *vivorum*. Priora de se instituta sunt ad conferendam gratiam spiritualiter mortuis seu iis, qui carent gratia sanctificante, et sunt Baptismus et Poenitentia. Posteriora de se instituta sunt ad conferendam gratiam spiritualiter vivis seu in statu gratiae existentibus, qualia sunt Sacramenta reliqua. Igitur Sacramenta mortuorum ex divina institutione conferunt *gratiam primam*, Sacramenta vivorum conferunt *gratiam secundam* seu gratiam augent.

Sed duo observare velis:

*a)* Sacramenta mortuorum per accidens conferre possunt gratiam secundam, scilicet 1. quando adultus, qui per actum contritionis perfectae jam adeptus est gratiam justificantem, ad Baptismum accedit; 2. quando poenitens confitetur tantum peccata venialia,

<sup>1)</sup> Lugo: De Sacram. Disp. IX. n. 21.

<sup>2)</sup> Lugo: De Sacr. Euch. Disp. XII. n. 25.

alia non habens, vel confitetur mortalia jam remissa (sive per contritionem perfectam cum voto Sacramenti sive per priorem absolutionem sacramentalem). Ratio est, quia fide constat, Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, quem certo illi non ponunt, qui sunt in statu gratiae; quapropter illis Sacramenta mortuorum conferunt gratiam, quae vero, cum jam gratia praecesserit, non est nisi gratia secunda.

b) *Sacramenta vivorum per accidens conferre possunt gratiam primam*, videlicet 1. quum quis invincibiliter ignorans, se esse in statu peccati mortalis, cum attritione de omnibus peccatis accedit ad illa Sacramenta; 2. quum quis conscius peccati mortalis elicere conatur contritionem perfectam, et existimans se esse perfecte contritum, dum est tantum attritus, bona fide accedit ad illa Sacramenta; 3. quando poenitens sufficienter attritus a confessario non est valide absolutus e. g. ob defectum jurisdictionis. Ratio eadem est, quam mox supra attulimus; causant enim Sacramenta gratiam non ponentibus obicem, quam certo illi non ponunt, qui sunt bonae fidei; quocirca eis Sacramenta vivorum infundunt gratiam, quae vero, cum status gratiae non praecesserit, est gratia prima.<sup>1)</sup>

2. — Ratione *dignitatis* Sacramenta non sunt inter se paria, sed aliud alio dignius, diverso respectu e. g. necessitatis, significationis etc. Sed per se Eucharistia Sacramentum est omnium excellentissimum, namque gratiam non tantum, sed ipsum gratiae auctorem continet, finis et consummatio est omnium Sacramentorum, quia in eo fit unio realis et intima cum Christo, quae est terminus omnis sanctificationis provenientis ab aliis Sacramentis; atque ideo Eucharistia etiam est summum Ecclesiae bonum.

## B. De signo sacramentali.

### §. 47.

#### Signi sacramentalis compositio et institutio.

1. — Signum sacramentale re sensibili et verbis constat. „Ex rebus et verbis fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut ex materia et forma.“<sup>2)</sup> Concilium Florentinum expresse definivit,

<sup>1)</sup> Ita s. Thom. 3. q. 72 a. 7 ad 2.; q. 79 a. 3. S. Alph. Lib. VI. n. 6, et alii communiter.

<sup>2)</sup> S. Thom. 3. q. 60 a. 6 ad 2, a. 7 c.



Sacramenta omnia *rebus tamquam materia, verbis tamquam forma* perfici. Quae compositio maxime congruit sapientiae divinae, sive Christum Sacramentorum institutorem, sive hominem Sacramentorum susceptorem, sive Sacramenta ipsa spectemus. Etenim 1. in Christo Verbum aeternum carni sensibili unitur; cui quodammodo assimilantur Sacramenta, in quibus rei sensibili verbum conjungitur; — 2. homo corpore sensibili et anima constat, quae corpus informat; similiter Sacramenta habent rem sensibilem et verbum, quod instar animae rem illam informat; — 3. Sacramenta significant gratiam, quam continent; significatio autem rerum multum perficitur per verba, quae proinde convenienter rebus adjunguntur.<sup>1)</sup>

2. — Igitur 1. *materia* Sacramenti est res sensibilis, quae praeexigitur ad Sacramentum conficiendum; et est remota et proxima. *Remota* est ipsa res, ex qua Sacramentum conficitur, e. g. aqua respectu Baptismi. *Proxima* est usus seu applicatio hujus rei seu materiae remotae, e. g. ablutio in Baptismo.

2. *Forma* sunt verba proprie talia vel signa verbis aequivalentia, quibus res sensibilis seu materia ad Sacramentum perficiendum determinatur e. g. *ego te baptizo etc.* Forma est vel *absoluta* vel *conditionata*, prout verba absolute e. g. ego te baptizo, vel conditione adnexa e. g. si vivis, ego te baptizo, enuntiantur.

3. — Certum est, Christum saltem *generaliter* omnium Sacramentorum materiam et formam instituisse; secus enim dici non posset, eum Sacramenta instituisse; quod credendum est fide divina.

Certum est, Jesum Christum *in specie* materiam et formam Baptismi et Eucharistiae determinasse; evidenter enim ex s. scriptura constat. Sententia verior, auctoritate s. Thomae,<sup>2)</sup> s. Alphonsi,<sup>3)</sup> Benedicti XIV.<sup>4)</sup> firmata docet, etiam reliquorum Sacramentorum materiam et formam *specialiter* et discrete fuisse a Christo Domino assignatam; quia Ecclesia nihil potest quoad *illorum substantiam* (Conc. Tr. Sess. 21. cap. 2), ad quam vero nihil magis

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 60 a. 6 c.

In Sacramentis V. T. verba praescripta et determinata non fuisse videntur, quamvis aliqua verba tum sacerdotes tum ii, qui Sacramentis utebantur, usurparunt. Illa enim Sacramenta gratiam a Christo dandam so-

lum praefigurabant; quid mirum, si minus claritatis et perfectionis praese ferebant. S. Thom. l. c. ad 3.

<sup>2)</sup> 3. q. 60 a. 6 ad 3.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 12.

<sup>4)</sup> De Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 10 n. 10.

pertinet, quam eorum materia et forma; quare conjici debet, utramque a Christo fuisse specialiter determinatam. Id tamen concedendum, quod materia in aliis Sacramentis strictius, in aliis minus stricte instituta, atque forma non secundum verborum sonum et phrasim grammaticam, sed quoad sensum et significationem verborum est divinitus determinata.

§. 48.

**Unio materiae et formae in Sacramentis conficiendis.**

1. — Duplex distinguitur unio materiae et formae sacramentalis, physica et moralis. 1. *Physica* dicitur unio, si verba proferantur eo instanti, quo materia adhibetur; 2. *moralis*, si eodem instanti non quidem pronuntientur verba, attamen ita in materiam cadant, ut simul coëxistere unumque signum constituere merito censeantur.

2. — **Principium:** *Ad valide conficiendum Sacramentum requiritur unio materiae et formae, diversa tamen pro cujusvis Sacramenti natura.* Etenim 1. ad conficiendum Sacramentum ex institutione Christi necessaria est unitas signi visibilis; haec porro unitas non nisi ex unione materiae et formae consurgit. 2. Diversa tamen requiritur unio materiae et formae pro diversa cujuslibet Sacramenti natura. Nimirum in *Eucharistiae* Sacramento unio materiae et formae debet esse physica, quia pronomina demonstrativa, *hic, hoc*, materiam physice praesentem esse supponunt. In reliquis Sacramentis moralis unio sufficit, eaque rursus diversa pro diversitate Sacramentorum. In *Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione et Ordine* sufficit, si materia applicatur, antequam forma finiatur vel postquam forma sit incepta.<sup>1)</sup> In *Poenitentiae* Sacramento sufficit unio, quam actus judicialis exigit; quare post confessionem non statim necessario fieri debet absolutio. Dicit s. Alphonsus cum sententia communi, valide posse a confessario absolvi confessum post horam.<sup>2)</sup> In *Matrimonio* sufficit unio, quae ordinarie sufficit in contractibus, ubi satis est, ut consensus unius ponatur, dum adhuc consensus alterius moraliter perseverat.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Interruptio materiae et formae per moram unius *Pater noster* invalida redderet haec Sacramenta. S. Alph. Lib. VI. n. 9. Juxta plures Theologos

dubius esset baptismus, si effusione aquae jam perfecta inciperetur forma.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 9.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 8—10.

## §. 49.

**Mutatio materiae et formae Sacramentorum.**

1. — Duplex potest in materia et forma Sacramentorum contingere mutatio, nempe *substantialis* et *accidentalis*.

1. Mutatio respectu materiae dicitur *substantialis*, quando res in Sacramento conficiendo adhibita usu et nomine non eadem est, quam Christus pro sacramento instituit et Ecclesia usurpat, ut e. g. si in baptismo loco aquae vinum adhiberetur. *Accidentalis* est, quando res, quae ut materia adhiberetur, inter homines adhuc eundem usum et idem nomen retinet, ut e. g. si quis in baptismo utatur aqua calida.

2. Mutatio respectu formae vocatur *substantialis*, si verba non eundem sensum habent, quem Christus exprimi voluit, ut e. g. si invocatio unius personae divinae in forma baptismi omitteretur. *Accidentalis* dicitur, si verba non obstante mutatione eundem sensum retinent. Variis modis mutatio formae fieri potest, videlicet, positione unius vocis pro alia, transpositione verborum, additione vel detractione vel corruptione alicujus vocis, subtractione vel corruptione syllabae, interruptione formae, nempe pronuntiando unam partem formae et post moram alteram formae partem addendo.<sup>1)</sup> Quae igitur mutationes aut substantiales aut accidentales sunt, prouti sensus verborum a Christo intentus vel pereat vel maneat.

Semper autem ad rite cognoscendum, utrum mutatio materiae et formae sit *substantialis* an *accidentalis*, attendi debet *doctrina et sensus Ecclesiae* de essentia materiae et formae a Christo Domino requisita ad Sacramenti valorem; adeoque tum materia et forma, tum utriusque mutatio *theologica* expendi debent. Etenim si e. g. in Baptismo pro aqua fluida utaris nive, in Extrema Unctione adhibeas oleum non benedictum pro benedicto, mutas materias physice accidentaliter, sed *theologica* substantialiter; quia licet aqua et nix sint physice eadem materia, non tamen in nive invenitur aptitudo abluendi, quae ex Christi institutione est de essentia materiae Baptismi; et quamvis oleum non benedictum sit physice idem ac benedictum, attamen in oleo non benedicto tollitur prae

---

<sup>1)</sup> Fuse de singulis La Croix: Theol. mor. Tr. de Sacram. in genere n. 29—39.

dicatum sacri, quod Christus requisivit ad materiam Extremae Uctionis. Peccatum per priorem absolutionem remissum non est substantialiter mutatum, hinc manet materia valida Poenitentiae; e contra peccatum reservatum est mutatum substantialiter, quia non manet peccatum subditi, quod tamen Christus requisivit ad materiam Poenitentiae. — Porro, si in Baptismo dicas, ego te baptizo in nomine ss. Trinitatis, mutas formam *theologicè* substantialiter, quia ex Christi institutione clare et distincte tres personae divinae exprimi debent.<sup>1)</sup>

### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Omnis mutatio substantialis in materia vel forma Sacramenti reddit invalidum Sacramentum, non tamen mutatio accidentalis.* Ratio evidens est; siquidem in priori casu non amplius obtinet idem ritus, quem Christus ut necessarium ad conficiendum Sacramentum instituit, in posteriori casu ille ritus non tollitur.

**Principium II.** *Substantialis mutatio materiae vel formae est peccatum mortale, accidentalis grave vel leve peccatum est, prout modo notabili vel non notabili fit.* Etenim substantiali mutatione invalide ministratur Sacramentum, quare injuria gravis Christo Sacramenti institutori, et grave damnum homini illud suscipienti infertur.<sup>2)</sup> Mutatione accidentali peccatur contra praeceptum Ecclesiae, quae in administrandis Sacramentis servari vult unitatem et sacris debitam pietatem; quare contra illud praeceptum agere in re gravi erit peccatum grave, in re levi tantum leve. Hinc in Rubr. Miss. de def. dicitur, gravissime peccaturum, qui aliquid formae Eucharistiae adderet, etsi significationem non mutaret.<sup>3)</sup> Igitur unusquisque sacrorum minister maxime caveat, ne in re tam divina et sancta aliquid observandum quocunque modo immutet.

\* S. Thomas: Summa Theolog. 3. q. 60 a. 8. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 11. — Lugo: De Sacr. in genere Disp. II. Sect. 6.

<sup>1)</sup> Videri potest La Croix: Tr. I. de Sacr. in genere n. 18 et seq.

<sup>2)</sup> Hinc qui mutationem *substantialem* facit, peccat *contra religionem* propter irreverentiam erga auctorem Sacramentorum, peccat *contra caritatem*, quia proximus magno bono privatur; peccabit simul *contra justitiam*,

si ex justitia tenetur Sacramentum administrare, uti parochus.

<sup>3)</sup> Qui facit mutationem, *dubitans* an sit substantialis an accidentalis, mortaliter peccat, quia periculo formali se exponit Sacramentum invalidum reddendi.

Suarez: De Sacr. in genere Disp. II. Sect. 4. La Croix: Theol. mor. Lib. VI. Tr. de Sacr. in genere n. 18—46. Collet: De Sacr. in genere cap. II. a. 2, Punct. 3. Reuter: Theol. mor. P. IV. Tract. I. de Sacr. n. 11—14.

## C a s u s.

3. — *Liberius postquam in actu baptismatis verba: Ego te baptizo, pronuntiaverat, tussi impeditur statim proseguere reliqua verba ad Sacramenti formam pertinentia; deinceps verba prius prolata non amplius repetens tantum subdit: In nomine Patris etc. An baptismus valide et licite est collatus?*

*Alias coepit sacro oleo unguere infirmum, et quia post primam unctionem putavit, eum esse mortuum, destitit et post dimidiam horam videns illum oculos aperire, reliquas unctiones addidit et totam formam protulit. An recte egit?*

*Idem dum poenitentem absolvit, post prolata verba: ego te absolvo, animadvertit, eum jam discessisse e sacro tribunali; quapropter eundem revocat dicens: quid est hoc? revertere, usquedum te absolverim; quo reverso protulit reliqua verba: a peccatis tuis. Jam vero dubitat, an valide absolverit?*

Resp. ad 1. cum s. Alphonso: Tussis longa (puta per medium quadrantem) inter verba certo invalidat formam, item tussis inter syllabas verborum formam invalidat, nisi sit momentanea.<sup>1)</sup> Unde solutio casus colligitur.

Ad 2. Debuisset priorem unctionem iterare, quia haec se habuit, ac si numquam fuisset pro Sacramento facta, cum propter longiorem interruptionem non potuerit constituere unionem moralem cum reliquis unctionibus.<sup>2)</sup>

Ad 3. Si poenitens fuit tam propinquus, ut confessarius illum statim potuerit revocare, tunc moraliter praesens censi potuit, proindeque minime necessarium fuit eum revocare, sed confessarius verba absolutionis continuo proseguere debuisset.<sup>3)</sup> Ceterum valide illum poenitentem absolvit, licet interrupperit verba absolutionis poenitentem revocando, quia interruptio parva per verborum interpositionem minime impediabat sensum substantialis formae.<sup>4)</sup>

## §. 50.

## Forma conditionata.

Conditio Sacramento apposita est vel *de praeterito* e. g. si non es baptizatus, si non es ordinatus, vel *de praesenti* e. g. si vivis, si capax es, si dignus es, vel *de futuro* e. g. si restitues, ego te absolvo.

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Validum est Sacramentum sub conditione de praeterito vel de praesenti collatum, semper ac existit conditio apposita. Non valet Sacramentum sub conditione de futuro, excepto tamen Matrimonio.* Ratio est, quia ad valide conferendum Sacramentum forma applicari debet materiae praesenti, ac proinde, ubi conditio

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 11 sub 4.

<sup>2)</sup> La Croix: Lib. VI. n. 8.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 429.

<sup>4)</sup> Idem de simili casu Lib. VI. n. 11.

apponitur de praesenti, hac conditione existente forma conjungitur materiae praesenti, et Sacramentum conficitur. Quando vero conditio est de futuro, forma hic et nunc non applicatur materiae, et conditione postea impleta jam desiit forma adesse; ergo simultanea materiae et formae positio desideratur. Excipitur tamen Matrimonium, quod quippe contractus instar celebrari potest sub conditione de futuro; quia consensus refertur in eventum conditionis, hinc conditione eveniente contractus perficitur, adeoque tunc fit Sacramentum.

2. — **Principium II.** *Licitum est ex gravi causa conferre Sacramenta sub conditione de praeterito vel praesenti.* Quae veritas, uno Poenitentiae Sacramento excepto, quoad omnia reliqua Sacramenta constat inter omnes doctores, atque decisionibus vel praescriptis Ecclesiae firmissime comprobatur. Quoad Baptismum Rit. Rom. in casu, quo dubitatur, an infans vivat, praescribit baptizandum: *Si vivis, ego te baptizo*, in dubio, an quis alias sit baptizatus: *Si non es baptizatus*, quod pariter habetur in jure can. Decr. cap. 2 de bapt. Et Pius VI. deliberationem Synodi Pistoriensis, *qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii Baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione*, in Constit. *Auctorem fidei* sub n. 27 tamquam temerariam, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contrariam proscripsit. Intuitu Confirmationis formam conditionatam commemorat Benedictus XIV. *Etsi pastoralis* 26. Maji 1742 §. 3 n. 2. Quoad Extremam unctionem Rub. Rit. Rom. in dubio de vita infirmi praescribit dicendum: *Si vivis, per istam sanctam unctionem* etc. Respectu Ordinationis nobis praesto est auctoritas S. Congr. Conc. apud Benedict. XIV. de Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 10 n. 13. Quoad Matrimonium desuper agitur in jure can. Tit. de condit. (4—5.) Denique sacramentum Eucharistiae conditionate non quidem conferri potest, ut patet ex ejusdem natura; attamen conditionate confici et iterari potest vel debet, ut constat ex Rubr. Missae de defectibus. — Quod attinet *Sacramentum Poenitentiae*, a nonnullis ambigitur, an sub formae conditione licite conferri possit. At vero analogia hujus Sacramenti cum ceteris Sacramentis, auctoritas theologorum gravissimorum,<sup>1)</sup> inter

---

<sup>1)</sup> Suarez: De Sacr. Disp. XIII. et seq. Sporer: Theol. sacr. P I cap. 2 Sect. 3 concl. 3. La Croix: Th. mor. Sect. 2 n. 97 et 129. Collet: De Lib. VI. P. I n. 78—83. P. II n. 1769 Sacr. cap. 2 a. 1 Punct. 3, et alii.

quos sanctus Alphonsus<sup>1)</sup> eminent, Conciliorum nonnullorum particularium statuta,<sup>2)</sup> ac praepriis Ecclesiae praxis<sup>3)</sup> dubitare non sinunt, quin Poenitentiae Sacramentum haud secus ac reliqua Sacramenta sub forma conditionali conferri possit, quoties gravis causa subest, mox infra declaranda.

3. — **Principium III.** *Sub conditione conferri possunt, imo et debent Sacramenta, quoties justa adest causa,* nempe necessitas vel gravis utilitas Sacramenti, et *dubitatur vel probabilis tantum opinio habetur de valore Sacramenti.* Ex eadem causa necessitatis vel gravis utilitatis Sacramenta *sub conditione iterari* possunt et debent, prudenti dubio de eorum valore interveniente. Sic fert doctrina communis,<sup>4)</sup> quae optime confirmatur praescriptis Ecclesiae supra relatis atque Ecclesiae praxi. Ratio utriusque assertionis est, quia Sacramenta instituta sunt propter homines, quorum saluti proinde per illa, quantum fieri potest, consulendum est, atque reverentiae Sacramentorum casu, quo invalide conferrentur, satis consulitur per conditionem appositam. Sufficit ad reverentiam Sacramenti conditio mente concepta; consultius autem est, conditionem verbis simul exprimere.

Extra casum necessitatis vel magnae utilitatis sub conditione conferre Sacramenta cum dubio effectu, vel iterare Sacramenta, etiam conditionate, ubi nullum prudens dubium intervenit de eorum valore, est peccatum grave sacrilegii; quia per talem abusum gravis irreverentia Sacramentis, ideoque Christo ipsi, Sacramentorum auctori infertur.<sup>5)</sup> Attamen a peccato gravi vel etiam levi excusari poterunt scrupulosi, qui ob leve dubium de valore Sacramenti formam super eandem materiam repetunt, quia sine advertentia ad irreverentiam, ex mera perplexitate agunt.

4. — Imo in dubio, an Sacramentum, tale praesertim quod characterem imprimit, fuerit valide collatum, *magis inclinandum est*

1) Theol. mor. Lib. VI. n. 28 et 431.

2) Vid. Benedict. XIV.: De synodo Dioec. Lib. VII. cap. 15 n. 13.

3) Instructio Pastor. Eystadiensis Tit. XI. cap. 3 §. 9 haec habet: „*Sub conditione tantum de praesenti, quoties cunque urget necessitas Sacramenti, absolutio dari potest,*“ et dein recensentur plures casus, in quibus absolutio sacramentalis sub conditione impertiatur.

4) La Croix: Theol. mor. Lib. VI. n. 123. Sporer: Theol. Sacram. P. I. c. 3 n. 128 et 129. Elbel: De Sacram. Conf. II. n. 51. Voit: De Sacram. n. 67, et praeter alios Alphons.: Lib. VI. n. 28.

5) S. Alph. l. c. Elbel: De Sacram. Conf. II. n. 51. Voit: De Sacram. Tract. I. n. 31.

*ad repetitionem conditionate faciendam, quam omittendam (dummodo inanis scrupulus absit); quia sic suscipientis utilitati et Sacramenti reverentiae prudenter consulitur.*<sup>1)</sup>

\* S. A l p h o n s u s : Theologia moralis Lib. VI. n. 26—29, 431. L a C r o i x : Theol. mor. Lib. VI. Tr. 1 n. 78—83, 123—132. C o l l e t : De Sacram. in genere cap. 2. a. 1. Sect. 2. Punct. 3. §. III.

Objectiones contra usum formae conditionalis, praesertim in Sacramento Poenitentiae.

5. — Dicunt 1. Nullum ante 8. saeculum formae conditionalis in Sacramentis administrandis vestigium exstat, nec in scriptis ss. Patrum neque in statutis Conciliorum. Ergo illius formae usus est innovatio in Ecclesia facta.<sup>2)</sup> 2. Quod attinet Poenitentiae Sacramentum, libri rituales et nunc temporis de forma condicionali prorsus silent. Ergo absolutio conditionata dari nequit.

Resp. ad 1. Quamvis ante 8. saeculum expressam formae hujus mentionem non inveniamus, nihilominus tamen illam in usu fuisse, ex antiqua et constanti Ecclesiae traditione colligitur. Etenim perpetuum Ecclesiae dogma fuit, unicum esse baptismum, quod propterea rite collatum sine gravi piaculo iterari posse, semper Ecclesia negavit. At Ecclesia eos nihilominus, de quibus dubitabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos praecepit. Ne igitur dicamus, Ecclesiam incidisse in rebaptizantium errorem, quem toties damnaverat, necesse est existimare, non aliter in tali dubio Baptismum conferri voluisse, quam sub tacita et mente concepta conditione; quae coepit saeculo 8. in ipsa Baptismi forma exprimi et pronuntiarum.<sup>3)</sup>

R. ad 2. Si objectio haec valeretur, nec Confirmatio neque Ordo sub conditione administrari posset, quia nulla formae conditionalis mentio in libris liturgicis quoad haec Sacramenta deprehenditur, cum tamen illius formae usus in iisdem administrandis certo licitus est, ut ex sensu et praxi Ecclesiae constat. Et quid proinde impedit, quominus absolutio conditionata ex gravi causa impertiatur, quando quidem talis absolutio pariter ex praxi Ecclesiae satis firmetur atque tam Sacramenti dignitati quam poenitentis saluti adprimum congruat, in iis nempe casibus, ubi ex una parte animae poenitentis consulendum est, et ex altera parte de ejusdem capacitate seu dignitate certitudo moralis non habetur.

6. — Sed instant 1. Forma condicionalis repugnat indoli Sacramenti Poenitentiae, quia absolutio importat actum judiciale, qualis non est absolutio condicionalis. 2. Ad summum admitti posset forma conditionata: *si capax es*, nulla vero ratione forma: *si dignus es*, ob repugnantiam ad actum judiciale.

Resp. ad 1. Absolutio sacramentalis quidem prae se fert actum judiciale, sed multum differt a judicio forensi, idque ob specialem Christi institutionem, quae ex perpetua Traditione, ex sensu et praxi Ecclesiae innotescit. An e. g. valida est absolutio absenti data vel in scriptis prolata, cum tamen in judicio forensi etiam absens et per scripturam immunis a crimine et poena

<sup>1)</sup> Reuter: Tr. de Sacram. cap. 2 n. 60.

eccl. saec. 4. cap. 4 n. 12. J u e n i n : Diss. I. q. 3 cap. 5 a 1.

<sup>2)</sup> Alexander Natalis: Hist.

<sup>3)</sup> Ita Benedictus XIV.: De Synod. dioec. Lib. VII. cap. 6 n. 1.



declarari possit? Quippe absolutio sacramentalis induit characterem remissionis et donationis; porro remissionem et donationem etiam certa sub conditione fieri posse, nemo sane inficias ibit. Adde, quod absolutio a vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti conditionate conferri possit, cum tamen talis absolutio aequae sit actus judicialis ac absolutio a peccatis.

R. ad 2 Formula conditionata: *Si dignus es*, in Sacramento Poenitentiae prorsus coincidit cum illa: *Si capax es*, quia contritio confitentis pertinet ad essentialem materiam hujus Sacramenti, et absolute indignus, ejusdem quoque incapax existit. Vid. infra §. 154 n. 4.

## C. D E S A C R A M E N T O R U M M I N I S T R O .

### §. 51.

#### Christus et homo.

Divinus Redemptor noster solus est *principalis* et proprio jure Sacramentorum minister, qui eorundem effectus operatur, non quidem visibili „ministerio corporis, sed invisibili opere majestatis.“<sup>1)</sup>

Minister Sacramentorum *minus principalis*, qui potestate et nomine et in persona Christi sacramentalem actionem ponit, quae ex Christi institutione et per ipsius merita est efficax gratiae, de lege ordinaria est *solus homo viator*; omnino quidem convenienter, quia institutor Sacramentorum fuit Christus homo.<sup>2)</sup> Sed ex divina dispensatione etiam Angeli possunt esse eorum ministri;<sup>3)</sup> sic s. R a y m u n d u s N o n n a t u s, morbo ingravescente, Angelorum ministerio sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium salutare viaticum percepit; s. S t a n i s l a u s K o s t k a bis fuit angelico pane ab Angelis refectus.<sup>4)</sup>

Ministri Sacramentorum aptius dicuntur *ministri Christi*, quam Ecclesiae, quia non Ecclesiae, sed Christi nomine et potestate operari intendunt. Sunt *ministri Ecclesiae*, quatenus ab Ecclesia constituuntur et pro Ecclesia Sacramenta ministrant.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> S. Augustinus: Contra liter. Petiliani Lib. III. cap. 49 n. 59. Idem Comm. in Ev. Joan. Tract. VI. n. 7 scribit: „*Petrus baptizat, hic (Christus) est, qui baptizat; Paulus baptizat, hic est, qui baptizat; Judas baptizat, hic est, qui baptizat.*“

<sup>2)</sup> Vide d. Thom. 3. q. 64 a.

<sup>3)</sup> Idem l. c.

<sup>4)</sup> Plura alia exempla refert Clericatus: De Sac. in genere, Decis. 12.

<sup>5)</sup> La Croix: De Sac. in genere n. 53.

## §. 52.

**De conditionibus in ministro ad valide conficienda Sacramenta  
requisitis.**

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Ut minister valide ministret Sacramenta, requiritur potestas et intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia, non fides, nec probitas ministri.* Singula certa sunt ex Ecclesiae doctrina.

1. *Requiritur potestas*, qua minister fit idoneus ad Sacramentum conficiendum. Conc. Trid. Sess. 7. can. 10.

2. *Requiritur intentio*, qua actio ad esse sacramentale determinetur; per se enim actio pro Sacramento instituta (e. g. ablutio) ad plures fines potest referri.<sup>1)</sup> Non tamen requiritur intentio explicita, conficiendi Sacramentum aut producendi effectum Sacramenti; sed sufficit et requiritur *intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia*; ex definitione Conc. Trid. Sess. 7. can. 11, Sess. 14. cap. 6. et can. 9. Etenim Ecclesia per actum sacramentalem facit seu fieri vult per suos ministros Sacramentum.

Non requiritur intentio faciendi, quod facit *Ecclesia Romana*; sed sufficit intentio saltem implicita faciendi id, quod facit vera Ecclesia, etiamsi minister ex errore putet, suam sectam esse veram Christi Ecclesiam. Id exinde certum est, quod baptizati ab haereticis, qui Ecclesiam Romanam non credunt esse veram, ideo non sunt rebaptizandi.<sup>2)</sup>

Nec officit Sacramenti validitati *privatus ministri error*, quoad Sacramenti naturam et effectus; quia „praevalet generalis ministri intentio faciendi, quod Christus instituit seu quod fit in vera Christi Ecclesia“. Ita Benedictus XIV. docet.<sup>3)</sup> Vide etiam infra §. 71 n. 5.

Juxta sententiam communem non sufficit intentio mere materialiter faciendi *solum actum externum*; quia hujusmodi intentio non aequivalet intentioni faciendi, quod facit Ecclesia, quae quidem intendit actum non mere materialem, sed sacrum et sacra-

<sup>1)</sup> Vid. s. Thom. 3. q. 64 a. 8 c. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 6 q. 1 a. 2 q. 1.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 21.

<sup>3)</sup> De Syn. Dioec. Lib. VII. cap. 6

n. 9. — S. Thomas: „Non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse; et talis intentio sufficit ad Sacramentum.“ 3. q. 64 a. 9 ad 1.

mentalem fieri. Saltem Sacramenta, quae iterari nequeunt, sic administrata, iterum sub conditione erunt perficienda; si tamen res moram patiat, Sedis Apostolicae oraculum erit exquirendum. Sic Benedictus XIV. in op. De Syn. Dioec. Lib. VIII. c. 4 n. 9 fieri vult.<sup>1)</sup> Certo Sacramentum non conferret, qui *expresse* intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, excluderet, quare Alexander VIII. damnavit hanc sub n. 28 propositionem: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit Ecclesia.*

3. Non requiritur fides et probitas ministri ad valorem Sacramenti, ut definivit Concilium Trid. Sess. 7. can. 12. Sacramenta enim ex virtute Dei et meritis Christi operantur. Et quamvis Christus Dominus efficaciam Sacramentorum potuisset simul a fide et probitate ministri dependentem velle, id tamen certo noluit, ut Ecclesia ab ipso edocta infallibiliter attestatur, idque ex misericordii (ut videtur) ipsius providentia, ne videlicet fideles, si effectus Sacramentorum a dignitate ministri penderent, innumeris periculis salutis dubiisque expositi manerent.<sup>2)</sup> — Verum praeter gratiam sacramentalem aliae gratiae *ex opere operantis* ministri obtineri possunt, sive quia ipse gratias pro suscipiente a Deo impetrat, sive quia sanctitatis suae exemplo pias affectiones in suscipiente excitat, quibus ad majorem gratiarum mensuram percipiendam disponitur.

2. — **Principium II.** *Ad Sacramenta valide conficienda optima, sed non necessaria est intentio actualis. Non sufficit intentio habitualis, multa minus interpretativa. Sufficit autem et omnino requiritur intentio virtualis; eaque determinata esse debet ad personam vel materiam praesentem.* Ita omnes docent.

Dico 1. *Non necessaria est intentio actualis*, quia Deus non obligat ad moraliter impossibilia vel nimis difficilia: atqui moraliter

<sup>1)</sup> De illa sententia, quae Ambrosio Catharino adscribitur, s. Alph. Lib. VI. n. 23. Franzelin: De Sacram. in genere, Thesis 17. Romae.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura: „Quia securitas salutis exigit, ut res sic fiat, ut in dubium non cadat, et nullus est, qui certus sit de bonitate et credulitate dis-

pensatoris, et idem ipse non est certus de se, utrum odio vel amore dignus sit: ideo si Sacramenta dispensari solum possent a bonis, nullus esset certus de susceptione Sacramenti et sic oporteret semper iterari, et sic malitia unius praejudicaret alienae salutis.“ Breviloq. P. VI. cap. 5.

impossibile fragilitati humanae est, quod minister semper habeat actualem intentionem, quando et quamdiu actionem sacramentalem exercet. <sup>1)</sup>

2. *Non sufficit intentio habitualis, et multo minus interpretativa*, quia minister Sacramenti, dum actu conficit Sacramentum, agere debet humano modo i. e. voluntarie et ex intentione conficiendi Sacramentum; quapropter in ipso requiritur intentio, quae sit causa actionis sacramentalis: atqui talis intentio non est habitualis, et multo minus interpretativa. <sup>2)</sup> Hinc sacerdos ebrius vel quocumque modo rationis impotens non valide baptizaret vel absolveret, etiamsi id intenderit, dum rationis compos erat.

3. *Sufficit et omnino requiritur intentio virtualis*, quia talis intentio est vera causa actionis, et aliunde sufficit ad omnes alios humanos actus e. g. vota, juramenta. <sup>3)</sup> Pro praxi s. Alphonsus sapienter observat, quod minister, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, nisi debitam intentionem positive excludat, imprudenter de ea dubitat; quia saltem vult facere, quod alias ipse solet et quod alii ministri faciunt, et quia per hoc, quod cognoscit actionem illam esse sacram et frustra non poni, intendit eam ponere juxta finem suum. Quare non est opus, ut minister ore vel corde dicat, se intendere confectionem Sacramenti, sed sufficit, ut sit animo praesens et attente faciat id, quod facit. <sup>4)</sup>

4. *Intentio determinata esse debet ad personam vel materiam praesentem*. Necesse enim est, ut verba formae sint vera; atqui verba formae indicant objectum praesens: ego te baptizo, hoc est corpus meum etc.

Error ministri circa personam suscipientis non invalidat Sacramentum, excepto matrimonio; quare e. g. sacerdos absolvens Paulum, quem putat esse Petrum, valide absolvit; baptizans, qui circa sexum infantis errat, valide baptizat, quia vera et principalis intentio dirigitur in personam praesentem, nisi aliter minister in mente sua expresse statuerit. <sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Ad rem d. Thomas: „Sed hoc (scil. actualiter attendere) non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.“ 3. q. 64 a. 8 ad 3.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 16.

<sup>3)</sup> Idem n. 18. Sufficit etiam intentio ministri metu extorta, praeterquam in matrimonio; quia metus non tollit voluntarium. S. Alph. n. 19.

<sup>4)</sup> Lib. VI. n. 18.

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 19. Fusius Lugo: De Sac. in genere Disp. VIII. Sect. 7.

\* S. Chrysostomus: Hom. 86. in Evang. Joan. (indignitas sacerdotis non obstat valori Sacramenti). S. Petrus Damiani: Opusc. 6 n. 2, et Opusc. 30 (de eodem argumento). S. Thomas: Summa Theolog. 3. q. 64 a. 8—10. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 6 q. 1 a. 2, quaest. 1 et 2. S. Alphonsus: Theol. moralis Lib. VI. n. 13—24. — Bellarmin: De Sacramentis in genere Lib. I. cap. 24—28. Lugo: De Sacr. in genere Disp. VIII. Sect. 1—8 (de intentione ministri). La Croix: Theol. mor. Lib. VI. P. I. n. 48—76. Collet: De Sacr. in genere cap. II. Sect. 2. Sporer: Theol. mor. de Sacramentis P. I. cap. 2 Sect. 3, cap. 3 Sect. 1. Franzelin: De Sacram. in genere Thesis 15, 16 et 17.

### §. 53.

## De conditionibus requisitis ad licite ministranda Sacramenta.

### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Minister ut licite ministret Sacramenta, valide, rite, attente, digne et dignis ea conferre tenetur.* Singula certa sunt, sed necessario per partes explicanda.

Igitur 1. minister, ut licite ministret Sacramenta, ante omnia *valide* ea conferre debet; videlicet observando ea, quae tam ex parte materiae et formae coll. §§. 48 et 49, quam ex parte potestatis et intentionis coll. §. 52 ad valorem Sacramenti requiruntur. Graviter peccat, qui utitur materia vel forma inepta vel (extra necessitatem) dubia;<sup>1)</sup> item, qui ministrat Sacramenta non habens sufficientem jurisdictionem vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui intentionem requisitam negligit.<sup>2)</sup>

2. *Rite* Sacramenta conferre debet, nimirum adhibendo ritus ab Ecclesia praescriptos, aliaque ad decentem Sacramentorum administrationem requisita. Vid. infra §. 61.

3. *Attente* Sacramenta a ministro dispensanda sunt. Id enim exigit reverentia sacris mysteriis debita. Distractio autem voluntaria per se peccatum veniale non excedit, nisi periculum adsit graviter errandi in forma praesertim longiori enuntianda. In confectione ss. Eucharistiae Sacramenti voluntaria distractio probabiliter est mortalis ob summam hujus Sacramenti dignitatem.<sup>3)</sup>

4. *Digne* i. e. in statu gratiae Sacramenta conferre debet minister, tum quia agit nomine Christi atque personam ejus gerit, adeoque ipsi debet conformari per gratiam sanctificantem; tum

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 42.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 14.

<sup>2)</sup> Idem n. 30 et 42.

quia sancta sancte tractari debent, potissime Sacramenta, quae sunt principaliter actiones Christi ad animas sanctificandas Deoque conjungendas immediate ac totaliter ordinatae. Quale autem peccatum praetermissio hujus conditionis sit, in principio mox sequenti explicabitur.

Denique 5. minister *dignis* seu recte dispositis Sacramenta dispensare tenetur, quod uberius explanatur mox infra §. 56.

2. — **Principium II.** *Mortaliter peccat minister Sacramenti ad conferendum Sacramentum specialiter consecratus, qui solemniter* (i. e. cum integro ritu ab Ecclesia praescripto) *conficit seu administrat Sacramentum in statu peccati mortalis, nisi ignorantia vel necessitate excusetur.* Ita omnes docent.<sup>1)</sup> Namque sic agens se pessime difformat a dignitate rei peragendae et a sanctitate illius, cui cooperatur. Itaque sacerdos in mortali peccato consecrans, absolvens, infirmum ungens etc., episcopus in statu peccati mortalis ordinans vel confirmans, mortaliter peccant. Ejusdem peccati reus est sacerdos vel diaconus, qui distribuit Eucharistiam in mortali; quod ex Catechismo Romano<sup>2)</sup> et ex Rituali Romano<sup>3)</sup> confirmatur.<sup>4)</sup>

*An vero graviter etiam peccat minister, qui in statu peccati mortalis confert Sacramentum, ad quod non est ordinatus seu consecratus, porro minister consecratus, qui non solemniter ministrat Sacramentum in mortali?* — Dissentiunt Doctores. 1. Negant alii, quia obligatio non conferendi Sacramenta in mortali non tam a sanctitate Christi et Sacramentorum, quam a consecratione ministri in Sacramento Ordinis ad Sacramenta conferenda petitur. 2. Alii *probabilius* affirmant, quia peccatum, quod committit indigne ministrans, consistit in irreverentia, quae Deo et Sacramentis irrogatur; sed haec irreverentia non tantum infertur a ministro con-

<sup>1)</sup> Vid. d. Thom.: 3. q. 64 a. 6, s. Alph.: Lib. VI. n. 31

<sup>2)</sup> P. II. cap. 1 q. 26, ubi dicitur: „Si homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria pulluto ore conficere, vel in foedas manus suscipere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur?“

<sup>3)</sup> In quo §. 1 dicitur: „Impure et indigne ministrantes (Sacramenta) in aeternae mortis reatum incurrunt.“ Et de Sacramento Eucharistiae dicitur: „Omnibus quidem ecclesiae catholicae Sacramentis religiose sancteque tractandis magna cura adhibenda, sed praecipue in administrando ac suscipiendo ss. Eucharistiae Sacramento.“

<sup>4)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 32.

secrato, sed etiam a ministro non consecrato, denique a ministro sive solemniter sive non solemniter agente; siquidem omnis minister nomine Christi agit et immediate ei cooperatur in actionibus sanctissimis. Hinc probabilius est, *a)* laicum sive sacerdotem non solemniter (absque caeremoniis) in casu necessitatis baptizantem graviter peccare, si ministret in mortali; *b)* contrahentes matrimonium in mortali graviter peccare, non solum Sacramentum suscipiendo, sed etiam ministrando.<sup>1)</sup>

Attamen *per accidens* minister tam consecratus quam non consecratus, qui ministrat in mortali, excusabitur a novo peccato mortali, si versetur in *ignorantia* vel *inadvertentia* inculpabili, vel si adsit *necessitas* Sacramenta ministrandi moribundo tam urgens, ut actum contritionis elicere nequeat.<sup>2)</sup> Hinc facile excusantur laici baptizantes, hac pressi necessitate.

3. — *An sacerdos qui peccati mortalis reus est, tenetur confiteri, antequam peragat Sacramentum?* Si agatur de sacra Eucharistia, obligatio praemittendi confessionem sacramentalem certa est ex Conc. Trid. Sess. 13. cap. 7. Quod attinet alia Sacramenta, necessitatem confessionis communiter negant, et sufficere dicunt, si sacerdos actum contritionis eliciat. Valde autem convenit confiteri, si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, prout Rituale Romanum (De Sacram. in genere) dicit.<sup>3)</sup>

4. — Quod attinet functiones sacras quae *non sunt sacramentales*, minister non nisi venialiter peccat eas ex officio exercens in mortali. Ratio, quia omnia alia exercitia Ordinum non proxime spectant ad sanctificationem animae, neque in iis sacerdos se exhibet ut ministrum Christi animam sanctificantis. Hinc non peccat graviter sacerdos assistens matrimonio, benedicens cineres, aquam lustralem etc. in statu peccati; nec episcopus, qui in mortali conficit chrisma vel oleum sanctum, vel consecrat templum; neque diaconus vel subdiaconus in mortali ministrans solemniter in Missa.<sup>4)</sup>

An vero graviter peccet, qui peccato mortali gravatus *Eucharistiam ex officio immediate vel mediate tangit*, gestando in processione, populum benedicendo, non satis constat. Negant alii, quia hoc non respicit Sacramenti administrationem, nec vide-

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 32.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 33.

<sup>3)</sup> Idem n. 34.

<sup>4)</sup> Idem n. 37—40.

tur materia gravis. Affirmant alii, quia res sanctissima indigne tractatur.<sup>1)</sup>

5. -- **Conclusia practica.** Sacerdotes, quibus animarum cura demandata est, ii praesertim, qui in amplis nosocomiis munera pastoralia obeunt, speciali obligatione tenentur in statu gratiae se paratos habere ad Sacramenta digne conferenda. Vix enim illi a mortali peccato sacrilegii excusari poterunt, si conscii gravis culpa Sacramenta ministrent, culpam expiare negligentes, cum necessitatem Sacramenta dispensandi facile praevidere poterint. Hinc in Rituali Romano de Sacr. adm. dicitur: „*Parochus vel quivis alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse imprimis debet se sancta sancte tractare, atque omni temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste pieque vitam agat.*“

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 64 a. 6. In IV Sent. Dist. V. q. 2 a. 2 q. 4. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 30—42. — Lugo: De Sacramentis in genere Disp. VIII. Sect. 9. La Croix: Theol. mor. Lib. VI. n. 87—122. Sporer: De Sacram. in genere cap. III. Sect. 2 et 3. Mazotta: Theol. mor. Tract. V. Disp. 1. Quaest. 2. cap. 3. Gousset: Moraltheologie II. B. Cap. 4 art. 3.

## §. 54.

### An excommunicatus valide et licite administret Sacramenta?

1. — **Punctum I.** *Quoad validam administrationem.* Excommunicatus *vitandus* valide administrat Sacramenta et assistit matrimonio, excepto Sacramento Poenitentiae, ad quod nempe requiritur in ministro potestas non solum Ordinis, sed etiam jurisdictionis, quo ille privatus est ab Ecclesia; nisi absolvendus quis versetur in periculo mortis, et alius desit sacerdos, qui eum absolvat v. §. 136 n. 3.

Excommunicatus *toleratus* etiam Poenitentiae Sacramentum valide administrat; non enim privatur jurisdictione, in commodum fidelium.<sup>2)</sup>

2. — **Punctum II.** *Quoad licitam administrationem.* Excommunicatus *vitandus* illicite confert Sacramenta, quia ei interdicta est omnis communicatio cum fidelibus, excepto periculo mortis, in quo non tantum potest, sed etiam ex caritate tenetur conferre

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 35, *Valde.*

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VII. n. 168.



Baptismum atque Sacramentum Poenitentiae, imo juxta plures graves auctores etiam Viaticum et Extremam Unctionem, si alius deficiat sacerdos; quia moribundus maxime juvandus est Sacramentis.<sup>1)</sup>

Excommunicatus *toleratus*, quamvis ei sub gravi prohibitum sit Sacramenta dispensare extra casum necessitatis, quando tamen rogatur, licite potest quaecumque Sacramenta conferre (dummodo sit in statu gratiae); quia fidelibus concessa est communio cum hujusmodi excommunicatis, qui proinde vicissim cum fidelibus petentibus possunt communicare.<sup>2)</sup>

Excommunicatus illicite Sacramenta dispensans, incurrit irregularitatem, sive sit vitandus sive toleratus, ex cap. ult. *de cler. excomm. min.*<sup>3)</sup>

### §. 55.

#### De obligatione ministrandi Sacramenta.

1. — Distingui debent ministri, qui sunt animarum pastores, ab iis, qui non sunt pastores. Dicuntur autem *animarum pastores* ii omnes, quibus ex speciali titulo vel officio cura animarum incumbit; quales sunt episcopi et parochi vel qui subsidiariam animarum curam ex commissione habent, ut sunt capellani seu coadjutores parochorum; item praelati vel alii superiores religiosorum.

#### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Sacerdotes, qui sunt animarum pastores, sub gravi ex justitia tenentur subditis rationabiliter petentibus Sacramenta ministrare, in gravi ac multo magis in extrema necessitate cum ipso vitae periculo.* Est doctrina communis, et probatur 1) ex jure naturali; etenim pastores officium suum suscipiendo ad id tacito contractu sese obligarunt, ideoque etiam stipendium seu sustentationem accipiunt.<sup>4)</sup> Probatur 2) ex jure positivo divino, quo mandatur omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas pascere, quod maxime fit Sacramentorum administratione. Cf. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1 de Ref.

<sup>1)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VII. n. 170, qui addit: „Dicunt autem *probabiliter*, quôd excommunicatus vitandus etiam licite Sacramenta ministrat, quando alias grave incommodum, puta jacturam famae vel bonorum timeret; quia

praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo gravi.“

<sup>2)</sup> Idem Lib. VII. n. 169.

<sup>3)</sup> Idem l. c. n. 171.

<sup>4)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 58.

Hinc 1. graviter peccare possunt sacerdotes curati, non tantum si sine ratione Sacramenta ministrare renuunt, sed etiam quando morosos et difficiles se ostendunt, quia timendum, ne tali agendi modo fideles ab usu Sacramentorum deterreant. 2. Graviter peccant, si ss. Eucharistiae Sacramentum recusant deferre ad aegrotos petentes etiam extra mortis periculum, praesertim in festis solemnioribus. 3. Gravissime peccant, si quem ipsorum negligentia sine Baptismo, Confessione, Viatico vel Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit. 4. Extra necessitatem petenti semel et iterum negare Sacramentum, mortale non est, quia damnum facile reparari potest. <sup>1)</sup>

3. — **Principium II.** *Ministri, qui animarum pastores non sunt, tenentur dispensare Sacramenta, sub gravi in gravi necessitate proximi, et eo magis in necessitate extrema, non tamen ex justitia, sed ex caritate deficientibus pastoribus.*

### §. 56.

#### De obligatione indignis denegandi Sacramenta.

##### Principium generale.

1. — *Ministerium Sacramentorum exigit, ut dispensentur dignis, non indignis.* Scriptum enim legitur: „*Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*“ Matth. 7, 6. Qui sciens indigno ministrat Sacramentum, *per se* peccat et mortaliter quidem, quoniam in re gravi agit contra voluntatem Domini sui, et sacrilegio indigne suscipientis Sacramentum cooperatur. Dixi: *per se* peccat; etenim datur exceptio: *a)* si indignitas ex sola confessione sacramentali nota sit, vel *b)* si ex denegatione Sacramenti gravia scandala et inconvenientia provenirent. Ratio exceptionis est, quia cooperatio materialis ad peccatum proximi ex gravi causa est licita, et quia amantissimus Salvator negationem reverentiae sibi debitae permittere videtur ad praecavenda suorum damna gravia. <sup>2)</sup> Sed haec accuratiori explanatione indigent; hinc observentur sequentes

##### Regulae speciales.

2. — **Regula I.** *Peccatori publico, indigno manenti, denegandum est Sacramentum, excepto tamen matrimonio in nonnullis casibus.*

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 58.

<sup>2)</sup> Vid. idem n. 49.

Dico 1 *Peccatori publico*, cujus nempe crimen notorium est sive jure sive facto sive fama, Lib. II. §. 130 n. 6, ex principio generali et propter scandalum fidelium avertendum. Non denegandum Sacramentum peccatori, cujus crimen non est publicum, ubi petit; eo minus illi, de cujus crimine dubitatur.<sup>1)</sup> Dico 2: *Indigno manenti*; si enim praecesserint sufficientia poenitentiae signa et scandalum reparatio, vel etiam si opus fuerit, cum Ecclesia reconciliatio, peccatori publico administrandum est Sacramentum.<sup>2)</sup> Porro *pro modo offensae seu scandalum et reparatio necessaria est*. Saepe *publica vitae Christianae professione*, ut Conc. Prov. Remensis a. 1853 cap. 8 observat,<sup>3)</sup> vel *ipsa Sacramenti receptione*, ut Conc. Prov. Auscitanae a. 1851 Tit. III cap. 1 n. 70 animadvertit,<sup>4)</sup> sufficiens praebet scandalum reparatio.

Hinc peccator, quantumvis publicus, si rite sit dispositus, absolvi et ad Eucharistiam admitti potest, nisi necessario prius debeat per aliquem actum (e. g. concubinari per concubinae ejectionem) scandalum tollere, vel a censuris reservatis liberari, vel Ecclesiae reconciliari.<sup>5)</sup>

„Qui a falsa philosophia delusi, nulli tamen sectae haereticae nomen dantes, assertiones contra fidem protulerunt, magna erga confessionem repugnantia detinentur; quare si confitentur, via ad reconciliationem quam facillima iis sternatur; ad illius vero scandalum reparationem sufficit pluribus in casibus publica vitae Christianae professio.“ Sic Conc. Prov. Remens. a. 1853 cap. 8.

Qui publice sectae alicui haereticae adscriptus est, publice haeresim ejurare debet per publicam fidei professionem.

Qui publice contra Ecclesiae jura egit, palam quoque (nisi res oblivione deleta sit) reprobare tenetur facinora sua et, quoad potest, Ecclesiae satisfacere.

<sup>1)</sup> S. Alph.: n. 46 et 48.

<sup>2)</sup> Rituale Rom. de Euchar. praescribit: „*Arcendi sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinari . . . et alii ejus generis publici peccatores; nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.*“

<sup>3)</sup> Collectio Lacens. Tom. IV. pag. 1183.

<sup>4)</sup> In eod. opere Tom. IV. pag. 170 et 171.

<sup>5)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 47. Ad rem Rit. Rom. „*Caveat igitur sacerdos, ne absolvat eos, qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.*“

Ad quaesitum: An possit administrari Eucharistia notorie censuratis, antequam cum Ecclesia reconciliati fuerint? S. Poenitentaria die 10. Dec. 1860 respondit: „*Negative.*“

Quid agendum sit cum publico peccatore, dum est aegrotus vel moribundus, dicetur infra: *De Sacr. Poenit.*, ubi *de excipiendis infirmorum confessionibus*.

Additur in regula 3: *exceptio matrimonii*, quod Ecclesia ex gravi causa et praestitis necessariis cautionibus permittit inire cum haereticis, et juxta communem Doctorum sententiam ex gravi causa licet contrahere cum peccatore publico, non haeretico, ad evitanda gravia incommoda et inconvenientia, quae alias evenirent. Hinc exceptionis in Princ. gener. n. 1 notatae locus est.

3. — Generatim in Sacramentis peccatori publico denegandis rigor indiscretus non minus quam lenitas immoderata vitari debet, ne calamus quassatus conteratur et linum fumigans exstinguatur (Isai. 42, 3), nostro praesertim tempore, quo homines difficilius se moveri patiuntur ad suscipienda Sacramenta. Hinc Concil. Prov. Senonensis (in Gallia) a. 1850 Tit. III cap. 4 sapienter monet: „*De cetero pastores non facile arceant etiam peccatores a Sacramentis, et inconsideratae repulsae scandalum praecaveant. Quoties eventuram illam denegandi occasionem praevidere poterunt, nulla interposita mora, episcopum consulant nihilque, quoad tempus licebit, illius injussu statuunt vel etiam moliantur.*“ <sup>1)</sup> Similia Conc. Prov. Auscitanae a. 1851 Tit. III cap. 1 n. 70 habet. <sup>2)</sup>

4. — **Regula II.** *Negandum est Sacramentum peccatori occulto indigno manenti, si occulte petat; non vero, si publice petat.* Ratio I<sup>mi</sup> constat ex Princ. gener.; excipitur tamen casus, quo crimen cognitum fuisset ex confessione, tunc enim potest et debet Sacramentum indigno ministrari, ut pariter ibidem est notatum, e. g. si peccator non absolutus, a confessario postea petit Communionem. <sup>3)</sup> Ratio II<sup>di</sup> est, quia in tali casu ex Sacramenti denegatione sequerentur scandala et damna gravia aliorum; facile enim boni quoque retraherentur a Sacramentis, timentes ne sibi cum infamia illa negarentur. Et confirmatur exemplo Christi, qui Judam non repulit a Communionem. <sup>4)</sup> Obtinet hic exceptio Principio generali n. 1 adjuncta. <sup>5)</sup> Attamen arcere potest, imo etiam debet

<sup>1)</sup> Coll. Lacens. pag. 890. Tom. IV.

<sup>2)</sup> Ibid. pag. 1183 dicens, perpendi debere varias circumstantias ac Sacramenti suscipiendi naturam, et in casibus difficilioribus Ordinarium consulendum.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 50 et 51.

<sup>4)</sup> Idem n. 49 et 50.

<sup>5)</sup> Concordant haec cum Rituali Romano: „*Occultos vero peccatores, si occulte petant et non emendatos agnovit, repellat (a Communionem); non autem, si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.*“

episcopus a *Sacramento Ordinis* peccatorum occultum publice peccentem, cum ipsius infamia, ob bonum publicum, v. infra: *de Ordine*. In omni autem casu, quo sine sigilli violatione fieri potest, moneatur peccator occultus, ne publice petat Sacramentum; quum id non possit sine gravi peccato.

5. — **Corollarium.** Minister Sacramenti debet prudentem habere rationem, quod suscepturus Sacramentum sit dignus; pro quo si indicia non praesto sint, debet inquirere et dispositionem, si non adsit, procurare, aut si nunc non possit, differre Sacramenti collationem: alias enim non erit prudens et fidelis dispensator. Non tamen eadem cura et praecautio pro omni Sacramento requiritur, sed diversa pro diversitate Sacramenti. In Baptismo minister tenetur inquirere de consensu et dispositione (fide, spe, poenitentia) adulti; in Sacramento Poenitentiae de dispositione poenitentis, quae requiritur ad Sacramenti valorem; in Ordine de ordinandorum scientia et probitate; in Matrimonio impedimenta assistens percontari tenetur.<sup>1)</sup>

6. — *An licet simulare administrationem Sacramenti?* Simulare Sacramentum est *ficte* ponere, quod essentialiter pertinet ad Sacramentum. Simulatio est *formalis*, qua directe intenditur alterius deceptio; *materialis*, qua alterius deceptio tantum permittitur. — Numquam licet sive formaliter sive materialiter simulare Sacramentum. Constat ex propositione 29 ab Innocentio XI. damnata: *Urgens metus gravis est causa Sacramentorum administrationem simulandi*; ubi reprobatur simulatio etiam materialis, cum de hac specialiter in hac propositione agatur. Accedit ratio, quod simulatio quaevis gravem irreverentiam Sacramento et Christo ipsi, cui illuditur, infert, nimirum abutendo rebus sacris ab ipso institutis. Hinc mortale peccatum est, sine intentione proferre verba consecrationis in Missa, absolutionem supra indispositum; hostiam non consecratam praebere pro consecrata, celebrare Missam non proferendo verba consecrationis etc.<sup>2)</sup>

Non simulat sed dissimulat Sacramentum Poenitentiae confessarius, qui recitat preces super poenitentem indispositum, ne adstantes advertant, illum sine absolutione dimitti; quod patet

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 43. Reuter P. IV. De Sacr. in genere n. 55.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 59. Innocentius III. cap. de celebr. Missae ait: „*Qui frau-*

*dulenter simulare praesumpserit se consecrare, gravius peccaret, quam si consecraret in mortali, quia adstringit se Deo, cui videtur illudere.*“

ex definitione simulationis, nihil enim ponit, quod pertinet ad essentiam Sacramenti, nec intendit decipere adstantes, sed occultare veritatem, quam manifestare nequit.<sup>1)</sup>

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 80 a. 6, q. 81 a. 2 c et ad 2 et 4 (Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti). S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 43—62. — Lugo: De Sacram. in genere Disp. VIII. Sect. 10—14 (de obligatione ministri non ministrandi Sacramentum indigno). Sporer: Th. mor. De Sacr. P. I. cap. 3 Sect. 5 (de eadem materia). La Croix: Th. mor. L. VI. Tr. I. n. 137—148 (An Sacramentum licite ministretur indigno), n. 149—162 (de simulatione Sacramenti). Reuter: Th. mor. P. IV. Tr. I. n. 30—32 (de simulatione Sacr.), n. 34—40 (quomodo peccet administrans Sacramentum indigno). Bouvier: Institutiones theol. T. II. Tr. de Sacr. in genere cap. VI a. 3. (Ed. 12. Parisiis 1866.) Kenrick: Th. mor. V. II. Tr. 14. cap. 4. Gury: Th. mor. Tom. II. De sac. in genere n. 217—222. Noldin: De Sacr. n. 37—39. Oeniponte 1901.

## D. De subjecto Sacramentorum.

### §. 57.

#### Subjectum capax.

1. — Solus homo viator Sacramentorum capax est; ideo enim Sacramenta a Christo Domino instituta sunt, ut per ea omnis vera justitia vel incipiat vel coepta augeatur vel amissa reparatur. Conc. Trid. Sess. 7. de Sacram.; porro nec in beatis et in animabus purgatorii justitia augeri, neque in damnatis recuperari potest.

2. — Non tamen omnis homo ad omnia suscipienda Sacramenta habilis aptusque existit. Baptismi quidem capax est omnis homo, etiam infans et fatuus. Et ipse Baptismus praëxigitur, ut homo sit capax aliorum Sacramentorum; quia Christus Sacramenta instituit pro Ecclesia, et Baptismus est janua in Ecclesiam seu per Baptismum homines fiunt membra Christi ac de corpore Ecclesiae, ut Eugenius IV. in Decr. pro Armenis loquitur. Solus ille baptizatus, qui usum rationis adeptus est, capax fit Poenitentiae et Extremae Unctionis. Denique omnis baptizatus, etiam infans, capax est Confirmationis et Eucharistiae, imo etiam Ordinis, dummodo sit masculus, quod certum est ex Bulla Benedicti XIV. *Eo quamvis tempore* die 4. Maji 1745 edita.<sup>2)</sup> Etenim per Con-

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 59.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 80.

firmationem et Ordinem confertur supernaturalis dignitas, per Eucharistiam homo spiritualiter nutritur; ad quae in suscipiente non requiritur usus rationis. An vero *liceat* haec Sacramenta conferre infantibus, videbitur infra de singulis Sacramentis.

## §. 58.

**De conditionibus ad validam et licitam Sacramentorum  
susceptionem requisitis.**

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Ad Sacramenta valide suscipienda in adultis praeter capacitatem requiritur intentio.* Constat ex Rituali Romano <sup>1)</sup> atque continua Ecclesiae doctrina et praxi. <sup>2)</sup> Non sufficit animus indifferens seu neutralis i. e. nec consentiens neque dissentiens. <sup>3)</sup> Ratio congruentiae est, quia non videtur conveniens, ut adultus sanctificetur, quin velit.

Non eadem tamen intentio requiritur in omnibus Sacramentis.

1. Quoad Poenitentiam et Matrimonium intentio esse debet *virtualis*, quia actus poenitentis sunt materia Sacramenti, qui non possunt haberi sine voluntate saltem virtuali recipiendi Sacramentum; <sup>4)</sup> in Matrimonio vero conjuges sunt ministri Sacramenti, ergo talis requiritur intentio, qualis praescribitur ministris aliorum Sacramentorum, nempe *virtualis*. 2. In ceteris Sacramentis requiritur saltem et sufficit *habitualis*, ut Benedictus XIV. in Const. *Postremo mense*, cum communi theologorum sententia docet; quare valide conferuntur Sacramenta dormientibus, ebriis vel lapsis in amentiam

<sup>1)</sup> Nempe Rituale Rom. jussu Pauli V. editum vetat. *ne adultus, qui in amentiam subitumve morbum incidat, baptizetur, nisi prius, cum sui compos erat, Baptismum expetierit.*

<sup>2)</sup> Concil. Carthag. III. a. 397 c. 34. Conc. Arausic. a. 441 can. 12. — S. August.: De Bapt. L. IV c. 24 n. 31. S. Thom.: 3. q. 68 a. 7. — Innocent. IV. c. 3 *Majores*, de bapt. Congregatio Conc. 24. Aug. 1685 decrevit, eum qui ordinatus fuerat cum intentione (mere interna) non susci-

piendi Ordinem, quamvis externe totum ritum libere suscepit, esse iterum ordinandum, sub conditione, quia non omnino constabat defectus intentionis

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 81.

<sup>4)</sup> Lib. VI. n. 82. Excipe casum moribundi sensibus destituti, qui sub conditione absolvendus est, etsi nulla colligi possit intentio, supponitur enim; alioquin omni meliori, quo potest, modo est adjuvandus.

qui antea habuerunt intentionem illa recipiendi; hoc tamen non licet, nisi in probabili mortis periculo vel nisi impedimentum censeatur perpetuum. Imo in Extrema Unctione sufficit etiam intentio *interpretativa*, quod constat ex Rituali Romano, ubi dicitur, hoc Sacramentum esse praebendum moribundo sensibus destituto, qui antea illud petiit seu verosimiliter petiisset. Eadem intentio quoque sufficeret ad Sacramentum Confirmationis moribundo, qui sensibus destitutus est. conferendum, quod tamen non solet fieri, cum vix fieri possit; sufficit etiam ad Eucharistiam ministrandam fidei rationis impoti, cui praebere illam licet, quando abest irreverentiae periculum et reperiuntur cetera requisita.

In *infantibus et perpetuo amentibus* ad valide recipienda Sacramenta, praeter capacitatem nihil requiritur; applicatur eis intentio Christi et Ecclesiae. Id de Baptismo dogmatice definitum est a Concilio Trid. Sess. 7. de Sacram. can. 13. Idemque dicendum de ceteris Sacramentis, quorum capaces sunt infantes.<sup>1)</sup>

2. — **Principium II.** *Ut licite et cum fructu suscipiantur Sacramenta, praeter conditiones ad validum illorum receptionem necessarias generaliter in adultis adesse debet dispositio, eaque diversa pro diversa cujusvis Sacramenti indole.* Necessitas dispositionis constat ex Ecclesiae doctrina, in s. scriptura et perpetua Traditione fundata. Ratio est voluntas Christi, qui Sacramenta ab adulto sine debita dispositione suscipi noluit; quare ille, qui rite se non disponit, finem et effectum Sacramenti frustrat et gravis, per se loquendo, sacrilegii reum se facit.

In specie 1. ad licite recipienda, *Sacramenta mortuorum* in adultis requiruntur fides, spes, attritio.<sup>2)</sup> In Sacramento Poenitentiae haec dispositio etiam ad validitatem necessaria est. 2. Ad recipienda *Sacramenta vivorum* in adultis requiritur status gratiae, quia ipsa ad augendam gratiam instituta sunt. Graviter peccat, qui mortali peccato foedatus haec suscipit Sacramenta; et gravius eo, qui illa indigne conficit vel ministrat.<sup>3)</sup>

Status gratiae per *confessionem sacramentalem* procurandus est, si agatur de Eucharistia sumenda, vi praecepti divini, quod constat ex Conc. Trid. Sess. 13. can. 7; ceteris Sacramentis

<sup>1)</sup> Vid. de tota hac materia s. Alph.: Lib. VI. n. 80—82.

<sup>2)</sup> Baptizandus dolere debet de

actualibus peccatis, si quae admiserit, non vero de peccato originali, ut patet.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 86.



vivorum sufficit praemittere tantum contritionem perfectam, quia de praeepto confessionis non constat,<sup>1)</sup> attamen ad majorem gratiae certitudinem omnino convenit confiteri, antequam Sacramentum quodcumque vivorum suscipiatur.<sup>2)</sup> Denique notandum, quod aliunde (§. 45 n. 1) constat, perfectius disposito abundantiore gratiam infundi.

### §. 59.

#### An liceat petere Sacramentum a ministro, qui est in statu peccati mortalis, excommunicato, schismatico, haeretico?

1. Non licet a ministro in peccato mortali constituto petere Sacramentum, nisi ex gravi causa; quia Sacramentum ministrans in mortali graviter peccat (§. 53 n. 2), et illicitum est cooperari ad peccatum proximi absque gravi causa (Lib. II. §. 36). Porro talis causa est necessitas vel utilitas notabilis, ut e. g. si praeeptum Ecclesiae implendum; si alias quis diu maneret in statu peccati. Ceterum rarus erit casus, quo prohibitio haec locum habebit; quia quilibet praesumendus bonus, donec oppositum constet; et ipse, quem scitur paulo ante peccasse, praesumi poterit et regulariter debet jam dispositus per contritionem.<sup>3)</sup>

2. Non licet Sacramentum petere a ministro *excommunicato*, qui est *vitandus*, nisi in extrema necessitate Baptismum et Poenitentiam, quum haec sint gravissimae necessitatis, juxta plures etiam Viaticum et Extremam unctionem.<sup>4)</sup> Cf. §. 54 n. 2.

Si excommunicatus sit *toleratus*, licebit sine gravi causa petere et recipere Sacramenta, quia Concilium Constantiense absolute concessit fidelibus communionem cum excommunicatis

<sup>1)</sup> Concilium Trid. l. c. de confessione Eucharistiae praemittenda loquens nullam facit mentionem aliorum Sacramentorum, atque sponso tantum *adhortatur*, ut ante Matrimonium confiteantur. Quoad Sacramentum Confirmationis Pontificale Romanum dicit: *Adulti debent prius peccata confiteri et postea confirmari, vel saltem peccata, quae admiserunt, doleant.*

<sup>2)</sup> S. Alphonsus n. 86 *Nota II.* non improbabile censet, posse aliquem

in mortali suscipere Sacramentum, quin peccet, nempe in illo rarissimo casu, quo hostia consecrata esset profananda, nisi statim sumeretur, et ille qui vellet eam sumere, non posset tam cito conteri; tunc quippe hostiam susciperet sine peccato, sed sine fructu, eamque in corpore suo quasi reconderet.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 89.

<sup>4)</sup> Idem n. 88.

toleratis. Si vero existat in mortali, ad licite petendum Sacramentum requiritur causa gravis, ut supra dictum est.<sup>1)</sup>

3. Non licet fidelibus catholicis, ab *haeretico* vel *schismatico* petere Sacramenta, nisi a) Baptismum in casu extremae necessitatis, in quo non sit alius valens baptizare, v. §. 70 n. 4, et b) Sacramentum Poenitentiae in articulo vel periculo mortis, deficiente alio quovis sacerdote catholico, v. §. 136 n. 3.

Nota. Quamvis adoranda sit Eucharistia a sacerdote haeretico vel schismatico consecrata, occursus tamen hujus, dum Eucharistiam defert, vitandus est, ne fideles in exercitio cultus cum ipso communicare videantur.<sup>2)</sup>

### §. 60.

#### Sacramenta valida, sed informia.

1. — Praemittimus distinctionem inter Sacramenta valida et formata, valida et informia.

*Validum* est Sacramentum, quando tota Sacramenti essentia consistit, cum omnes conditiones ex parte materiae, formae, ministri et subjecti praesto fuerint ad illam ponendam. *Formatum* dicitur, quando effectum statim, dum suscipitur (nimirum in ultimo instanti completionis suae) producit, nempe gratiam sanctificantem, quae vocatur forma, cum sit pulchritudo supernaturalis animae, qua deficiente anima informis seu turpis in conspectu Dei manet. Et effectum hunc Sacramentum producit, quando valide simul cum debita dispositione suscipitur. *Informe* appellatur Sacramentum, si gratiam non producit ob defectum dispositionis in subjecto, qui obex dici consuevit §. 45 n. 3.

2. — **Assertio I.** *Certa doctrina est, quod Sacramenta possunt valida esse, sed informia.* Aliud enim est Sacramentum, aliud res seu effectus Sacramenti. Quemadmodum omnis causa ab effectu suo distinguitur, et interdum re ipsa separatur: ita et hic fieri potest, ut tota Sacramenti alicujus essentia consistat, attamen effectus ejus, qui est gratia sanctificans, non conferatur ob impedimentum gratiae, nempe obicem suscipientis. Etenim ad Sacramenti essentiam haud pertinet, ut actu conferat gratiam, sed ut sit collativum gratiae; sicuti ad essentiam causae non pertinet, actu causare effectum, sed esse productivum effectus, quatenus est ex parte sua.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 88 Resp. II. Lib. VII. n. 139.

<sup>3)</sup> Laymann: Theol. mor. Lib. V. Tr. I cap. 6 n. 1.

<sup>2)</sup> Aertnys: Th. mor. II. p. 27.

Hinc si adultus suscipit Baptismum sine dolore de peccatis actualibus, Sacramentum quidem valet et character imprimitur, sed informe est seu gratiam non producit ob defectum dispositionis in subjecto. Id quoque in aliis Sacramentis obtinet; solaque difficultas est in Poenitentia, in qua dispositio poenitentis ad Sacramenti valorem pertinet. Nihilominus tamen juxta sententiam *probabiliorem* etiam hoc Sacramentum in casu aliquo speciali potest esse validum. sed informe. Casus esset, si quis duo mortalia habet, e. g. unum furti, alterum perjurii, dein memor solius furti, de eo tantum dolet ex motivo speciali supernaturalis illius turpitudinis. Tale Sacramentum est validum, quia nulla pars essentialis deest ad valorem, non confessio, cum sit eorum, quae memoriae occurrunt, non dolor, cum habeatur de peccato in confessione declarato, non absolutio, ut supponitur. Attamen informe est, quia non est dolor elicited de perjurio neque in alio dolore de furto continetur. )

3. — **Assertio II.** *Certa pariter doctrina est, Sacramenta saltem pleraque, valida sed informia, obice remoto fieri formata seu gratiam producere.* Ratio est 1. quia Sacramentum valide collatum est, et manet opus Christi tanquam principaliter agentis, institutum ab ipso ad gratiam operandam; quod vero actu gratiam non causat, per accidens est ex defectu dispositionis; hac igitur posita gratiam causabit. 2. Institutio Sacramentorum, cum processerit ab infinita Dei misericordia erga homines, talis est interpretanda, qualis maxime decet misericordiam divinam; hujusmodi autem est, si teneamus, Sacramenta remoto obice reviviscere ad gratiam causandam. — Id saltem quoad Sacramenta characterem imprimentia uti certum ab omnibus hodiedum admittitur; eo quod haec Sacramenta nequeunt iterari, adeoque maxime consentaneum videtur bonitati divinae, ne obicem ponentes postea destituti gratia sacramentali relinquuntur. Idem communiter dicunt de Extrema Unctione et Matrimonio; quia cum durante eadem aegritudine et eodem conjugio non possint iterari, congruum videtur admittere, haec Sacramenta obice remoto gratiam conferre. Quoad Sacramentum Poenitentiae idem *probabilius* affirmant plures cum d. Thoma<sup>2)</sup> et s. Alphonso<sup>3)</sup> contra alios, quia congruum est, ut sententia

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 444.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 87.

<sup>2)</sup> In IV Sent. Dist. 17 q. 3 a. 4 q. 1.

judicialis nomine et in persona Christi valide lata, postea quando potest, nempe impedimento ablato, executioni mandetur.<sup>1)</sup> Excipitur autem ab omnibus Eucharistiae Sacramentum, nisi obex removeatur, antequam species sint consumptae, quo in casu recipiens hoc Sacramentum non careret gratia, ut d. Thomas,<sup>2)</sup> s. Alphonsus<sup>3)</sup> aliique multi docent.

Diximus, *obice remoto* Sacramenta informia fieri formata seu gratiam producere. Cum vero obex sit carentia dispositionis requisitae, hinc tollitur per positionem debitae dispositionis, nempe ejusdem, quae pro singulis Sacramentis ante susceptionem requiritur. Quare *a.* quoad *Baptismum*, si adultus in solo peccato originali constitutus susceperit hoc Sacramentum sine fide,posito actu fidei et elicito dolore de peccato infidelitatis gratia Baptismi reviviscet. Si adultus ante Baptismum commisit grave peccatum, requiritur attritio de illo, qua posita gratia producitur. Quando etiam supervenerat mortale post Baptismum commissum, ad hunc obicem removendum opus esset contritione vel attritione cum confessione, quia peccatum grave post Baptismum commissum est materia necessaria Sacramenti Poenitentiae.<sup>4)</sup> *b.* Ad obtinendum effectum *Poenitentiae* sufficit attritio; videlicet ille qui peccatum unum e. g. furti cum dolore confessus est, alterum e. g. perjurii ex oblivione confiteri omisit, sicque confessionem validam sed informem peregit, ut n. 2 diximus: si postea attritur, accipit remissionem peccatorum.<sup>5)</sup> *c.* Attritio pariter sufficit ad effectum *Extremae Unctionis* obtinendum. *d.* Requiritur autem contritio perfecta vel attritio cum confessione pro ceteris Sacramentis, scilicet pro *Confirmatione*, *Ordine* et *Matrimonio*.

Locuti sumus de Sacramentis *valide* susceptis, quia si ob defectum materiae vel formae vel intentionis invalide sint suscepta, numquam extiterunt, ergo nec reviviscere possunt.

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 69 a. 9 et 10 (de baptismo). In IV. Sent. Dist. XVII. q. 3. a. 4 q. 1 (de poenitentia et aliis Sacramentis). S. Alphonsus: Th. mor. Lib. VI. n. 87 et 444. — Suarez: De Sacram. Disp. 28. Sect. 6. Disp. 63. Sect. 8. Lugo: De Sacr. in genere Disp. IX. Sect. 3—6. La Croix: Th. mor. Lib. VI. n. 194—207. Noldin: De Sacramentis n. 8 et 251. Oeniponte 1901.

1) Lugo: Disp. IX. Sect. 6 n. 109.  
La Croix: Lib. VI. n. 201.

2) 3. q. 79 a. 3.

3) Lib. VI. n. 87.

4) La Croix: Lib. VI. n. 207.

5) S. Alph.: Lib. VI. n. 87.

## E. De caeremoniis Sacramentorum.

## §. 61.

## Earum pius et salutaris usus.

1. — Caeremoniae Sacramentorum sunt duplicis generis: aliae ad essentiam Sacramentorum pertinent, versantes circa formam et usum materiae; aliae ad eorum solemnitatem seu ornatum spectant.

In Ecclesia perpetuo haec potestas fuit, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, quae percipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret. Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. Igitur

I. *Caeremoniae ipsorum Sacramentorum venerationi expediunt*, egregie enim conferunt, ut sacris mysteriis debitus religionis cultus tribuatur et sancta sancte tractentur. Excellentia siquidem illorum, quia spiritualia sunt, non facile percipitur a nobis, qui corporei sumus. Ideo non proponuntur nuda mysteria, sed vestiuntur et ornantur, ut externam quandam majestatem sensibus objiciant, et per eam majori cum reverentia ab ipsa mente percipiantur.<sup>1)</sup>

II. *Caeremoniae percipientium utilitati expediunt*, videlicet 1. inserviunt instructioni et intelligentiae fidelium, quatenus caeremoniae magis declarant ac veluti ante oculos ponunt, quae Sacramentis efficiuntur, eorumque sanctitatem animis fidelium altius imprimunt;<sup>2)</sup> — 2. devotionem fidelium juvant, dum eorum mentes ad sublimium rerum cogitationes erigunt; — 3. publicam fidei professionem exhibent, quia veritatibus fidei superstruuntur; fidemque excitant et promovent, quare historia testante non pauci illarum splendore et majestate ad catholicam religionem sunt conversi; — 4. deserviunt ad fideles arctiori vinculo conjungendos cum Ecclesia, et distinguendos ab infidelibus; — 5. sunt meritoriae, qua opera virtutum proxime actus religionis, dein vero fidei etiam aliarumque virtutum; omnia enim opera virtutum

<sup>1)</sup> Bellarmin: De Sacr. Lib. II. cap. 31.

quae in Sacramentis aguntur, fideles vel *instruuntur* vel *sollicitantur* ad quaerendum de his, quae per sensibilia signa significantur.“ 3. q. 66. a. 10 c.

<sup>2)</sup> Bene s. Thomas: „Per ea, Theologia moralis III.

apud Deum praemium merentur, si fiant, ut oportet, id est cum fide et caritate.<sup>1)</sup>

2. — Maxime igitur aestimandi sedulaque cura ab Ecclesiae ministris observandi sunt ritus recepti et approbati Ecclesiae catholicae in solempni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec eos contemnere, omittere pro libitu vel mutare in alios fas est. Conc. Trid. Sess. 7. can. 13. Pestiferum esse dicit s. Thomas,<sup>2)</sup> praeterire caeremonias divina auctoritate ab Ecclesia constitutas. Graviterque peccat, qui caeremoniam notabilem negligit, aut parvam tantum cum gravi scandalo vel ex contemptu. Possunt etiam plures materiae parvae in gravem coalescere.

Animarum curatores, quoad fieri potest, rituum et caeremoniarum significationem fideli populo opportune explicare non omittant, ut illarum utilitatem in Sacramentorum usu percipiat.

\* S. Augustinus: Epist. 55 (al. 119) ad Januarium. — Bellarmin: De Sacramentis in genere Lib. II. cap. 29—32. Suarez: De Sacramentis Disp. 15. Sect. 1—3.

## §. 62.

### R i t u a l i a.

1. — Libri sacri, in quibus praescribuntur ritus in sacris functionibus, praesertim Sacramentorum administratione observandi, Ritualia appellantur, inter quae principem locum obtinet *Rituale Romanum* jussu Pauli V. editum, et a Benedicto XIV. auctum,<sup>3)</sup> quemadmodum Romana Ecclesia ceteras omnes ordine, dignitate et auctoritate antecellit.

Paulus V. in Const. *Apostolicae Sedi*, die 17. Junii 1614 dicit: „*Hortamur in Domino omnes Patriarchas, archiepiscopos et episcopos, parochos omnes ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii, ejusdem Ecclesiae omnium matris et magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.*“ Quamvis ex voce *hortamur* strictum praeceptum recipiendi *Rituale Romanum* ubique locorum non videatur necessario colligendum, tamen acris exorta est inter

<sup>1)</sup> Bellarmin l. c. *Catechismus ad parochos*: P. II. cap. 1 q. 13.

<sup>2)</sup> 2. 2. q. 93 a. 1.

<sup>3)</sup> In Rituali Romano conficiendo

praecipuas partes habuit Joannes Antonius Gabutius Ordinis clericorum regularium s. Pauli, vulgo Barnabitarum.

doctos disputatio, an Rituale Romanum sit obligatorium pro tota Ecclesia. Negant pauci,<sup>1)</sup> plurimi affirmant.<sup>2)</sup> Quidquid sit de hac re in thesi spectata, pro praxi sequentia sunt indubia: 1. Ubi Rituale Romanum numquam est receptum, propriaque dioecesium Ritualia usu constanti adhibentur, Apostolica Sedes eorundem usum saltem indulget seu tolerat, quod potissime liquet ex approbatione ab ipsa facta Conciliorum Provincialium, quae ritus juxta Rituale dioecesanum servandos urgent, prout e. g. Concilii Prov. Viennensis a. 1858 celebrati, quod Tit. III. cap. 1 haec habet: „*Sacerdotes, a quibus mysteria salutis dispensanda sunt, caeremonias ritusque omnes Ritualis dioecesani ad normam accurate persolvant.*“ 2. Valde optat Apostolica Sedes, ut Rituale Romanum aliis Ritualibus, nempe dioecesanis, substituatur, quod praepremis videre licet ex Const. Pauli V. supra cit.; — permittit tamen, ut tunc Rituali Romano ad servandas consuetudines, quae sine populi offensione abrogari nequeunt, fiant additiones cum approbatione S. Sedis Apostolicae, quod ex Const. Leonis XIII. de prohibitione librorum art. 18 colligitur, et per praxim confirmatur.<sup>3)</sup> Imo quoad matrimonium Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1 de reform. matrim. expresse probat *receptum uniuscujusque provinciae ritum, et praeterea si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri vehementer optat.*

2. — Sacerdotis est, Rituale dioecesanum observare, nec ipsi permissum est, ritus in eo designatos, quousque a Sancta Sede non reprobentur, pro libitu immutare. Omnino vero iis in casibus, pro quibus in Rituali dioecesano non est provisum, Rituale Romanum adhibere debet.

### §. 63.

## Epilogus.

*Ex Commentariis s. Bonaventurae in IV. Lib. Sent. Prooem.*

„*Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.*“ Eccli. 38, 7. Ex quibus (verbis) datur nobis intelligi,

<sup>1)</sup> Inter quos praecipue De Herdt; Praxis s. liturgiae Tom. III. n. 141 sub 2. Lovanii 1889. Ed. 8.

<sup>2)</sup> Inter quos praesertim Bouix; De jure liturg. P. IV. c. 3 §. 5.

<sup>3)</sup> Sic Conc. Pragense a. 1860 Tit. IV cap. 1 dicit: „Ut ritus in Sacra-

mentorum administratione, quos antiquus provinciae hujus usus tenet et quos temporum indigentiae exoptant, *obtenta eorum a Sede Ap. approbatione, in unum compendium redigantur, parabitur nova Ritualis Romani editio, ritibus hisce locupletata.*“

quod medicamenta sacramentalia et sunt *suavia* et sunt *salubria*; et in hoc est tam medicamenti quam medici laus perfecta. Nihil enim ultra quaerit aegrotus in medicina, quam quod habeat suavitatem in usu et efficaciam in effectu; et qui hujusmodi tribuit medicinam, medicus est perfectus secundum illud poëticum: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci*.

Sunt ergo medicamenta sacramentalia pigmenta odorifera et unguenta salutifera. Sed unguenta *salutifera* sunt respectu aegroti curandi, pigmenta *odorifera* respectu Dei placandi; et haec contra duo, quae facit culpa. Deum enim offendit, et naturam laedit; et offendendo Deum, hominem gratia exspoliatur; et laedendo naturam, vulnerat naturalia. Sacramenta ergo sunt medicamenta perfecta, quoniam Deum sua suavitate placant, et placando faciunt propitium, et impetrant gratiam, et vestiunt hominem exspoliatum, et hominem infirmum sua curant virtute; et sic reparant naturalia. Et sic homo descendens ab Jerusalem in Jericho, exspoliatus et vulneratus, reinduitur et curatur a Samaritano, scilicet Christo Domino, in cujus persona nunc dicitur: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis*, id est, instituet Sacramenta redolentia ad placandam majestatem divinam. *Faciet*, futurum dicit, loquens in tempore legis Mosaicae, pro tempore legis gratiae. Etsi enim in illo fuisse dicantur pigmenta et sacrificia Deo redolentia, non tamen erant Deum placantia.

*Unguentarius* igitur *faciet pigmenta suavitatis*, scilicet Deum placantia; *conficiet nihilominus unctiones sanitatis*, id est, Sacramenta morbum curantia. Erant quippe in lege figurae unctiones; sed non erant sanativae, quia morbus erat lethalis, et unctio erat superficialis. Christus potuit unctionem conficere sanativam, secundum quod in Actibus 10, 38 dicit de ipso beatus Petrus: „*Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo*.“ Unxit eum Spiritu sancto; et ideo attulit unctionem spiritualem et virtutem. Et ita habuit virtutem vitalem, quoniam Deus erat cum illo; et ita vitam habebat in semetipso (Joan. 5, 26). Et quia vitam in se habebat, mortuos vivificare poterat: et ideo fecit unguenta curantia a morbo lethali; dum enim mortalitatem nostram univit vitae et ille, qui vita erat, mortuus est, facta est confectio, in qua et per quam mortuus reviviscit, et ex morte ipsius Sacramenta habent vivificandi efficaciam



Haec igitur Sacramenta sunt perfecta medicamenta, quae fecit unguentarius ad placandum Deum: et ideo sunt *pigmenta suavitatis*; et ad sanandum aegrotum et ideo sunt *unctiones sanitatis*. Uctiones autem sanitatis sunt, quia sanitatem tribuunt, et ad sanitatem disponunt. Tribuunt sanitatem sufficienter, quae est sanitas gratiae; disponunt etiam ad sanitatem perfectam, quae est sanitas gloriae.“

---

## Sectio II.

### De singulis Sacramentis.

#### CAPUT I.

#### De Sacramento Baptismi.

##### §. 64.

##### Ingressio.

Spiritualis vita est Sacramentorum omnium principalis finis. Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis janua est, ut loquitur Eugenius IV. in Decreto pro Armenis a. 1439.

De hoc igitur Sacramento nunc tractaturi, 1. praemitemus paucis doctrinas dogmaticas de veritate, effectibus et necessitate ejusdem Sacramenti, dein 2. accuratius discutiemus, quae notanda veniunt juxta divinam et ecclesiasticam legem de Baptismo rite conferendo et suscipiendo, quocirca ratione scopi nostri practici agemus de materia et forma, de ministro, de subjecto, de dispositione adulterorum ad Baptismum suscipiendum, de loco et tempore Baptismi, de patrinis, postremo de caeremoniis Baptismi.

#### A. Doctrinae dogmaticae praenotandae.

##### §. 65.

#### Notio et veritas Sacramenti Baptismi.

1. — *Baptismus est Sacramentum ad spiritualem hominis regenerationem per aquam et verbum a Christo Domino institutum. Qua-*

tenus est *Sacramentum*, convenit cum reliquis in genere signi visibilis gratiae invisibilis; quatenus dicitur *ad spiritualem hominis regenerationem* institutum, baptismi differentia a ceteris notatur; dum subjungitur: *per aquam et verbum*, partes essentialia, ex quibus constat, nempe materia et forma, exprimuntur.

2. — **Doctrina fidei:** Baptismus est verum Sacramentum a Christo Domino institutum. Ita Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis, et Concil. Trid. Sess. 7. de Sacr. can. 1 definierunt. Concurrunt omnia essentialiter necessaria ad Sacramentum novae legis: 1. *signum visibile*, nempe ablutio per aquam, sub invocatione ss. Trinitatis; 2. *gratia invisibilis*, sanctificans, nam *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*, dicit Apostolus Tit. 3, 5; denique 3. *Christi institutio*, unde namque collatio gratiae per signum visibile; nisi ex Christi institutione, repetenda est?

Et quidem hoc Sacramentum Christus instituit ante suam passionem, in ipso suo Baptismo; sed legem utendi Baptismo demum post suam resurrectionem dedit.

a) Instituit *ante suam passionem*, quia Joan. 3, 22 legitur, quod ipse baptizabat, scilicet per discipulos, ut innuitur ibid. 4, 2; atque in ultima Coena suos Apostolos fecit sacerdotes, uti Conc. Trid. Sess. 22. can. 2 definivit, ergo jam ante erant baptizati, cum Baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum.

b) Instituit hoc Sacramentum *in ipso suo Baptismo*, ut post plures ss. Patres d. Thomas,<sup>1)</sup> s. Alphonsus<sup>2)</sup> aliique communius docent et Catechismus Romanus<sup>3)</sup> tradit. Etenim (ut Doctor Angelicus ait) tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit vim producendi suum effectum; atqui hanc vim accepit Baptismus, quando Christus in Jordane est baptizatus, nam *baptizatus est*, dicit s. Ambrosius, *non mundari volens, sed aquas mundare, — ut baptismatis jus haberent*. Tunc aquam tamquam Baptismi materiam determinavit, quum illam tactu sanctissimae carnis ad Baptismi salutarem usum consecrare dignatus est; — determinavit formam, quia in ejus baptismate tota Trinitas sensibiliber apparuit; declaratus est simul effectus Baptismi, quatenus Spiritus Sanctus descendit et vox Patris audita est: *Hic est filius meus dilectus*;

<sup>1)</sup> 3. q. 66 a. 2.

<sup>2)</sup> P. II. cap. 2 q. 20.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 96 (*valde probabiliter*).

quibus insinuatur, nos in Baptismo gratia Spiritus Sancti donari, et a Patre in filios adoptari; praeterea *coeli aperti sunt*, quo nobis jam per Baptismum ascendere licet. Id autem advertendum, quod hoc Sacramentum, etsi ante passionem fuerit institutum, a passione tamen Christi vim et efficientiam duxit.<sup>1)</sup>

c) Necessitatem seu legem utendi hoc Sacramento imposuit Christus hominibus post resurrectionem, Apostolis dicens Matth. 28, 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*<sup>2)</sup> Et haec lex die Pentecostes a sancto Petro Act. 2 solemniter est promulgata.<sup>3)</sup>

## §. 66.

### De effectibus Baptismi.

1. — Duo sunt secundum doctrinam catholicam principales Baptismatis effectus:

1. *Character sacramentalis*, quo baptizatus Christo incorporatur, tamquam capiti membrum, et ad vitam christianam, filio Dei dignam, agenda consecratur; simul atque corpori Christi mystico, nempe Ecclesiae cooptatur ejusque jurisdictioni subjicitur, consequenter capax seu habilis redditur ad alia Ecclesiae Sacramenta suscipienda, ceteraque Ecclesiae bona spiritualia participanda.<sup>4)</sup> Cum character, qui per Baptismum animae imprimitur, indelebilis sit, hinc Sacramentum hoc iterari nequit.

2. *Gratia sanctificans*, quae a Christo capite, cui (ut dictum est) baptizatus incorporatur, in ipsum tamquam Christi membrum derivatur.<sup>5)</sup> Et est haec gratia regenerans, ita ut per eam peccatum originale atque peccata actualia, si quae ante Baptismum erant commissa, omnisque poena, temporalis aequae ac aeternae,

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 66 a. 2 ad 1.

<sup>2)</sup> Idem l. c.

<sup>3)</sup> Bellarmin: De Sacr. Bapt. Lib. I. cap. 5.

<sup>4)</sup> Suarez; „— licet per fidem et gratiam fiat homo spirituale membrum Christi, tamen per illa ut accepta per hoc Sacramentum visibile quodammodo incorporatur visibiliter, quia fit membrum Ecclesiae visibilis et fit capax influxus quodammodo visibilis provenientes a capite Christo

per Sacramenta sensibilia.“ De Sacram. Disp. 26 a. 5.

<sup>5)</sup> S. Thomas: „— ad hoc (ut August. dicit) Baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur ut membra ejus. A capite autem Christo in omnia ejus membra gratiae et virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Joan. 1, 16: De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Unde manifestum est, quod per Baptismum aliquis consequitur gratiam et virtutes.“ 3. q. 69 a. 4 c.

tollantur, et nos ex filiis diaboli filii Dei adoptivi, vere sancti et justī atque Dei haeredes efficiamur. *Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt.* Sic Conc. Florent. in Decr. pro Armenis. Porro cum gratia sanctificante simul infunduntur virtutes et dona. Denique confertur jus ad specialia auxilia, quibus baptizati legem divinam implere sanctēque vivere possint, prouti decet filios Dei adoptivos, ejus haeredes et cohaeredes Christi.

2. — Remanet in baptizatis concupiscentia, quae tamen nec peccati neque poenae rationem habet, sed ad agonem et victoriam relicta est. Pariterque baptizati non liberantur a vitae aerumnis et morte, *tum* ut Christo, cujus membra effecti sunt, conformentur, ipse enim passionem sustinuit usque ad mortem, *tum* ut materiam virtutum habeant, ex qua uberiores gratiae fructus atque ampliora praemia consequantur.<sup>1)</sup> Auferentur illi defectus virtute Baptismi a justis in resurrectione, *quando mortale hoc induet immortalitatem.* 1 Cor. 15, 54.<sup>2)</sup>

### §. 67.

#### De necessitate Baptismi.

1. — Certum ex fide est, Sacramentum Baptismi omnibus hominibus *in re vel saltem in voto* non tantum praeepti, sed etiam medii necessitate esse necessarium ex institutione divina, post sufficientem Evangelii promulgationem. Ita Conc. Trid. Sess. 6. cap. 3 et can. 4, Sess. 7, can. 4 et 5, juxta verba Christi: „*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*“ Joan. 3, 5. Dixi: *in re vel in voto* esse necessarium hoc Sacramentum, suppleant enim baptismum fluminis martyrismum seu baptismus sanguinis et baptismus flaminis.

2. — *Baptismus sanguinis* seu martyrismum aequiparatur vero Baptismo, quia quasi ex opere operato instar Baptismi fluminis tollit culpam et poenam „ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur, pro Christo patiēdo.“<sup>3)</sup> Ideo martyrismum etiam infantibus prodest ad salutem, et merito Ecclesia infantes ab Herode propter Christum occisos tamquam Sanctos colit. De conditionibus ad Martyrium requisitis v. Lib. II. §. 159 n. 3.

1) *Catech. Rom.* P. II cap. 2 q. 47.

3) S. Thomas: 3. q. 66 a. 11 c.

2) S. Thom. 3. q. 69 a. 3.

*Baptismus fluminis* est actus amoris Dei super omnia, qui perfectam contritionem de peccatis, propositumque servandi omnia Dei mandata et sic saltem implicite etiam desiderium suscipiendi hujus Sacramenti, de quo quippe exstat praeceptum, continet. Hic Baptismus ex opere operantis tollit quidem omnem culpam, non autem omnem poenam.<sup>1)</sup>

Denique neutrum Baptismi genus imprimit characterem, neutrum est Sacramentum.

\* S. Bernardus: Tractatus de Baptismo cap. 1 et 2 (Baptismi obligatio, Baptismi votum et martyrium). S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 68 a. 1 et 2 (de necessitate Baptismi); q. 66 a. 11 et 12 (de tribus baptismatibus). S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 4 p. 2 a. 1 q. 1. Centiloquium P. III. Sect. 48. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 95 et seq.

## B. De administratione et susceptione Baptismi.

### §. 68.

#### De materia Sacramenti Baptismi.

##### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Materia Baptismi remota, eaque valida est aqua vera et naturalis.* Est de fide, ex variis Conciliis, praesertim ex Conc. Flor. in Decr. pro Armenis, et ex Conc. Trid. Sess. 7. de Bapt. can. 2.

Nomine *aquae verae et naturalis* intelligitur ea, quae est elementaris et simplex, sive ex flumine, sive ex fonte, ex puteo, ex cisterna, sive ex palude aut ex pluvia sumatur; porro aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine, aqua mineralis, aqua collecta ex rore, sive quaecunque alia, quae propriam aquae speciem retinet.<sup>2)</sup>

Materia certe invalida est sanguis, lac, vinum, succus expressus ex floribus et herbis, lutum, sudor, saliva et liquores, qui ab aqua naturali ex communi hominum judicio specie differunt.

Dubia materia est aqua ex sale soluto, aqua ex floribus vel herbis per artem chemicam distillata, humor ex vitæ vel arboribus

<sup>1)</sup> Idem: „— *universalis absolutio* (ab omni culpa et poena) *fit in perceptione baptismi et in martyrio. Si quis catechumenus sit habens desiderium baptismi, talis decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenam*

*pro peccatis praeteritis; ipse tamen salvus erit quasi per ignem.*“ 3. q. 68 a. 2 ad 2.

<sup>2)</sup> Vid. Rit. Rom. *Catech. Rom.* P. II cap. 2 q. 7. S. Alph. Lib. VI. n. 103.

manans, glacies sive nix non soluta. Hujusmodi materia, deficiente materia certo valida, in mortis periculo adhiberi potest et debet sub conditione: *Si materia haec sit sufficiens*; et demum dubie baptizatus, si supervivit, iterum baptizandus est cum materia certo valida sub conditione: *Si non es baptizatus*.

2. — Materia *licita* Baptismi, extra casum necessitatis, est sola *aqua benedicta* et chrismate immixta juxta ritum Ecclesiae, ita ut graviter peccet, qui cum aqua non benedicta administret Baptismum solemnem.<sup>1)</sup> Praeterea extra necessitatem adhibenda est sub gravi obligatione aqua munda.

Ad dubium propositum de Baptismo collato cum aqua *benedicta*, quae tamen ob climatis intemperiem *foetida* evaserat, S. C. Inq. die 17. Aprilis 1839 respondit, *Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis; et in casu necessitatis praeferendam aquam naturalem: sed providendum renovationi aquae fontis baptismalis, juxta Rituale Romanum*.

Quae de aqua benedicta Rituale Rom. praescribit, haec sunt: „Aqua solemnis Baptismi sit *eo anno* benedicta in Sabbato Sancto Paschatis vel<sup>2)</sup> Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et haec, quando nova benedicenda est, in Ecclesiae vel potius Baptisterii sacrarium effundatur.“

„Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, *alia non benedicta admisceri potest*, in minori tamen quantitate.“

„Si vero *corrupta* fuerit aut *effluxerit* aut quovis modo *defecerit*, parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat eamque benedicat ex formula praescripta.“

„Si aqua *conglaciata* sit, curetur ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut *nimum frigida*, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.“

3. — **Principium II.** *Materia proxima Baptismi est applicatio materiae remotae seu aquae, nempe ablutio baptizandi.* Constat ex verbis formae et perpetua Ecclesiae praxi. Ablutio tribus modis fieri potest, immersione, aspersione et infusione, quae posterior hodie in Ecclesia latina adhibetur. Ad Sacramenti validitatem

<sup>1)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 14. n. 8.

dicenda est in Sabbatis Paschae et Pentecostes. Benedictio ipsa peragenda est per Celebrantem, S. R. C. (2783) 1. Sept. 1838.

<sup>2)</sup> Ex mandato S. R. C. (3331) 13. Apr. 1874 aqua baptismalis bene-

sufficit *una* aquae infusio, sed praecipitur, et quidem sub gravi, *trina* ob gravem ejus significationem.<sup>1)</sup>

In Baptismo ea aquae quantitate opus est, ut is, qui baptizatur, vere dici queat *ablutus*; ad quod una vel altera gutta non sufficiens vel saltem dubia materia est, praesertim si gutta non defluat. Id notandum quoad obstetrices in necessitate baptizantes; dum forte more aquae lustralis aspergunt infantem. Communiter quidem validus censetur baptismus, si baptizans motu digiti madefacti vel spongiae madidae caput abluit;<sup>2)</sup> ex Decreto tamen S. Congr. Off. 25. Aug. 1889 sub conditione baptizari debent, qui non per infusionem aquae in caput, sed per signum crucis factum in fronte per pollicem in aqua intinctum baptizati sunt. Iterum ad casum, quo sacerdos quidam baptismum conferre solebat non per abluionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto, eadem Congr. 14. Dec. 1898 approbante S. Pontifice respondit: Curandum ut iterum baptizentur privatim, sub conditione, adhibita sola materia cum forma absque caeremoniis et ad mentem.“ Mens autem est, ut episcopus bene inquirat, an eorum aliqui postea ss. Ordines susceperint.<sup>3)</sup>

Ex Ecclesiae praescripto *caput* baptizandi aqua perfundi debet, quia est praecipua corporis pars, qua abluta homo dicitur ablutus. *Probabilius* autem juxta plures Baptismus valet, in alia parte quam in capite collatus, praesertim in principali e. g. in pectore, scapulis, humeris, quia fit vera hominis ablutio; item si aqua tantum crines tangat, quia sunt partes hominis. Ast cum in Sacramentorum collatione omnino tutius sit faciendum, in casu necessitatis, si caput non possit abluī, Baptismus in alia quidem parte vel super capillis est conferendus sub conditione (*si Sacramentum valet*), sed postea iterandus sub conditione: *Si non es baptizatus etc.*<sup>4)</sup>

#### 4. — Significatio materiae Baptismi.

1. *Aqua indicat naturam et effectum Baptismi.* Nam *a)* aqua sordes abluit, Baptismus omnium peccatorum maculas delet; *b)* aqua temperat calorem, Baptismus mitigat concupiscentiae ardorem; *c)* aqua est pervia lumini, susceptiva luminis; Baptismus est illuminatio Hebr. 6, 4, propter fidem, in cujus admirabile lumen bap-

1) S. Thomas; 3. q. 66. a. 8. —  
S. Alph. Lib. VI. n. 107, q. 5.

2) S. Alph. n. 107, q. 6.

3) Anal. eccl. Vol. 7 p. 61.

4) S. Alph. n. 107, q. 3 et 4.

tizati, de potestate tenebrarum erepti, transferuntur, quocirca etiam *Sacramentum fidei* a Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7 appellatur.<sup>1)</sup>

2. *Modus ablutionis est figura sepulturae Christi*, siquidem consepulti sumus cum Christo per Baptismum Rom. 6, 4. Nimirum aquae corpus hominis vel aliqua ejus pars supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.<sup>2)</sup> *Trina* immersio vel infusio designat triduum sepulturae Christi, et etiam Trinitatem personarum divinarum.<sup>3)</sup>

\* S. T h o m a s : Summa Theol. 3. q. 66 a. 3 et 4 (materia remota), a. 7 et 8 (materia proxima seu ablutio corporalis). S. B o n a v e n t u r a : In IV Sent. Dist. 3 p. 2 a. 1 q. 1. S. A l p h o n s u s : Theol. mor. Lib. VI. n. 102—107.

## §. 69.

### De forma Sacramenti Baptismi.

1. — Forma Baptismi haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Constat ex Conc. Lat. IV. cap. *Firmiter*, Conc. Florent. in Decr. pro Armenis, Conc. Trid. Sess. 7. de Bapt. can. 4. Haec forma a Christo Domino tradita est universae Ecclesiae expressis verbis: „*Euntes docete . baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*“ Valet tamen etiam forma Graecis usitata: *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel: *Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Cum enim principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit ss. Trinitas, instrumentalis autem sit minister: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum ss. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Sic Conc. Florent. in Decr. pro Armenis.

2. — Si petitur, an singula verba formae sint de necessitate Sacramenti, dicendum est: 1) *Ego*, non pertinet ad essentiam, intelligitur enim sub verbo *baptizo*; sed omissio hujus vocabuli esset veniale peccatum. 2) Pronomen *Te* ad validitatem Sacramenti requiritur juxta communem sententiam, quia determinat subjectum;<sup>4)</sup> magis adhuc 3) verbum *baptizo*, quo exprimitur actus; valeret tamen Sacramentum, si substitueretur synonymum

<sup>1)</sup> S. T h o m . 3. q. 66 a. 3.

<sup>2)</sup> Idem l. c. a. 7 ad 2.

<sup>3)</sup> Idem l. c. a. 8 c.

<sup>4)</sup> S. C. de Propaganda Fide in-

terrogata de valore baptismi, omisso pronomine *te* in forma, die 5. Julii 1841 respondit: *Non valere Baptisma, ideoque iterandum.*



e. g. abluo. Invalidus itaque esset Baptismus, si omissis verbis: *Ego te baptizo*, administraretur solis verbis: *In nomine Patris etc.*; quod ultra confirmatur ex propos. 27 ab Alexandro VIII. damnata.

4) Ad validitatem Baptismi omnino necessaria est explicita et distincta invocatio trium personarum ss. Trinitatis; quod ex citatis Christi Domini verbis, ex ss. Patribus et Conciliis constat. Nec deest ratio congruentiae, siquidem Baptismus est Sacramentum fidei; cumque mysterium ss. Trinitatis sit primum et praecipuum fidei objectum, conveniens est ejusdem professionem distinctam fieri in Baptismo. Hinc nullum est Sacramentum ministratum *in nomine Christi*, vel *in nomine sanctissimae Trinitatis*, vel *in nomine trium divinarum personarum*. Etiam essentiale plures censent vocabulum *in* (nempe nomine), quod significat: invocatione ss. Trinitatis, dum *nomine* indicatur auctoritas seu potestas. Idem dicunt de conjunctione *et* (Patris et Filii et Spiritus Sancti), nisi haec conjunctio ponatur saltem ante tertiam personam.

\* S. Thomas: Summa Theolog. 3. q. 66 a. 5 et 6. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 108 et seq.

## §. 70.

### De ministro Baptismi.

1. — Baptismus vel *solemniter* vel *privatim* confertur, prout fit ritibus et caeremoniis ab Ecclesia praescriptis, vel secus in casu necessitatis. Hinc distinguitur *minister* Baptismi sollemnis seu simpliciter *solemnitatis*, et minister Baptismi privati in necessitate seu *necessitatis*.

### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Baptismi sollemnis ministri ordinarii sunt episcopi et presbyteri, extraordinarii vero Diaconi.* 1. Episcopus esse hujus Sacramenti ministros et quidem primarios, per se patet. 2. Ministros ordinarios esse quoque presbyteros, sed secundarios seu episcopis subordinatos, constat ex sensu Ecclesiae traditionali, et confirmatur ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis, in quo traditur: *Minister hujus Sacramenti Baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Denique 3. Diaconos esse ejusdem ministros extraordinarios, constat ex sensu totius antiquitatis, in qua Diaconi exhibentur baptizasse, sed ex jure can. requiritur delegatio seu

commissio episcopi vel presbyteri.<sup>1)</sup> Porro haec delegatio baptizandi solemniter Diacono ab episcopo vel parcho tantum in necessitate tribuenda est, ut si propter baptizandorum multitudinem, gravem infirmitatem vel excommunicationis censuram, Baptismum petentibus neque per se neque per sacerdotem alium satisfacere possit. Quae delegatio adeo necessaria censetur, ut absque illa Diaconus nec in casu necessitatis possit *solemniter* baptizare, et solemniter baptizans incurrat irregularitatem.<sup>2)</sup>

3. — Ad Baptismum solemnem *licite* conferendum jurisdictio requiritur. Constat ex jure canonico. Ratio evidens est, siquidem administratio Baptismi sollemnis est actus pastoris proprii, ad quem licite exercendum requiritur potestas jurisdictionis sive ordinaria sive delegata. Hinc *a)* nec parochus nec episcopus absque commissione pastoris proprii saltem praesumpta extra parochiam vel dioecesim, vel infra eam alienos licite baptizant. Ideoque peccant etiam parentes, qui sine licentia sui parochi saltem rationabiliter praesumpta alii sacerdoti deferunt prolem baptizandam, quia jus parochi violant. Attamen *b)* possunt omnes suscipere Baptismum aliaque Sacramenta a parcho loci, ubi quasi-domicilium habent. Et si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab ejusdem pagi parcho est baptizanda, nisi forte ille pagus a proprio parum distet.<sup>3)</sup>

4. — **Principium II.** *Baptismi privati minister est omnis homo, ita ut semper valide, et in necessitate etiam licite baptizare possit.* Quae assertio est de fide, ex Conc. Later. IV cap. *Firmiter*, et ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis, atque clarissime constat ex ss. Patrum doctrina perpetuaque Ecclesiae praxi. Sane ad misericordiam Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut quum Baptismus sit maximae necessitatis, et materia Baptismi sit communissima, quae a quolibet facile haberi possit, et minister sit quicumque homo.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Hinc si in ordinatione Diaconi dicitur: *Diaconum oportet . . . baptizare et praedicare*, et rursus in ordinatione presbyteri: *Sacerdotem oportet . . . praedicare et baptizare*, discrimen est quoad potestatem baptizandi inter presbyterum et diaconum, in eo revera consistens, quod *sacerdos* jure ordi-

nario, *diaconus* solum ex delegatione seu commissione est minister Baptismatis sollemnis.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 116, Dub. 1 et 2.

<sup>3)</sup> Idem n. 114 et 115, *Not. 1 et 2.*

<sup>4)</sup> Ita Doctor Angelicus 3. q. 67 a. 3.

Est tamen ordo servandus, ut in Rituali Romano ita describitur: „Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi.“

„Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat.“

Docet s. Alphonsus,<sup>1)</sup> *sacerdoti excommunicato* praeferendum esse laicum non excommunicatum; quia excommunicatus in solo casu extremae necessitatis, qui tamen non reperitur, dum alius adest, licite potest hoc Sacramentum conferre; et graviter peccare illos parentes affirmat, qui extra necessitatem extremam peterent ab *haereticis* vel *schismaticis* prolem baptizari. Quae doctrina confirmatur in Instructionibus Pii VI. die 26. Sept. 1791 et die 28. Maji 1793 datis ad Galliae episcopos, in quibus declaratur, *non licere Baptismum recipere a parochis intrusis* (schismaticis) *excepto casu extremae necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare.*

5. — **Observatio practica.** Ne quispiam sine salutari remedio de hoc saeculo decedat, Rituale Romanum monet: *Curare debet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servant.*<sup>2)</sup> Obstetricibus ex officio incumbit puerperis adesse, et non raro necessitas evenit, ut baptizent infantes in mortis periculo positos; quocirca parochus has mulieres praepriis instruere et accurate etiam examinare debet de iis, quae ad Baptismum valide conferendum requiruntur aperiendo eis insuper casus difficiliore, qui occurrere solent, v. §. 71 n. 4. Praepriis consulenda resp. observanda erit „*Institutio ad Clerum de erudiendis obstetricibus*“, in comitiis episcop. Austriae die 7. Apr. 1894 approbata.<sup>3)</sup> Ast evenire possunt casus inopinati necessitatis, ubi alii fideles Baptismum infantibus periclitantibus ministrare tenentur; quapropter parochus communi instructione fideles curae suae commissos rectum baptizandi ritum edoceat necesse est.

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 117, Dub. 2 et 5.

*Baptismum rite conferendi rationem optime calleant.“*

<sup>2)</sup> *Conc. Proc. Vienn. a. 1858 Tr. III. cap. 2: „Parochi curent, ut obstetrices*

<sup>3)</sup> V. Linzer Dioecesanblatt Nr. 4, 1897.

## §. 71.

## De subjecto Baptismi.

1. — **Assertio I.** Omnis et solus homo in statu viae, sive infans sive adultus, nondum baptizatus, capax est Baptismi percipiendi.

**Assertio II.** In omni dubio rationabili, an quis sit capax Baptismi, sub conditione baptizandus est. In dubio prudenti, an quis reipsa aut valide sit baptizatus, repeti debet Baptismus sub conditione.

## E x p l a n a t i o d o c t r i n a e.

2. — Baptismi capax est 1) *omnis homo, non tantum adultus, sed etiam infans*. Est veritas fidei, contra multos haereticos antiquiores et recentiores definita a Conc. Trid. Sess. 7. de Bapt. can. 12, 13 et 14. An valide et licite baptizari possint amentes, dicitur infra §. 73 n. 1.

3. — Capax est 2) *solus homo*. Sacramenta propter homines. Ideo in monstris baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est, de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Ita Rit. Romanum.

Monstrum, quod humanam speciem non prae se ferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo etc.* Rit. Rom.

Monstrum, quod caput habet humanum, baptizandum absolute, licet membra sint ferina; sub conditione, si caput sit ferinum, et membra humana.<sup>1)</sup>

In dubio, an monstrum sint plures personae, tunc si habeat plura capita, plura pectora, totidem erunt homines distincti, et singuli seorsim baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo*. Quando non est certum, in monstro esse duas personas, quia duo capita et duo pectora non habet distincta: tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* Ita Ritual. Rom.

4. — Baptismo suscipiendo tantum idoneus est 3) *homo in statu viae* seu vivus, ut patet. Si dubium sit, an infans vivat, sub conditione baptizandus est.

---

<sup>1)</sup> Medici hodierni conceptionem ex coitu cum bestia negant, hinc spe-

ciem ferinam adscribunt mulieris phantasiae vel conformationis defectui.

Foetus abortivus (qui scilicet egreditur ab utero matris ante tempus et immaturus), utcumque parvus, si habeat formam humanam et det signum vitae, baptizandus est absolute. Si vero in eo vix appareant indicia formae humanae et vitae, foetus baptizandus est sub conditione: *Si es capax etc.*, nisi jam manifesta corruptionis signa deprehendantur. Nam juxta opinionem a peritis receptam foetus ab initio conceptionis vel saltem non multo post animatur.

Si foetus adhuc involutus sit secundinis seu membranis, quae hodie veluti pars matris a peritis habentur, optime immersione baptizatur; ita quidem ut ovum (quo foetus includitur) in aquam nonnihil tepidam immergatur, et velamentis caute disruptis statim baptismi forma conditionata: *Si vivis etc.* dicatur.<sup>1)</sup>

Si infans caput ex utero emiserit, et mortis periculum immineat, ab obstetrice baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum, videlicet manum vel pedem emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et postea si natus vixerit, erit baptizandus sub conditione: *Si non es baptizatus etc.* Rit. Rom.

Nullus quidem in utero matris clausus baptizari potest; valde probabile tamen habetur, quod infans, qui ante partum moriturus prudenter timetur, in utero sub conditione baptizari potest, si scitus chirurgus vel solers obstetrix aquam tepidam ope siphunculi vel alio modo infanti applicare noverit; quia talis infans jam existit homo viator, utpote jam vivens in utero matris. Sed si infans vivus in lucem editus fuerit, baptismus conditionate repetendus est, etiamsi super verticem baptizatus fuerit. S. C. C. 12. Jul. 1794 et 21. Jan. 1897.

Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur et, si vivus fuerit, baptizetur; ut monet Rituale Romanum. An vero liceat matrem incidere, ut ejus infans Baptismum recipiat, discussum est Lib. II. § 126 n. 2.

Ad dubium: An sacerdos, qui deficiente medico operationem caesaream ab alia persona capaci fieri curat, recte agat, et an ad id teneatur, etiam quando a gubernio in poenam talis agendi modi annuo stipendio privaretur? — respondit S. Off. 13. Dec. 1899 approbante S. Pontifice: Detur Decretum S. Off. 15. Dec. 1780 ad Vic. apost. Sutchuen., in quo haec dicuntur: „Foetus

<sup>1)</sup> V. C a p e l l m a n n: Med. Past. p. 112, nota; et „Institutio ad Clerum de erudiendis obstetricibus“ Art. 18. — Bene addit L e h m k u h l (II. n. 74,

nota): Securius est, ut formam dicens foetum *et* in aquam immergat *et* ex ea extrahat.

extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda sit, expresse tamen cavet prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fuerit, illius notitiam edidisse curasseque, ut ejus perficiendae rationem perdiscant qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero, cum casus tulerit, ejusdem praxim ipsorum oneri ac numeri reliquisse<sup>1)</sup>

5. — Homo ut Baptismi capax sit, 4) *nondum baptizatus* esse debet. Baptismus enim cum debita materia, forma et intentione collatus suscipienti characterem indelebilem imprimit. Ideoque iterans Sacramentum jam rite baptizato invalide agit, grave sacrilegium committit. Praeterea sine justa causa absolute vel conditionate rebaptizans, irregularitatem incurrit.<sup>2)</sup>

De fide certum est ex Conc. Trid. Sess. 7 de Bapt. can. 4, quod validus est *Baptismus ab haereticis collatus*, quando omnia ad Sacramentum essentialiter requisita adhibentur. S. Congr. Inquis. ad dubium: An baptismus conferri debeat haereticis, qui se convertant ad religionem catholicam, a quocunque loco proveniant et ad quamcunque sectam pertineant? die 20. Novemb. 1878 respondit: *Negative*, sed in conversione haereticorum, a quocunque loco vel a quacunque secta venerint, inquirendum de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt *absolute*. Si autem pro tempore et locorum ratione investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si *constiterit* validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjuramentum seu professionem fidei.<sup>4)</sup> In praxi Baptismus plerumque sub conditione erit iterandus, cum haeretici nostro tempore parum curare soleant de illo rite conferendo.

Advertendum est, validitati Baptismi nihil officere *errorem privatam baptizantis*, dummodo adsit intentio necessaria, et in materia ac forma nihil innovetur, ex doctrina Benedicti XIV., cui institit S. C. Officii in sequenti resolutione:

Narratum fuit a quodam Vicario Apostolico: „In quibusdam locis nonnulli (haeretici) baptizant cum materia et forma debitis simultanee applicatis, sed expresse monent baptizandos, ne credant Baptismum habere ullum effe-

<sup>1)</sup> Anal. eccl. Vol. 8 p. 54.

Syn. Dioec. Lib. VII. cap. 6 n. 3.

<sup>2)</sup> S. Alph.: n. 122 (*valde probabilius*). Benedictus XIV.: De

Inst. 84. *Catech. Rom.* P. II. cap. 2 q. 56.

ctum in animam; dicunt enim ipsum esse signum mere externum aggregationis illorum sectae. Itaque illi saepe catholicos in derisum vertunt circa eorum fidem et effectus Baptismi, quem vocant quidem superstitiosum. Hinc quaeritur: 1. Utrum Baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi, quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, Baptismus nullum habere effectum in animam? 2. Utrum dubius sit Baptismus sic collatus, si praedicta declaratio non expresse facta fuerit immediate antequam Baptismus conferretur; sed illa saepe pronuntiata fuerit a ministro, et illa doctrina aperte praedicetur in illa secta?''

S. C. Officii die 18. Dec. 1872, postquam commemoravit doctrinam Benedicti XIV. De Synodo Dioec. Lib. VII cap. 6, respondit: Ad I. *Negative, quia non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi, quod facit Ecclesia.* Ad 2. *Provisum in primo.*

Infantes *expositi* conditione adhibita baptizandi sunt, nisi eos rite baptizatos esse plene constet. Schedulae appositae, quae infantem baptizatum esse asserit, nihil tribuendum est, nisi forsan liber baptismalis rem ita se habere comprobet. Ita nostrum Concilium Provinc. a. 1858 Tit. III. cap. 2, conformiter doctrinae communi.<sup>1)</sup>

6. — *An sunt rebaptizandi infantes ab obstetricibus baptizati?* Communissima et vera sententia, inquit s. Alphonsus,<sup>2)</sup> docet eos non esse rebaptizandos nec sub conditione, nisi adsit probabilis suspicio erroris in Baptismo collato. Quae sententia eo confirmatur, quod S. C. C. ad quaesitum: *An infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi?* die 27. Martii 1683 respondit: *Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis Baptismi.* Et similiter die 29. Decembr. 1682.

Sed attendi debent locorum circumstantiae. Certe in urbibus amplis obstetrices, prouti esse solent, parum fiduciae ingerunt de Baptismo rite collato, nec facile dictis earum credi potest; hinc puto, infantes ab his baptizatos generatim esse sub conditione rebaptizandos, et exceptionem tunc tantum esse faciendam, si ejusmodi feminae probe instructae, piaae ac fide dignae certa notitia cognoscantur, et re diligenter examinata, omnis prudenter dubitandi causa absit. Aliter res se habet in pagis, ubi obstetrices melioris esse solent indolis; quapropter si bene sint instructae et in speciali casu interrogatae affirmant, omnia a se rite esse adhibita, quae ad Sacramentum valide ministrandum requiruntur, nec quidquam occurrat, quod earum testimonio fidem detrahat, ne quidem sub conditione Baptismus licite repeti potest.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 135.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 136.

<sup>3)</sup> *Catechismus Romanus* P. II cap. 2 q. 56 dicit: „*Conditionata Baptismi forma ex Alexandri Papae auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus re diligenter perquisita dubium relinquatur,*

*an Baptismus rite susceperint; aliter vero numquam fas est etiam cum ad-  
junctione Baptismus alicui iterum ad-  
ministrare.* Et Benedictus XIV. De Syn. Lib. VII. cap. 6 n. 4 improbat eas Synodos, in quibus generatim et indistincte jubentur iterum sub con-

Id autem observare velis, quod juxta dicta § 50 n. 4 generatim magis inclinare debes ad faciendam, quam omittendam Baptismi iterationem. *Concilium Prov. Viennens.* a. 1858 Tit. III cap. 2 dicit: „*Parochus, quando Sacramentum valide esse collatum prudenter dubitari nequeat, ceremonias omissas supplere satagat; alias et ipsum Baptismum sub conditione iisdem conferat.*“ Ergo non indistincte est iterandus Baptismus; opus tamen est, ut obstetrices a parochis edoceantur ritum accurate et sine praecipitantia perficere. §. 70 n. 5.

### §. 72.

#### **An infantes haereticorum et infidelium sint baptizandi?**

1. — I. Infanti *haereticorum* minister catholicus licite Baptismum praebere nequit, nisi „probabilem spem concipiat fore, ut hujusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui. Quodsi nulla via possit hujusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a Baptismo abstinere, supponendo parvulum non esse in extrema necessitate“ seu periculo certo sive proximo mortis.<sup>1)</sup> Nec licet „parochis, ubi agitur de matrimonio mixto, administrare Baptismum *sub conditione* parti acatholicae, quae in haeresi permanere declarat, quando dubium circa ejusdem Sacramenti validitatem exoritur; tunc enim tantummodo licite id fieri potest, cum pars heterodoxa paratam se praebet abjurandi errores ac redeundi ad gremium Ecclesiae catholicae.“ Sic Card. Praefectus S. Congr. Inquis. in epist. ad episc. Sangallensem die 13. April. 1878.

2. — II. Quoad infantes *judaeorum et gentilium* haec valent: 1) „Infantibus hisce in articulo mortis moraliter certo constitutis Baptismus potest conferri, si tamen id fiat sine scandalo“ S. C. de Prop. Fide 28. Jan. 1637, itemque baptizandi sunt infantes expositi, utpote a parentibus derelicti, ex cap. 1 *de infant. et languid. expos.*<sup>2)</sup> Ex decreto S. Off. 18. Julii 1892 possunt baptizari

ditione in ecclesia baptizari, quicumque privatim fuere ab obstetricibus domi baptizati. Vid. etiam ejusdem Instruct. 84.

<sup>1)</sup> Suarez: Com. in 3. part. Summ. Tom. III Disp. 25 Sect. 5. *Synod. Plenar. episc. Hiberniae apud Thurles* a. 1850 Decret. XI n. 9: „*Si quis acatholicus suos infantes sacerdoti catholico baptizandos offerat, et spes adsit catholice eos esse educandos, omnino baptizantur, adhibitis tamen patrino vel*

*matrina catholica. Quodsi infantes hujusmodi in proximo vel probabili mortis sint periculo, sacerdotes, si occasio se obtulerit, eos baptizare absque ulla dubitatione debent.*“ Sic et alia Concilia recentiora.

<sup>2)</sup> Huc maxime spectat Institutum Sanctae Infantiae a. 1843 Parisiis exortum, per quod innumeri a barbaris parentibus projecti apud Sinenses colliguntur, baptizantur et, si supervivant, christiane educantur.



filiis infidelium, si existant in *periculo* mortis, et valde dubitetur, an praesentem infirmitatem superent et ad annos discretionis perveniant. Ast 2) „extra imminens mortis periculum non licet, invitis aut insciis parentibus (infidelibus) baptizare eorum filios infantes.“ S. C. de Prop. Fide 18. Febr. 1705. Possunt 3) baptizari „filii ab infidelibus parentibus ad Baptismum oblatis, cum adsit spes justa separationis a parentibus.“ S. Off. a. 1637; imo etiam „baptizari possunt pueri a parentibus non baptizatis oblatis, qui in potestate parentum infidelium relinquendi erant, dummodo in singulis casibus non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos.“ S. Off. a. 1867. <sup>1)</sup>)

Quaeritur 1. *An liceat baptizare infantes parentum, quorum una pars est christiana, altera infidelis (Judaeus, ethnicus, Mohametanus), ab his parentibus ad Baptismum oblatis?* Resp. Proposito dubio, an filii mulierum christianarum et patris Turcae sint baptizandi, instante patre vel matre .? Clemens VIII. die 12. Oct. 1600 auditis votis decrevit: „Si non adsit certitudo apostasiae, baptizentur; si adsit certitudo, iterum proponatur“ (sc. dubium istud). Benedictus XIV. in Const. *Postremo mense* 28. Febr. 1747 edixit: „Si nullum adest vitae periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligenter omnes expendere circumstantias, et praesertim vel eos in Evangelicae legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab hujusmodi matribus fraudatos mohametani patris impietatem secuturos esse. Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, aequum bonumque existiment praedictos infantulos baptizare, id quidem facerent; matres tamen enixe admonerent de christiana religione sedulo edocenda.“ <sup>2)</sup>)

Quaeritur 2. *An baptizari possint infantes parentum, quorum una pars est apostata, altera infidelis e. g. Judaeus, ab iisdem parentibus ad Baptismum oblatis?* Haec quaestio apud nos practica, diversis Apostolicae Sedis decretis, quae hactenus adduximus, expensis sic solvenda esse videtur: a) baptizandi sunt ejusmodi infantes in proximo vitae periculo; b) baptizari possunt extra vitae periculum, dummodo non praevideatur ullum adesse grave

<sup>1)</sup> Hoc Decretum refert Gallo S. J.: Suppetiae etc. Vol. I. pag. 104. Romae 1872.

<sup>2)</sup> Gallo op. c. Vol. I. pag. 101 —102.

perversionis periculum; parentes autem promissionem in pactum deductam emittere debent de catholica prolis educatione procuranda, quæ alioquin facilius sperari poterit, si parentes et proles inter catholicos vivant, vel mater fide tantum a fide catholica defecerit, vel utraque pars aut una saltem inclinet ad fidem catholicam suscipiendam. Ceterum, si potest fieri, iudicium episcopi exquiratur. <sup>1)</sup>

3. — Pueri parentum acatholicorum vel infidelium, qui *usum rationis habentes* petunt in Ecclesiam cooptari, praevia instructione necessaria cooptari possunt et debent, dummodo non desit catholica eorum educatio. <sup>2)</sup>

### §. 73.

#### De dispositione adultorum ad Baptismum suscipiendum.

1. — Requiritur in adultis I. ad *valide* recipiendum Sacramentum Baptismi intentio saltem habitualis i. e. habita et non retractata. Infantium voluntatem merito supplet Ecclesia.

Si quaestio est de adultis *amentibus*, distinguendum debet: a) perpetuo amentes, qui numquam usi sunt ratione, valide baptizantur, quia ejusdem conditionis cum infantibus esse censentur; b) amentes, qui aliquando ratione usi sunt, si ante amentiam suscipiendi Baptismi desiderium ostenderit, valide baptizantur, sed licite tunc tantum quando vitae periculum imminet. Idem dicendum de iis, qui lethargia aut phrenesi laborant. <sup>3)</sup>

Circa baptismum adulto et sensibus destituto conferendum in articulo mortis decrevit S. Off. 30. Martii 1898 (approb. S. Pontifice): „De Mahomedanis moribundis et sensibus destitutis respondendum est ut in decr. S. Officii 18. Sept. 1850 ad Episc. Perthensem, id est: Si antea dederint signa velle baptizari vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eandem dispo-

<sup>1)</sup> Vid. ephem. *Linzer theol.-pract. Quartalschrift* 1877: „Kirchliche Normen für das Verhalten des Seelsorgers gegen Confessionslose.“ S. 532 u. f.

<sup>2)</sup> S. P. Leo XIII. in Encycl. ad Episc. Hungariae die 22. August. 1886 edicit: „Eorum qui curam animarum gerant, verissimum idemque permagnum officium est, in Ecclesiam cooptare, quotquot matura ad iudicandum aetate, ut cooptentur, petant. Quamobrem si anima-

rum curatores alterutrum malle cogantur, necesse est eos humanarum legum severitatem potius subire, quam vindictis Dei iram lacessere.“ *Conc. Prov. Quebecensis* (in America) a. 1854 Decret. VII n. 7 observat: *Quod tamen, propter perturbationes gravesque molestias, quae quandoque hinc oriri possint, passim et inconsulto episcopo fieri non debet sine consensu parentum.*“

<sup>3)</sup> Rit. Rom. *Catech. Rom.* P. II cap. 2 q. 38.

sitionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adjunctis inspectis, ita prudenter judicaverit.“<sup>1)</sup>

2. — Requiritur in adultis II. ad *licite et fructuose* suscipiendum hoc Sacramentum fides et poenitentia.

1. Necessaria *fides* est, cum Dominus et Salvator noster docuerit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*“ Marc. 16, 16. Quare adultus, qui est baptizandus, prius instrui debet in christiana fide et sanctis moribus, et nonnisi probe instructus baptizari. Urgente mortis periculo sufficit scire et explicite credere, quae necessaria sunt necessitate medii<sup>2)</sup>

2. Necessaria est *poenitentia*, juxta monitum divinum: „*Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*“ Act. 2, 38. Sufficit autem attritio (contritio imperfecta) de admissis peccatis actualibus, cum qua junctum esse debet propositum servandi legem divinam. Aliter enim, sic Catechismus Romanus,<sup>3)</sup> qui ita Baptismum peteret, ut tamen peccandi consuetudinem nollet emendare, omnino repellendus esset. Nihil enim Baptismi gratiae tam repugnat, quam mens et consilium perseverandi in peccatis.

Non opus est confessione, quia peccata ante Baptismum commissa in ipso Baptismo remittuntur, et materia esse nequeunt absolutionis sacramentalis. Nec mos eam exigendi, ut animus ad gratiam Baptismi disponatur, probandus est, ut Archiepiscopo Baltimorensi Fr. R. Kenrick consulenti, ut ipse refert,<sup>4)</sup> respondit Cardinalis Consalvi, Pro-Praefectus S. Cong. de Prop. Fide, die 31. Maji 1823. Volentibus tamen confiteri indulgeri potest, juxta d. Thomam:<sup>5)</sup> „Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc, quod eis satisfactio imponeretur; sed ad hoc, quod contra peccata consueti eis spiritualis informatio vitae traderetur.“

Ast haereticus adultus, qui post conversionem ad fidem catholicam ob dubiam validitatem Baptismi suscepti sub conditione rebaptizatur, debet integram confessionem peragere et sub conditione absolvi, ut infra *de Sacr. Poen.* §. 160 n. 2 probabitur.

3. — Ex dictis patet, eum qui serio vult Baptismum percipere, quamvis nec fidem nec de peccatis dolorem habeat, vere

<sup>1)</sup> Anal. eccl. Vol. 6 p. 187.

<sup>4)</sup> Theol. mor. Vol. II. Tr. 15

<sup>2)</sup> Rit. Rom. S. Alph. Lib. VI n. 33.  
n. 139.

<sup>3)</sup> P. II cap. 2 q. 39.

<sup>5)</sup> 3. q. 68 a. 6 c.

Baptismi characterem indelebilem recipere, cum valide baptizetur, non tamen gratia sanctificante donari, neque alios effectus assequi, qui ab ipsa pendent coll. §. 66. Obice autem remoto gratia reviviscit, v. §. 60.

### §. 74.

#### De loco et tempore Baptismi.

1. — I. Quod attinet *locum*, in quo ministrandus est Baptismus, Rituale Romanum praescribit: Licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediatur, tamen *proprius Baptismi ministrandi locus est ecclesia*, in qua sit Fons baptismalis, vel certe Baptisterium prope ecclesiam. Itaque necessitate excepta in privatis locis nemo baptizari debet.<sup>1)</sup>

Concilium Provinciae Viennensis a. 1858 Tit. III cap. 2 haec observanda proposuit: „*Canones jubent, ut Baptismus, cum janua sit ad Christi Ecclesiam, in ecclesia ad fontem baptismalem conferatur, nisi propter infantis infirmitatem aut aliam justam causam exceptio admittatur. Hoc uti usu retentum est, sedulo conservetur. Ut infantes parentibus petentibus in privatis domibus baptizentur, iis in locis, ubi ejusmodi consuetudo diuturno usu invaluit nec facile tolli potest, ad tempus toleretur.*“

2. — II. Etsi quoque tempore dari possit Baptismus, veteres tamen ordinarie et extra casum necessitatis solum in vigilia Paschatis et in vigilia Pentecostes solemniter baptizarunt.<sup>2)</sup> In *vigilia Paschatis*, qua fit commemoratio sepulturae et resurrectionis Domini, quia per Baptismum sepelimur cum Christo, et resurgimus in novitatem vitae; in *vigilia Pentecostes*, qua incipit celebrari solemnitas Spiritus Sancti, quia lex Baptismi hoc festo solemniter promulgata est, et Apostoli ipsi tria millia hominum baptizarunt.

Adulti obligantur ad suscipiendum hoc Sacramentum, quamprimum commode possunt, dummodo antea in fide instructi sint et probati, ne diutius, quam oportet, gratia Baptismi tantopere necessaria careant, et a ceterorum Sacramentorum usu, ad quae tantum per Baptismum aditus patet, excludantur. De baptismo infantum Rituale Romanum dicit: *Parochus hortetur, ne pueris Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Communius opinantur Theologi, grave esse peccatum, ultra

<sup>1)</sup> In sacristia non nisi ex rationabili causa ab episc. approbanda. S. R. C. (3104) 16. Mart. 1861. — Episcopus potest etiam permittere baptismi administrationem extra locum fontis

apud aliquod Ecclesiae altare. S. R. C. (3695) 1. Sept. 1888.

<sup>2)</sup> Vid. Bellarmin: De Sacram. Bapt. Lib. I. cap. 26.

10 vel 11 dies Baptismum sine gravi causa differre.<sup>1)</sup> S. Cong. Inq. die 11. Jan. 1899 approbante S. Pontifice declaravit: *Urgendum ut baptismus quam citius ministretur; tunc vero permitti poterit ut obstetrix illum conferat, quando periculum positive timeatur, ne puer dilationis tempore sit moriturus.*<sup>2)</sup>

### §. 75.

#### De patrinis Baptismi.

1. — Patrini baptizandos offerunt ad lavacrum regenerationis et de sacro fonte baptizatos levant, itaque aliquid faciunt ad ipsorum regenerationem; inde nomen.<sup>3)</sup> Olim *susceptores, sponsores* seu *fidejussores* appellati sunt. Eorum est, baptizatos in fide et moribus instruere, si id a parentibus negligi vident.<sup>4)</sup>

In Baptismo solemni patrinus (sive vir sive mulier) sub gravi adhiberi debet, quia baptizati sunt „sicut modo geniti infantes“, qui ductore seu paedagogo indigent.<sup>5)</sup>

Prohibitum est a Conc. Trid. Sess. 24. cap. 2 de Ref., ne plures quam ad summum unus et una adhibeantur. Et graviter peccaret parochus. si plures (duos viros aut duas mulieres) admitteret, agendo contra Ecclesiae prohibitionem in re gravi datam, ne multiplicetur cognatio spiritualis, quae est impedimentum dirimens matrimonium intar levantem et levatum, levatique parentes.

2. — Ut quis vere sit patrinus et contrahat cognationem spiritualem, debet 1. habere usum rationis et ipse esse baptizatus, 2. a parentibus vel parcho ad hoc esse designatus, 3. per se vel per alium tangere vel tenere infantem, dum baptizatur, vel statim levare aut suscipere de sacro fonte seu de manibus baptizantis,<sup>6)</sup> denique 4. habere veram intentionem gerendi munus patrini.<sup>7)</sup>

Patrini esse prohibentur 1. religiosus et monialis cujuslibet Ordinis, 2. parentes baptizandi, 3. a fide seu communione catholica

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 118, Notand. II.

<sup>2)</sup> Anal. eccl. Vol. 7 p. 145.

<sup>3)</sup> S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 6 p. 2 dub. 6.

<sup>4)</sup> S. Thom. 3. q. 67 a. 8. S. Alph. Lib. VI. n. 147.

<sup>5)</sup> S. Thom. 3. q. 67 a. 7.

<sup>6)</sup> Talis tactus physicus requiritur etiam in *adultis*, qui baptizantur; quia haec caeremonia juxta d. Thomam (3 q. 72 a. 10) inducta est non ad suppleendam imbecillitatem corporis, sed ad significandam imbecillitatem animae. S. Alph. n. 148, Quaer. 1.

<sup>7)</sup> Vid. s. Doctorem n. 146 et seq.

alieni: apostatae, haeretici et schismatici, porro manifeste excommunicati vel interdicti, sed et publice criminosi seu infames, 4. item qui sana mente non sunt aut rudimenta fidei ignorant (et Confirmationis Sacramento non muniti, ex Conc. Prov. Vienn. Tit. III. cap. 2).

Ex declaratione S. Poenitentiariae 10. Dec. 1860 ad 19 tunc tantum ab Ordinario, quem consulere debet parochus, admitti potest ad officium patrini *notorie censuratus*, si ex ejus rejectione gravia damna imminere videantur.<sup>1)</sup>

Absolute non licet per se vel per alium fungi munere patrini in Baptismis, qui *haeticorum filiis ab haeticis* ministrantur, ex Decr. S. C. Officii 10. Maji 1770. Cf. Lib. II. §. 10 n. 6. Nec officium patrini suscipere licet, si fortasse presbyter vel parochus *intrusus* (schismaticus) Baptismum ministret, ex Instruct. Pii VI. die 28. Maji 1793 ad Galliae episcopos data.

## §. 76.

### De caeremoniis Baptismi.

1. — Ritus. quibus nunc in Baptismo utimur, antiquissimi sunt. pertinentes usque ad tempus Apostolorum.<sup>2)</sup> De iis in scientia morali agendum est duplici respectu, primo quoad earum significationem, secundo quoad earum obligationem seu necessitatem.

2. — A. *Significatio caeremoniarum Baptismi.* Ad tria capita (ut optime advertit Catechismus Romanus) illae revocari possunt: aliae enim Baptismum antecedunt, aliae comitantur, aliae subsequuntur.

1. Baptismum antecedunt: *Statio ante fores Ecclesiae*, qua significatur, non baptizatum esse extra ecclesiam, regnumque coelorum ipsi esse clausum.

<sup>1)</sup> In paroecia Hungariae accidit, ut mater a fide catholica apostaverit, quia parochus in baptizanda ejusdem prole patrinam haeticam, inhaerendo legibus ecclesiae, rejecerit; quum vero ex declaratione S. Poen. 10. Dec. 1860 notorie censuratus ad munus patrini admitti possit, si ex ejus rejectione gravia damna imminere videantur: quaeritur, utrum haec declaratio ad

patrinos haeticos extendi possit, an vero praestet, sicut nonnulli volunt, in hujusmodi casibus difficilibus baptismum sine patrino administrare? S. Rom. et univ. Inquisitio die 3. Maji 1893 respondit: *Negative et praestare, ut baptismus conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit.*

<sup>2)</sup> Quod fuse ostendit Bellarminus: De Sac. Bapt. Lib. I. cap. 24—27.

*Nomen baptizando imponitur, ut indicetur, eum Christo nomen dare atque familiae Christi adscisci. Quamvis non stricte praeceptum, maxime tamen conveniens est, nomen alicujus Sancti e Martyrologio Romano desumptum imponere, ut juxta verba Ritualis baptizatus ejus patrocinio protegatur, et ejusdem exemplo ad pie vivendum excitetur. Rituale Romanum (Tit. II cap. 1 n. 54) ait: *Curet parochus, ne obscoena, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum.**

Fit *exorcismus*, et *signa crucis* formantur, ut initiandus virtute Crucis a servitute daemonis, cui subjecti nascuntur omnes, liberetur, et vis daemonis ab impediendo effectu sacramentali cohibeatur. Nam „diabolus habet potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso, quod subditur originali peccato“, dicit Angelicus Doctor.<sup>1)</sup>

*Insufflatio* in faciem baptizandi significat, in locum Satanae succedere Spiritum Sanctum, quem Christus insufflando Apostolis dedit.

*Sal* benedictum ori immittitur, ut homo per gratiam Baptismi pabulo sapientiae seu doctrinae christianae delectetur, et gustet, quam suavis sit Dominus.

*Aures et nares saliva liniuntur*, ut qui fit christianus, doctrinam Christi audiat et odorem pietatis christianae percipiat.

2. Baptismum comitantur: *sponsio Baptismi* (Taufgelübde), nempe *abrenuntiatio Satanae* et *professio fidei*. Qui namque in Baptismo transfertur a servitute diaboli in gratiam filiorum Dei, convenienter debet renuntiare diabolo, simul atque totum se addicere Christo Domino, imprimis per fidem veram, catholicam. Sponsio haec non est votum sensu proprio et stricto, sed religiosa et publica declaratio, contempto vexillo Satanae fideliter sequendi vexillum Christi. Expediit, hanc sponsionem saepius renovare, praesertim ante primam Communionem, ante Confirmationem, die anniversario Baptismi suscepti, et denique morte imminente.

Post illam sponsionem bello veluti daemonibus indicto et sequela fideli Christo Domino adpromissa, baptizandus congrue ungitur, quasi luctamen contra hostium impetus jamjam ingres-

<sup>1)</sup> 3. q. 71 a. 2. Ad exorcismum baptizandi et insufflationes saepe provocat s. Augustinus, ut ex usu et traditione Ecclesiae comprobet ori-

ginale peccatum, e. g. Lib. I. de peccat. merit. et remiss. c. 34, Lib. VI. contra Julian. cap. 2; item s. Leo M. epist. 81, Innocentius I. epist. 1.

surus, *ungitur oleo catechumenorum*, primum *in pectore*, quatenus per gratiam Baptismi roboratur ad fidem Christi in corde firmiter tenendam, dein *inter scapulas*, quatenus corroboratur ad jugum legis Christi constanter ferendum.

3. Baptismum subsequuntur: *Unctio baptizati chrismate* in vertice, qua significatur, illum ab eo die Christo atque ejus Ecclesiae insitum, eaque re christianum a Christo appellari, porro eum quodammodo regalis sacerdotii Christi participem esse factum, videlicet ad imperandum passionibus suis et ad semetipsum Deo spiritualiter immolandum.

Induitur *veste candida*, tum in symbolum innocentiae per Baptismum restitutae, quam jubetur immaculatam perferre usque ad mortem, tum in signum futurae resurrectionis et gloriae, ad cuius spem baptizatus renascitur.

Datur ei *candela accensa*, qua significatur, illum translatum esse a potestate tenebrarum in lucem et sortem Sanctorum, fidem et gratiam accepisse servandam et augendam exercitio bonorum operum, juxta monitum Christi Matth. 5, 16: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona etc.*

Denique minister ait: *Vade in pace, et Dominus sit tecum.* Haec est pax filiorum Dei, exsuperans omnem sensum (Philipp. 4, 7), in qua minister baptizatum vult ambulare, Domino ipsum jugiter adjuvante.

\* S. Cyrillus Hierosolymit.: Catechesis 19 et 20. (Mystagogica 1 et 2.) S. Joannes Chrysost.: Catecheses duae ad Illuminandos. (Op. Tom. II.) S. Ambrosius: De mysteriis cap. 1—7. Auctor ignotus operis: De Sacramentis Lib. I. et Lib. II. cap. 1. S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 66 a. 10. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 6 P. 2 a. 3 q. 2. — Amalarius: Lib. I. de officiis ecclesiasticis. Bellarmin: De Sacr. Baptismi Lib. I. cap. 24—27. Praeprimis *Catechismus Romanus* P. II cap. 2 qq. 59—73.

3. — B. *Necessitas Baptismi caeremonias servandi et supplendi.* Caeremonias in parte notabili omittere seclusa necessitate, est peccatum mortale, ut e. g. si baptizetur per aquam non benedictam, vel sine unctione chrismatis vel olei catechumenorum. Item si unctio fiat cum chrismate vel oleo alterius anni, si recens haberi possit. Attamen ex declaratione S. R. C. (2773) 23. Sept. 1837 ad 4 non debet omitti chrismatis et olei unctio, eo quod chrisma et oleum recenter consecratum nondum haberi potuit, nec eorum defectus est causa differendi Baptismum, licet ad breve tempus.



Imo in tali defectu etiam benedictio fontis baptismalis fieri debet cum chrismate et oleo praecedentis anni, non autem differri.

4. — Si in casu necessitatis Baptismus privatim (sine solemnitate), valide tamen collatus est, caeremoniae tantum suppleri debent in ecclesia; quia quamvis baptizatus jam recepit effectus Sacramenti, caeremoniae tamen et preces valent ad uberiolem gratiae effectum tota vita percipiendum, et auxilia conferunt opportuna contra daemonum infestationes.<sup>1)</sup>

Si non certo constat, Baptismum fuisse valide collatum, non tantum caeremoniae omnes sunt perficiendae, sed etiam Baptismus ipse sub conditione repetendus.<sup>2)</sup>

Quando sacerdos baptizaturus infantem animadvertit periculum, ne moriatur ille, antequam Baptismus cum caeremoniis compleatur: tunc statim illum, aliis omissis, baptizare debet. Si infans supervivat, eum debet in vertice ungere chrismate, imponere vestem albam et candelam accensam praebere. Quibus peractis, si infans adhuc vivat, supplendae sunt caeremoniae, quae Baptismum praecedunt.<sup>3)</sup>

5. — Denique circa *solemnitates Baptismi natorum ex civili contubernio* praestat referre Responsum, quod S. Conc. Congr. dedit. Videlicet ad quaesitum: An in parochia, ubi filii legitimi baptizari solent *cum populi concursu, pulsando campanas et organum*, filii vero spurii sine hoc apparatu, adhibitis tamen in loco sacro caeremoniis a Rituali praescriptis, liceat cum illa solemnitate baptizare filios natos a civili tantum matrimonio conjunctis, qui renuunt jungi ab Ecclesia? S. C. C. die 31. Julii 1867 respondit: Filios e civili contubernio (in locis, ubi Tridentinum Decretum *Tametsi* viget) progenitos, illegitimos reputari et esse: quare parochum in eorum baptismate ita se gerere debere, prout juxta locorum consuetudinem se gerunt erga filios spurios; quia hac agendi ratione neglecta facile irrepere in populo posset opinio, nullam prope adesse differentiam inter civile contubernium et matrimonii Sacramentum, et quia extrinseca illa solemnitas, qua aeris campanae et organi sonitu populus

<sup>1)</sup> Casu, quo aliquis adultus ab haereticis in infantia baptizatus ad fidem catholicam revertitur, plurimis in locis (ut jam Laymann observat), praesertim in Germania et Austria non solent Baptismi caeremoniae suppleri.

<sup>2)</sup> Etiam in tali casu pro Anglia data est facultas conferendi Baptismum sine caeremoniis, quod pro America Episcopis anno 1866 petentibus negatum est. Ita Lehmkuhl Vol. II n. 69. Rituale Vindobonense, appro-

batur a S. R. Congr., cap. 4 (Ritus ex Haer. vel Schism. revertentes in sinum Ecclesiae Cath. recipiendi) n. 15 edicit: „Si juxta supradicta Conversus sub conditione sit baptizandus, sequitur Baptismus conditionatus sub *brevi formula*: Si non es baptizatus, ego te baptizo etc. non quidem publice, at tamen in loco aliquo sacro e. g. Sacristia. Linzer theol.-pract. Quartalschrift 1893 H. I S. 134.

<sup>3)</sup> De Herdt: Sac. Liturg. Praxis Tom III n. 162.

advocatur ad infantium Baptisma, etiam in parentum honorem aliquatenus cedit, quo indigni prorsus reputantur illi parentes, qui publice in peccato vivunt et ceteris fidelibus gravissimum scandalum praebent.<sup>1)</sup>

§. 77.

**Admonitio s. Augustini ad baptizatos.**

„Populus Israël sub Pharaonis et Aegyptiorum dominatione (fuit): populus christianus ante fidem praedestinatus jam Deo, et adhuc serviens daemonibus et diabolo principi eorum: ecce populus subjugatus Aegyptiis, serviens peccatis suis. Non enim nisi per peccata nostra potest diabolus dominari. Liberatur populus ab Aegyptiis per Moysen: liberatur populus a praeterita vita peccatorum per Dominum nostrum Jesum Christum. Transit populus ille per mare rubrum: iste per Baptismum. Moriuntur in mari rubro omnes inimici populi illius: moriuntur in Baptismo omnia peccata nostra.<sup>2)</sup> Intendite fratres: Post mare illud rubrum non continuo patria datur, nec tamquam jam hostes desint, secure triumphatur; sed restat eremi solitudo, restant hostes insidiantes in via: sic et post Baptismum restat vita christiana in tentationibus. In illa eremo suspirabatur patriae promissae: quid aliud christiani suspirant jam abluti Baptismo? Numquid jam regnant cum Christo? Nondum ventum est ad terram promissionis nostram.<sup>3)</sup>

„Cogitate vitae hujus eremum permeare, et ad terram promissionis, supernam Jerusalem, terram viventium pervenire: ne verbi Dei contemptu, tamquam mannae fastidio, corda vestra velut ora interiora desipiant; ne cibos concupiscentes Aegyptios de alimentis coelestibus murmuretis: ne fornicemini, sicut quidam illorum fornicati sunt; et ne tentetis Christum, sicut quidam illorum tentaverunt. . . Si tentatio serpentina momorderit, conspecta illius exaltatione serpentis tamquam mortis in carne Domini victae et triumphatae, eodem crucis medicamento sanetur. Si adversarius Amalechita iter intercludere atque impedire conabitur, perseverantissima extensione brachiorum ejusdem crucis indicio superetur. Veri et germani estote christiani: nolite imitari nomine christianos, opere vacuos.“<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Vid. Acta S. Sedis Tom. III pag. 243—245.

<sup>2)</sup> Nempe peccatum originale, et quodcunque actuale ante baptismum forte commissum.

<sup>3)</sup> Enarr. in Psalm. 72 n. 5.

<sup>4)</sup> Serm. 353 (al. 20 inter 50 Homilias) n. 2.

## CAPUT II.

## De Sacramento Confirmationis.

## §. 78.

**I n g r e s s i o.**

Vita spiritualis, quam accepimus in Baptismo, augetur et perficitur per Confirmationem. Adscripti sumus familiae Christi, modo militiae Christi adscribimur. Accepimus Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba (Pater), ut simus imitatores Dei, sicut filii carissimi;<sup>1)</sup> nunc nobis datur Spiritus Sanctus ad robur, ut simus boni milites Christi,<sup>2)</sup> contra hostes spirituales legitime certantes.

Ratione instituti nostri practici paucis tamquam veritates praevis in memoriam revocandas perstringemus notionem, veritatem et effectus Confirmationis, explicatius autem loquemur de administratione et susceptione hujus Sacramenti, respectu habito ad ejusdem materiam, formam, ministrum et subjectum, ad locum et tempus illud administrandi, ad patrilios et caeremonias, quibus administratur.

## A. Veritates praenotandae.

## §. 79.

**Notio et veritas Sacramenti Confirmationis.**

1. — Sacramentum hoc a ss. Patribus variis nominibus appellatur; a materia remota: *Sacramentum chrismatis, chrisma salutis*; a proxima materia: *impositio manus, etiam sigillum Domini, signaculum Dominicum, spirituale*, ex eo, quod qui confirmatur, cruce signatur. A primario ejusdem effectu, qui est spiritualis roboratio, nunc in Ecclesia *Confirmatio* appellatur. Definiri potest *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatis per manuum impositionem et chrismatis unctionem sub certis verbis sacris datur Spiritus Sanctus ad fidem verbis operibusque fortiter confitendam.*

2. — **Doctrina fidei.** Confirmationem esse verum et proprium Sacramentum, definivit Concil. Florent. in Decreto pro Armenis,

<sup>1)</sup> Rom. 8, 15. Ephes. 5, 1.

<sup>2)</sup> Eugenius IV. in Decr. pro Armenis. Cf. 2 Tim. 2, 3.

item Conc. Trid. Sess. 7. can. 1 de Confirm. his verbis: „*Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, anathema sit.*“ Haec porro semper fuit universalis Ecclesiae doctrina, in s. scriptura Act. 8, 17 quoque contenta; et inveniuntur tria essentialiter requisita ad omne Sacramentum, nempe 1) *signum visibile*, in manuum impositione et unctione cum verbis eam comitantibus, 2) *gratiae collatio*, expressa Act. 8, 17, ubi dicitur, quod Petrus et Joannes imponebant manus super baptizatos, *et accipiebant Spiritum Sanctum*; et 3) *divina institutio*, eo ipso, quod Apostoli per signum visibile conferebant Spiritum Sanctum, id quod non poterant propria auctoritate, si Deus quidem solus ritui externo vim gratiae conferendae tribuere valet.

Quo tempore Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit, certo dici nequit. Alii putant, in Coena Domini post Eucharistiae institutionem; quam ob rem ex antiqua traditione observatur, ut feria V. in Coena Domini chrisma ab episcopis consecratur. Alii existimant, post resurrectionem, cum Christus se vivum praebuerit Apostolis, apparens eis et *loquens de regno Dei*. Act. 1, 3. Prior sententia, cui etiam s. Alphonsus <sup>1)</sup> favet, praeferenda videtur ob vim traditionis.

Qui hanc tradunt sententiam, innituntur cuidam epistolae s. Fabiani Pontificis et Martyris ad Orientales episcopos, in qua ait, antecessores suos ab Apostolis accepisse, quod in ultima Coena Christus docuerit Apostolos ritum conficiendi chrisma. Ad hanc epistolam etiam Catechismus Romanus P. II cap. 3 q. 6 provocat. Praeterea non levis momenti esse videtur, quod in Officio festi s. Fabiani die 20. Jan. Lect. IV refertur, eum statuisset, ut quotannis *Feria V. in Coena Domini*, vetere combusto, *chrisma renovaretur*; quod porro ex Ecclesiae praescripto chrisma infra Missam *post Communionem* ab episcopo consecrari, et *duodecim sacerdotes* parati assistere debent: quae omnia alioquin singularia facile et optime explicari possunt ex sententia proposita, veluti quaedam imitatio eorum, quae a Christo Domino ipso facta narrantur. <sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 161.

<sup>2)</sup> Si quid fidei tribui possit revelationibus Annae Catharinae Emmerich, de quibus judicare Sedis Apostolicae est, memoratu non indignum est, quod haec virgo stigmatibus decorata, quae die 9. Febr. 1824 cum fama sanctitatis obiit, contemplationi defixa vidit Dominum post

s. Eucharistiae institutionem Apostolos suos docentem, quo modo chrisma et s. olea conficerent et in usum sacrum adhiberent. Ita legitur in op. *Das bittere Leiden unseres Herrn Jesu Christi. Nach den Betrachtungen der gottsel. Anna Catharina Emmerich, Augustinerin des Klosters Agnetenberg zu Dülmen*. S. 33. München 1864.

## §. 80.

**Effectus Confirmationis.**

Duplex est hujus Sacramenti effectus. *Unus*, quod imprimit animae characterem, unde in eadem persona iterari nequit. Per hunc characterem sacramentalem baptizatus consignatur ut miles Christi, et accipit potestatem ad agenda ea, quae sunt militis Christi, nempe ad publice protestandam et propugnandam fidem Christi contra hostes fidei, *quasi ex officio*.<sup>1)</sup>

*Alter* effectus est, quod datur Spiritus Sanctus, a quo *auge- mur in gratia et roboramur in fide*, ut docet Eugenius IV. in Decreto pro Armenis;<sup>2)</sup> porro peculiari et excellentiori modo accipimus septem dona, et gratias actuales obtinemus suo tempore, quo nimirum necesse est, ut fidem verbis et operibus intrepide profiteamur, tentationes contra fidem fortiter vincamus, atque adversa quaecunque pro fide strenue sustineamus. Aptè s. Petrus Damiani observat: „*In baptisate Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam; ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus praemunimur.*“<sup>3)</sup>

Etiam s. Eucharistia confirmat, unde illud Ps. 103, 15: „*Panis cor hominis confirmat;*“ sed juxta explicationem, quam s. Bonaventura<sup>4)</sup> profert, „*Confirmatio est ad roborationem fidei, Eucharistia caritatis.*“

\* S. T h o m a s: Summa Theol. 3. q. 72 a. 5, 6 et 7.

## B. De administratione et susceptione Sacramenti Confirmationis.

## §. 81.

**De materia et forma hujus Sacramenti.**

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Materia remota Confirmationis est chrisma ex oleo et balsamo confectum atque ab episcopo benedictum. Ita*

1) S. T h o m. 3. q. 72 a. 5.

2) Praeclare d. T h o m a s id ostendit: „*In hoc Sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes Missio autem seu datio Spiritus Sancti non est nisi cum gratia sanctificante.*“

Unde manifestum est, quod gratia gratum faciens confertur in hoc Sacramento.“  
3. q. 72 a. 7 c.

3) Serm. 69.

4) In IV Sent. Dist. 7 a. 2 q. 2. Dub. 2.

Eugenius IV. in Decreto pro Armenis et Conc. Trid. Sess. 7. can. 2 de Conf. — Observandum est:

1. *Oleum* debet esse olivarum, ut valeat Sacramentum; quia hoc proprie oleum dicitur.

2. *Balsamum* juxta sententiam communiorem et veriorem est de necessitate Sacramenti, quia in Decreto Eugenii IV. absolute dicitur, Confirmationis materiam esse chrisma confectum *ex oleo et balsamo*. Sufficit autem balsamum cujusvis regionis, et in ea quantitate, quae satis est, ut odorem sui dare queat, quin necesse sit, ut omnibus olei partibus commisceatur.<sup>1)</sup>

3. Chrisma debet necessario ad Sacramenti validitatem esse *benedictum*; sic constans fert Ecclesiae traditio et Decretum Eugenii IV confirmat. An vero necessario *ab episcopo* benedictum esse debet? Communius affirmant ex eodem Decreto. At vero vix dubitandi ratio subesse videtur, quod Summus Pontifex, qui suprema sua auctoritate potest simplici sacerdoti facultatem communicare conficiendi Sacramentum Confirmationis, de se ceteroquin adnexam Ordini episcopali, eo magis poterit facultatem eidem largiri praeparandi ejusdem Sacramenti materiam.<sup>2)</sup>

Chrisma ex praecepto gravi Ecclesiae feria V. in Coena Domini consecrandum est; et sub gravi prohibitum est uti chrismate anni elapsi, in qua re solus Pontifex dispensat, ut Benedictus XIV. Const. *Cum ab anno*, 1741 docet.

2. — *Congrue chrisma constituit Confirmationis materiam*. Etenim a) *oleum*, quod pingue est et natura sua manet ac diffluit, gratiae plenitudinem exprimit, quae per Spiritum Sanctum a Christo capite in confirmatos redundat atque effunditur.<sup>3)</sup> Praeterea oleum est nitidum, fovet lumen, vires roborat; quibus proprietatibus significatur, quod gratia Confirmationis nitidam seu speciosam facit animam, lumen fidei fovet, et animam roborat ad fidem fortiter confitendam. b) *Balsamum* oleo admixtum, quod putredinem impedit et odoriferum est, designat fideles per dona Spiritus Sancti, quae in Confirmatione tribuuntur, a scelerum contagione

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 162.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. VII. cap. 8 n. 1, qui tamen subjungit, in praxi non aliter consuevisse a Summis Pontificibus simplices

sacerdotes insigniri potestate administrandi Sacramentum Confirmationis, nisi sub expressa conditione, adhibendi chrisma ab episcopo consecratum.

<sup>3)</sup> Ita *Catech. Rom.* P. II cap. 3 q. 8.

facile custodiri et virtutum odorem in alios diffundere posse, juxta verba Apostoli: „*Christi bonus odor sumus*“ 2 Cor. 2, 15.

3. — **Principium II.** *Materia proxima Confirmationis est unctio confirmandi per chrisma et eam comitans manus impositio.* Est doctrina certa, quam ex ss. Patrum testimoniis, Summorum Pontificum Decretis et Theologorum probatissimorum sententia non minus solide, quam fuse ostendit s. Alphonsus.<sup>1)</sup>

Porro ad valorem Sacramenti requiritur: 1. ut unctio fiat *in fronte*, ex Eugenii IV. Decreto saepius adducto, — 2. ut unctio fiat *in forma crucis*, ex communi sententia, quia secus verba formae (signo te signo crucis) non verificarentur; — 3. ut unctio fiat *per manum* episcopi confirmantis, nullo instrumento adhibito; alioquin deesset manus impositio.

Ideo inungitur confirmandus *in fronte*, quia nec propter verecundiam neque per formidinem, quae maxime in fronte manifestantur, a fidei professione desistere debet. Ungitur *in forma crucis*, quia adscribitur militiae Christi, cujus vexillum est crux, ne erubescat vel formidet se manifestare christianum.<sup>2)</sup>

4. — **Principium III.** Forma Sacramenti Confirmationis consistit in verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sic definivit Conc. Flor. seu Eugenius IV. in Decreto notissimo. Quae omnia verba sunt de necessitate Sacramenti; videlicet: 1. *signo te signo crucis*, quibus indicatur, quod christianus fit miles Christi, „ferens regis sui signum et triumphale vexillum, cum quo paratus sit penetrare hostium cuneos securus“;<sup>3)</sup> porro 2. *confirmo te chrismate salutis*, quibus significatur robur spirituale, quod homini confertur ad pugnam contra hostes spirituales pro animae salute; 3. in nomine *Patris* etc., quibus exprimitur causa conferens plenitudinem roboris spiritualis.

\* S. Thomas: Summa Theolog. 3. q. 72 a. 2, 3, 4 et 9. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 162—168.

## §. 82.

### De ministro Confirmationis.

1. — Minister *ordinarius* Confirmationis est solus episcopus, ex doctrina fidei, definita in Conc. Trid. Sess. 7. can. 3. Ex com-

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 164.

<sup>3)</sup> S. Bonaventura: Breviloq.

<sup>2)</sup> Cf. s. Bonaventura: Breviloq. P. VI cap. 8 in fine.  
P. VI cap. 8. S. Thom. 3. q. 72 a. 9.

missione Summi Pontificis etiam simplex sacerdos tamquam minister *extraordinarius* potest valide hoc Sacramentum conferre, chrismate per episcopum benedicto; quod innuitur in Decreto pro Armenis, supponitur a Conc. Trid. l. c., et aperte constat ex Bulla Benedicti XIV. *Eo quamvis tempore*, et ex praxi Ecclesiae, praesertim graecae, in qua, ut dicit laudatus Pontifex,<sup>1)</sup> chrismatio data a sacerdotibus graecis in iis locis, ubi non est a Sede Apostolica expresse improbata, sit pro valida habenda ob tacitum privilegium a Sede Apostolica illis concessum, quod ex conniventia Romanorum Pontificum praesumitur.

\* In Appendice ad Rituale Rom. habetur *Instructio pro simplici sacerdote Sacramentum Confirmationis ex S. Sedis Apostolicae delegatione administrandae*.

2. -- Episcopus, si *in aliena dioecesi* confirmat, licet subditos suos, sine consensu Ordinarii loci saltem tacito, graviter peccat et ipso jure suspensionem a pontificalibus incurrit, ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 5 de Ref. Potest autem *alienos subditos in sua dioecesi* confirmare, quia semper praesumitur, nisi aliter constet, tacitus consensus aliorum episcoporum, tum ob consuetudinem communiter receptam, tum ex eo, quod episcopis alienis nullum incommodum, ovibus autem suis magnum lucrum spirituale exinde provenit. Eo magis licite poterit episcopus alicui nondum confirmato ministrare hoc Sacramentum, qui venit a suo Ordinario cum literis testimonialibus vel dimissorialibus, ut ipsi conferatur Tonsura.<sup>2)</sup>

3. — *Episcopus diligentiam adhibere debet, ut fideles sibi commissi Sacramentum Confirmationis percipiant*. Graviter peccat, si absque impossibilitate morali (e. g. ob senium vel infirmitatem) diu differat hoc Sacramentum ministrare v. g. ad octo vel decem annos, per loca praecipua dioeceseos, quia subditos ingenti bono spirituali privat.<sup>3)</sup>

Non autem tenetur episcopus, saltem ex justitia, et sub gravi *moribundis* petentibus ministrare hoc Sacramentum; quia cum non sit absolute necessarium ad aeternam salutem, excusat gravis incommoditas, quae adesset pro episcopo, adeundi aegrotos in propriis domiciliis decumbentes. Id etiam praxi communi confirmatur.<sup>4)</sup> Eo minus episcopus obstringitur ad illud ministrandum peste labo-

<sup>1)</sup> De Synodo Dioec. Lib. VII. cap. 9, praesertim n. 3.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 171—173.

<sup>3)</sup> Idem n. 175.

<sup>4)</sup> Idem n. 175.



rantibus, qui hoc spirituali praesidio fovendi exposcunt. Si s. *Carolus Borromaeus*, grassante peste, eaque correptos in publicis nosocomiis non dubitavit sacro chrismate inungere, id heroicae caritatis illustre est argumentum.<sup>1)</sup>

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 72 a. 9. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 170—173, 175.

### §. 83.

#### De subjecto Confirmationis, et obligatione eam suscipiendi.

1. — I. Sacramentum Confirmationis *valide* suscipere possunt omnes et soli baptizati, nondum confirmati. Et quidem 1. *soli baptizati*, quia nemo potest promoveri in aetatem perfectam, quod fit per Confirmationem, si primo non fuerit spiritualiter natus per Baptismum. 2. *Omnes baptizati*, quia Confirmatio perficit vitam spiritualem, atqui ad omnem aetatem pertinet sicut spiritualis nativitas, ita etiam perfectio spiritualis aetatis. Hinc a) valide confirmantur *moribundi*, ut in *resurrectione perfecti appareant*,<sup>2)</sup> vel etiam ut tentationes contra fidem, quae forte a daemone suggeruntur, animose devincant.<sup>3)</sup> Item b) valide confirmantur *infantes et parvuli nondum rationis usum habentes*, quibus olim immediate post Baptismum conferebatur hoc Sacramentum; quia corporalis aetas non praejudicat animae, ideoque sicuti potest senex spiritualem nativitatem consequi per Baptismum, ita puer vel infans potest per Confirmationem consequi perfectam aetatem spiritualem, de qua Sap. 4, 8 dicitur: „*Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata.*“ Ita Angelicus Doctor. Sed juxta praesentem Ecclesiae disciplinam licite non datur hoc Sacramentum parvulis, qui septennium non compleverunt et rationis usum non adepti sunt, nisi id ferat legitima locorum consuetudo, ut apud Graecos et in Hispania (ubi infantes in aetate duorum vel trium annorum confirmantur), — vel in aliquo casu extraordinario et justa causa urgente<sup>4)</sup> e. g. si in posterum non sit

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. XIII. cap. 19 n. 5 et 6.

<sup>2)</sup> Ita d. Thom. 3. q. 72 a. 8 ad 4.

<sup>3)</sup> Scitissime s. Alphonsus: Praxis confessarii cap. 11 n. 238 observat: „Ab hac terribili tentatione

(contra fidem) praesertim agitantur illi (graviter aegrotantes), qui cum perditam egerint vitam, sibi suoque iudicio nimis adhaeserunt; praecipue si viri eruditi fuerint.“

<sup>4)</sup> „*Confirmandos septennium absolvisse ac rationis usum attigisse oportet,*

futurus facilis accessus ad episcopum, vel si parvuli sint in periculo mortis constituti,<sup>1)</sup> quibus valde salutare est hoc Sacramentum, quia obtinent majorem gratiam et jus ad auxilia divina, quibus suo tempore roborentur ad sustinendam pugnam pro casu, quo ex morbo convalescant, vel si decedant, majorem gloriam consequuntur.<sup>2)</sup>

Concilium Prov. Vienn. a. 1858 Tit. III cap. 3 praescribit: „*Ubi frequentior adest Sacramenti suscipiendi occasio, agendum est, ut pueri puellaeque, antequam primam Communionem susceperint, ad Spiritum Sanctum accipiendum absque rationabili causa non accedant; vicissim ultra decimum quartum aetatis annum Confirmatio non differatur.*“ — Si Leo Papa XIII. in epistola d. 22. Jun. 1897 ad Episc. Massilien. edixerat: „non convenire, pueris sacramentum Confirmationis differre usque ad primam eorum communionem“, explicatur ex eo quod Galli primam communionem differre solent usque ad completum 12. annum et ultra.

3. *Nondum confirmati*, non alii, valide confirmantur, quia Confirmatio ob characterem indelebilem, quem animae imprimit, nulla unquam ratione iterari potest. Dubitans, an sit confirmatus, potest sub conditione confirmari; sed requiritur majus dubium, quam pro Baptismo.

2. — II. Ut *licite* fideles suscipiant Sacramentum Confirmationis, praeter aetatem adultam (saltem regulariter, ut dictum est), ulterius in iis requiritur:

1. *Cognitio rudimentorum fidei*, praesertim eorum quae sunt de necessitate medii et praecepti, et quae spectant ad hoc Sacramentum suscipiendum. Benedictus XIV. in Const. *Etsi* prohibet accedere ad Confirmationem eos, qui parum sunt instructi in doctrina christiana. Sed licite confirmantur *perpetuo amentes*, quibus Sacramentum prodest ad majorem in coelo gloriam.

2. *Status gratiae*, quia Confirmatio est Sacramentum vivorum. Hinc Pontificale Romanum: *Adulti debent prius peccata confiteri et postea confirmari; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.* Indignis confertur quidem character, sed non gratia.

Conveniens est (juxta monitum s. Caroli Borrom. P. IV. Act. Eccl. Mediol.), ut fideles Spiritum Sanctum proxime accepturi ar-

*nisi in particulari quodam casu Antistiti dioecetano aliter visum fuerit*“, generatim dicit nostrum *Conc. Provinc. a. 1858 Tit. III cap. 3.*

1) Sic Ven. Serv. D. Caspar del Bufalo († 1838), quum esset infans vix 19 mensium, in morbo

periculoso Romae confirmatus est. S. Leben etc., von Rütjes, 1861. S. 1.

2) Vid. s. Thomas: 3. q. 72 a. 8 ad 4. Praeprimis Benedictus XIV., qui fuse hanc rem pertractat in op. *De Syn. Dioec.* Lib. VII. cap. 10. S. Alphonsus: Lib. VI. n. 178.

*dentiori orationis studio sese exercent exemplo Apostolorum. Praeterea in Pontificali dicitur: Confirmandi deberent esse jejuni, attamen attenta consuetudine nec non necessitate conferendi hoc Sacramentum post meridiem ob multitudinem fidelium, qui confirmari appetunt, obligatio jejunandi non existit.*<sup>1)</sup>

Concilium Prov. Vienn. Tit. III cap. 3 haec habet: „*Ante Pentecosten nec non appropinquante visitatione canonica parochi ipsi vel per sacerdotes adiutores erudiant confirmandos in omnibus, quae ad tanti Sacramenti vim et dignitatem intelligendam faciunt, eosque moneant, ut peccata confiteantur et, nisi forsitan ad sacram Synaxin nondum admissi, corpore Domini reficiantur* Ad Confirmationem *si solum admittantur, qui testimonium de condigna praeparatione peracta scripto exhibeant. Litterae testimoniales Sacramento collato parochis remittantur, ut parochianos, qui Spiritus Sancti dona acceperint, in confirmatorum librum referre possint.*“

3. — Fideles *sub gravi peccato* tenentur Sacramentum Confirmationis data occasione et opportunitate suscipere. Ad rem Catechismus Rom. (P. II. c. 3 q. 15): „*Quamquam vero necessarium (necessitate medii) non est, a nemine tamen praetermitti debet* Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.“ Expresse gravem obligationem declaravit Benedictus XIV. in Const. *Etsi pastoralis*, dicens: „*Monendi sunt (qui non sunt confirmati) ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.*“<sup>2)</sup> Terrere summopere debet Novati exemplum, qui ut refert Eusebius,<sup>3)</sup> suscepto Baptismo, dum infirma valetudine teneretur, postea in sanitatem restitutus confirmari neglexit: ob quam causam, ut asserit Cornelius Pontifex, persecutionis tempore metu debilitatus fidem turpiter deseruit, et societatem cum schismaticis inivit.<sup>4)</sup>

## §. 84.

### Locus et tempus Confirmationis ministrandae, patrini.

1. — I. Valde quidem conveniens est, ut Confirmatio conferatur *in ecclesia* vel saltem *in Oratorio* ob Sacramenti reveren-

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 184, Notand. IV.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 181 et 182. — Alii verba Benedicti XIV explicare volunt de solis Italo-Graecis qui renuerent ad confirmationem denuo accedere, quasi haberent validam primam, contra iussa S. Sedis. a

simplici presbytero collatam; inde gravem obligationem pro omnibus non deducunt. Cf. Génicot, Lehmkühl, Noldin, Göpfert.

<sup>3)</sup> Hist. Lib. VI. cap. 35.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV. Inst. 6.

tiam; attamen ex causa rationabili e. g. ob magnum confluxum confirmandorum etiam extra ecclesiam in loco quovis decenti ministrari potest.

2. — Nihil impedit, quominus *die quocunque*, festivo vel feriali, tempore aut matutino aut vespertino Confirmatio dispensetur.<sup>1)</sup> Laudabilis est consuetudo episcoporum, ut Pentecoste praecipue hoc Sacramentum administretur, quia in eo festo data est prima Confirmatio a Deo sanctis Apostolis.

3. — II. Designatio *patrini*, qui confirmandum offerat episcopo, fieri debet a parentibus, quando confirmandus est parvulus. Patrinus sub gravi requiritur, quia fidelis, quum in spirituale certamen descendere debet, duce ac monitore indiget.<sup>2)</sup> Debet esse 1. unus, 2. jam ipse confirmatus, 3. ejusdem sexus, cujus est confirmandus, 4. diversus a patrino Baptismi, saltem extra necessitatem. Ita partim ex Pontif. Rom., partim ex jure can.

Nec pater aut mater, maritus aut uxor potest esse patrinus, ex Pont. Rom. Neque religiosus aut monialis, nisi persona confirmanda sit pariter regularis, ex jure can. Sacerdotes et Clerici hoc munere licite fungi possunt.<sup>3)</sup>

Praeterea in Pontificali prohibentur manifeste excommunicati, interdicti, vel gravioribus facinoribus alligati, aut fidei christianae rudimentis non edocti se ingerere ad tenendum infantem. Tunc tantum si ex rejectione alicujus *notorie censurati* gravia damna imminere videantur, episcopus vel parochus tolerare potest, ut officium patrini in Confirmatione sustineat, ex Resp. S. Poenitentariae 10. Dec. 1860 ad 19.

## §. 85.

### Caeremoniae Sacramenti Confirmationis.

1. — Verissime Doctor Angelicus ait: „*Firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiae dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet, ritus quos Ecclesia observat in hoc et in aliis Sacramentis, esse convenientes.*“<sup>4)</sup> Breviter modo rituum seu caeremoniarum, quibus Ecclesia in Confirmatione „secundum

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 174.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 187. Scavini: Tom. III. n. 98.

<sup>2)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 3. q. 14.

<sup>4)</sup> Summa Theol. 3. q. 72 a. 12 c.

sapientiam Christi“ utitur, significationem et necessitatem considerare volumus.

2. — A. *Significatio caeremoniarum*. Hæ omnes confessionem fidei et pugnam spiritualem contra hostes fidei pulcherrime designant. Nam

1. Patrinus, jam ipse militiae christianae adscriptus (debet enim esse confirmatus, ut supra dictum est), exhibet episcopo tamquam duci exercitus confirmandum, ut et hic militiae Christi adscribatur et cooptetur. *Tenet* eum, ut significetur quod ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, adhuc spiritualiter imbecillis est, ideoque ab ipso in pugna spirituali erudiri et sustentari debet.<sup>1)</sup>

2. *Signaculum crucis in fronte* significare intrepidam fidei confessionem et militiam Christi, jam §. 81 n. 3 explicatum est.

3. *Caeremonia alapae* ex ritu, quo creari solebant equites, innuit admissionem confirmati in militiam Christi, significat quoque, confirmatum tamquam fortem athletam debere paratum esse ad ignominiam et adversitatem quamcunque pro fide Christi viriliter perferendam. In Baptismo infantibus quasi modo genitis datur gustus salis, in Confirmatione roboratis infligitur alapa. Discat miles Christi pugnare non feriendo, sed patiendo; sic pugnavit et vicit Christus, Rex et Dux noster. *Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio* Ps. 23, 8.

4. Confirmato *pax* datur, quae est effectus gratiae acceptae, effectus simul pugnae intrepidae et constantis, exsuperans omnem sensum jam his in terris.

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 72 a. 12. In IV Lib. Sent. Dist. 7 q. 3 a. 3 q. 2 ad 3. — Bellarmin: De Sacram. Confirm. Lib. II. cap. 13. Suarez: De Sacr. Disp. 37 Sect. 1 et 2.

3. — B. *Necessitas caeremoniarum*. Prima extensio manuum, quae fit ab episcopo versus omnes confirmandos, si praetermissa fuerit, non est repetenda Confirmatio sub conditione; ut declaravit S. C. de Prop. Fide 6. Augusti 1840.

In Rubrica Pontificalis dicitur: *Adulti seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui*; sed S. R. C. (2404) 20. Sept. 1749 ad 6 declaravit, sufficere si patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. Et sic est apud nos usus.

<sup>1)</sup> Ita s. Thomas 3. q. 72 a. 10 c, et ad 2.

Juxta Pontificale episcopus, dum frontem chrismate ungit, dicere debet: *Signo te signo crucis etc.* signum super frontem ipsam pollice producens; quo facto manu extensa versus confirmatum incipit: *In nomine Patris etc.* ter signum crucis efformans more solito. S. R. C. (3012) 7. Maji 1853 ad 2. Confirmandis tempore Confirmationis, quando episcopus dicit: *N. Signo te etc.*, praeter nomen baptismale imponi potest nomen alius Sancti. S. R. C. (2404) 20. Sept. 1749 ad 7.

Unctio fieri debet *pollice dextero*; si vero episcopus infirmum habet pollicem manus dexteræ, licite poterit unctiones peragere alio digito, etiam pollice manus sinistrae.<sup>1)</sup>

Omissio alapæ secluso scandalo numquam est mortalis.<sup>2)</sup>

Communis benedictio, quæ ab episcopo datur confirmatis omnibus in fine, non est pars Sacramenti, sed simplex caeremonia et ex rationabili causa, e. g. si magnus sit populi concursus, sine peccato omitti potest.<sup>3)</sup>

## §. 86.

### Epilogus.

*Ex s. Cyrilli Hierosolym. Catechesi XXI. Mystagogica III.*

„Quemadmodum Christus vere crucifixus est et sepultus, et resurrexit; vobis autem in baptismate per quamdam similitudinem una cum ipso crucifigi et sepeliri et resurgere divina dignatione conceditur: ita et de chrismate contingit. Ille intelligibili (i. e. spiritali) exsultationis oleo perunctus est (Ps. 44, 8), id est Spiritu Sancto, qui exsultationis oleum idcirco appellatur, quod ipse spiritalis exsultationis auctor existit; vos vero unguento uncti estis, Christi participes et consortes effecti.

Ceterum vide, ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiae post invocationem Spiritus Sancti non est communis panis, sed corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis ejus, efficiens factum.. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto ac vivifico Spiritu anima sanctificatur Sicut Christus post

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 165.

<sup>2)</sup> Idem n. 184.

<sup>3)</sup> Idem n. 188. Benedictus XIV. De Syn. Lib. XIII. cap. 19 n. 14.

Baptismum et sancti Spiritus in se adventum, egressus debellavit adversarium: ita et vos post sacrum baptisma et mysticum unguentum (= Confirmationem), induti totam sancti Spiritus armaturam adversus oppositam potestatem consistitis, eamque debellatis agentes: *Omnia possum in eo qui me confortat, Christo.* Phil. 4. 13.

Hoc chrisma incontaminatum custodite . . Est enim sanctum, spirituale corporis amuletum, et animae salutare praesidium. Hoc igitur sancto unguento peruncti, illud immaculatum et a reprehensione liberum in vobis custodite, per bona opera proficientes et placentes auctori salutis vestrae Christo Jesu: Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.“

### CAPUT III.

#### De sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

##### §. 87.

#### Transitio.

Quemadmodum Baptismo in novam vitam gignimur, Confirmatione roboramur, ut Satanae repugnare et palam Christi nomen profiteri possimus: ita Eucharistiae Sacramento alimur et sustentamur <sup>1)</sup> spiritualiter, viventes vita illius, qui dixit: „*Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*“ Joan. 6, 58.

Tractatio practica, quae nobis obtingit, versatur circa s. Eucharistiae confectionem, administrationem, sumptionem, curam et cultum. Ne vero in rem veluti mediam irruamus, prius notionem et veritatem, effectus et ineffabilem dignitatem ejusdem Sacramenti succincte indicare debemus.

#### A. Doctrinae in antecessum advertendae.

##### §. 88.

#### Notio et veritas ss. Eucharistiae Sacramenti.

1. — Eucharistiae Sacramentum duplici modo considerari potest: *in fieri*, et *in facto esse*. Si consideretur priori modo, est *conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, remanentibus*

<sup>1)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 4 q. 11.

*speciebus, ad spiritualem fidelium refectionem.* Si spectetur posteriori modo, in re permanente, communiter definitur: *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum.*

Inquiri solet, in quo constet essentia Eucharistiae, num in solis speciebus panis et vini, an in Corpore et Sanguine Christi. At conformius ss. Patribus<sup>1)</sup> et Conciliis sentiunt qui docent, Sacramentum hoc essentialiter consistere nec in solo Corpore Christi neque in solis speciebus, sed in complexu specierum visibilium et Corporis Sanguisque Domini. 1) *In speciebus*, quia Concil. Trid. Sess. 13. can. 1 ait, Corpus et Sanguinem Christi in ss. Eucharistiae Sacramento contineri; at vero id, quod continet Corpus et Sanguinem Christi, est Sacramentum saltem partialiter: sed species continent; ergo. 2) *In Corpore et Sanguine Christi*, quia Conc. Florent. in Decreto pro Armenis infert, hoc Sacramentum *confici* verbis sacerdotis; sed quod conficitur, praecipue est Corpus et Sanguis Christi, ut conjuncta cum speciebus. — Hinc Doctor Angelicus: „*Ex speciebus et Corpore Christi fit unum Sacramentum.*“<sup>2)</sup>

2. — **Doctrina fidei.** Eucharistia est verum Sacramentum. Constat solemni Ecclesiae judicio ex Conc. Florent. in Decreto pro Armenis, et ex Conc. Trid. Sess. 13. can. 1. Revera continet conditiones omnes Sacramenti veri. Etenim adest 1. *signum visibile*, nam conficitur ritu sensibili, et permanet speciebus visibilibus; — 2. *gratia invisibilis*, ex promissione Christi dicentis: „*Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*“ Joan. 6, 52. 55. 58; — 3. *divina institutio*, in ultima coena Matth. 26, Marc. 14, Luc. 22, Conc. Trid. Sess. 13. cap. 1.

Multum confert ad aedificationem, recogitare corde, quod convenientissime in ultima coena Christus instituit hoc Sacramentum augustissimum. Videlicet instituit 1. *pridie, quam pateretur*, quia s. Eucharistia est in memoriam passionis et mortis ejus; — 2. *in qua nocte tradebatur*, quia sic maxime ostendit immensam suam erga nos caritatem, quam vincere nequibat extremum odium et ingratitude execrabilis hominum; — 3. *celebrata cum discipulis coena agni paschalis*, quia hic est praecipua hujus mysterii figura,<sup>3)</sup> ut proinde figura veritati, umbra corpori cederet; — quando ipse *in propria specie* transiturus erat ad Patrem, tunc enim convenienter, ne ullo unquam tempore a suis abesset, in sacramentali specie se

<sup>1)</sup> Quorum multorum effata profert L a y m a n n: Th. m. Lib. V. Tract. IV cap. 1 n. 2.

<sup>2)</sup> In IV Sent. Dist. 8 q. 1 ad 1. Vid. etiam s. Alph. Lib. VI. n. 189, 190. Bellarmin: De Euch. Lib. IV.

cap. 6. *Theol. Wirceburg.* (Holtzelau S. J.) Tom. V. De Sac. Euch. c. 4. initio. Paris. 1853. Suarez: De Euchar. Dist. 42 Sect 3.

<sup>3)</sup> S. Thom. 3. q. 73 a. 6.



ipsum reliquit; — 5. *quando a discipulis suis erat digressurus ad passionem*, ut mysterii hujus altitudinem animis cordibusque discipulorum profundius infigeret, siquidem ea, quae ultimo dicuntur ab amico, firmiter tenentur et majori in pretio habentur.<sup>1)</sup>

3. — Observa 1. Eucharistia *specificè* seu *essentialiter* est unum Sacramentum, quamvis duae sint species, panis et vini; quia ambae species ad unum finem et effectum, ad spiritualem refectionem, quae instar refectionis corporalis cibo potuque constat, referuntur. Similiter in Extrema Unctione fiunt plures unctiones et tamen est unum Sacramentum.<sup>2)</sup> — 2. *Numerice* Eucharistia est unum et est multiplex Sacramentum, prouti hostiae consecratae proponuntur vel sumuntur per modum unius aut multiplicis refectionis spiritualis. Quocirca plures hostiae consecratae, quae proponuntur et asservantur in eodem altari, item plures hostiae aut partes hostiae, quae sumuntur a sacerdote eodem tempore, unum sunt Sacramentum; e converso hostiae, quae in diversis altaribus proponuntur, hostiae vel partes hostiae, quae a diversis personis sumuntur, sunt plura Sacramenta.<sup>3)</sup> Similiter baptismata sunt numerice plura, si baptizantur plures.

### §. 89.

#### Effectus Eucharistiae.

1. — Hoc Sacramentum quoad bonorum omnium copiam et affluentiam, quam continet, ad reliqua Sacramenta se habet, sicut fons ad rivulos.<sup>4)</sup> Unde effectus ejus non possunt non esse amplissimi et saluberrimi, quos accuratius perpendere proderit.

2. — Et I. quidem effectus praecipuus est *ineffabilis fidelium cum Christo unio*, juxta verba Concilii Florent. in Decr. pro Armenis: „*Effectus, quem in anima digne suscipientis operatur, est adunatio hominis ad Christum.*“ Notissima sunt ipsius Domini verba: „*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*“ Joan. 6, 57. Reddimur *concorporei et consanguinei Christi*, dicit s. Cyrillus Hierosolymitanus.<sup>5)</sup> Christus nobis, et nos carni Christi et consequenter personae et divinitati Christi realiter unimur et commiscemur, sicut cibus realiter unitur et commiscetur stomacho et carni nostrae, ait Cornelius a Lapide. Propter quam unionem cum Christo et anima et corpore sanctificamur.

<sup>1)</sup> Idem 3. q. 73 a. 5 *Catech. Rom.* P. II cap. 4 q. 2.

<sup>2)</sup> S. Thom. 3. q. 73 a. 2. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 8. q. 1 a. 2 p. 2. S. Alph. Lib. VI. n. 191, q. 1.

<sup>3)</sup> De tota quaestione s. Alph. Lib. VI. n. 191, q. 2. H. A. Tr. 15 n. 1.

<sup>4)</sup> *Catech. Rom.* P. II cap. 4 q. 45.

<sup>5)</sup> *Catech.* 22, n. 3.

3. — II. Sicut enim Christus in mundum visibiliter veniens, contulit mundo gratiam: ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiae operatur, dicens: „*Qui manducat me, vivet propter me*“ Joan. 6, 58. Ita Angelicus Doctor.<sup>1)</sup> Videlicet speciali modo *augetur gratia sanctificans*, per quam spiritualiter transformamur in Christum. Non enim hoc Sacramentum, sicut panis et vinum, in substantiam nostram mutatur, sed nos quodam modo in ejus naturam convertimur,<sup>2)</sup> puta moraliter, non substantialiter. Aliquando per accidens conferri potest per hoc Sacramentum *gratia prima*,<sup>3)</sup> coll. §. 46 n. 1.

4. — III. Cumque gratia Eucharistiae detur ad refectionem spiritualem, hinc „omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, *sustentando, augendo, reparando et delectando*, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem“. Ita Conc. Florentinum.

1) Igitur Eucharistia *sustentat* vitam spiritualem, similiter ac cibus potusque vitam corporalem, praeservando a morte. Praeservat autem animam a morte spirituali, a peccato mortali, duplici ratione: *a)* quia auget caritatis fervorem ad fortius resistendum tentationibus et vim concupiscentiae minuit, „saevientem membrorum nostrorum legem sedat“, *b)* quia Christus animam sibi intime unitam specialiter protegit et custodit a daemonum impugnatione. *Terretur*, ait s. Petrus Damiani,<sup>4)</sup> *terretur enim adversarius, cum Christiani labia Christi videt cruore rubentia*.

2) Eucharistia *auget* vitam spiritualem, quia auget gratiam, auget virtutes supernaturales, praecipue caritatem, et gratias subministrat actuales ad actus virtutum praesertim caritatis frequenter exercendos.

3) Eucharistia *reparat* vitam spiritualem, remittendo seu „solvendo“ (ut s. Thomas loquitur) peccata venialia, per quae nempe quotidie minuitur fervor caritatis: sicut cibus restaurat quotidianos et leves corporis defectus. Expresse Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2 Sacramentum hoc appellat *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur*. Imo etiam poenas

<sup>1)</sup> 3. q. 79 a. 1.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 269, cum d. Thoma et aliis communiter.

<sup>3)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 4 q. 46.

<sup>4)</sup> Opusc. 50: Institutio monialis cap. 3.

temporales remittit, secundum gradum devotionis et fervoris, quo percipitur, ut s. Thomas <sup>1)</sup> merito tradit.

4) Eucharistia *delectat* spiritualiter, juxta verba Sap. 16, 20: „*Panem de coelo praestitisti eis, omne delectamentum in se habentem.*“ Vere quidem, ut s. Thomas ait, suavitatem hujus Sacramenti nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur. <sup>2)</sup> Sed suavitas haec supernaturalis impediri potest per peccata venialia in susceptione Sacramenti commissa, et per affectum inordinatum ad creaturas. Aliquando animabus sanctis probationis causa a Deo subtrahitur ad tempus.

5. — IV. Effectus Eucharistiae est *adeptio gloriae et beatitudinis coelestis* Joan. 6, 55, cujus est medium efficacissimum et pignus simul, ut ex dictis facile colligitur. Quia enim dat gratiam copiosissimam, quae sustentat, reparat, auget vitam spiritualem, eo ipso facit pervenire facile ad vitam aeternam; et quoniam causat unionem ineffabilem cum Christo et refectionem suavissimam in praesenti, simul est praegustus, figura adeoque et pignus unitatis refectionisque consummatae in futuro, in patria, inquam, coelesti. *Pignus futurae gloriae et perpetuae felicitatis*, diserte a Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2 hoc Sacramentum appellatur. <sup>3)</sup>

Denique effectus ejusdem est *gloriosa resurrectio corporis*, speciali quadam ratione, nimirum propter conjunctionem cum Christi carne vivificatrice et gloriosa. Christus ipse ait: „*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.*“ Joan. 6, 55.

Sacramentum hoc salutaribus suis effectibus et corpori et animae prodest, quod ex dictis apertum est. Hinc Ecclesia (in festo s. Viti etc. die 15. Junii) sic precatur: „*Repleti, Domine, benedictione solemni, quaesumus, ut . . . medicina Sacramenti et corporibus nostris prosit et mentibus.*“ Et (Dominica VIII. post Pentec.): „*Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis coeleste mysterium: ut cujus exequimur cultum, sentiamus effectum.*“ Rursus (in festo s. Camilli die 18. Julii): „*Hostia immaculata*

<sup>1)</sup> 3. q. 79 a. 5.

<sup>2)</sup> Opusc. 57.

<sup>3)</sup> S. Chrysostomus inducit Christum sic loquentem: „— me ip-

sum vobis appono, vos omnes generosos esse volens et spem bonam de futuris vobis praebens: quippe qui vobis hic me ipsum trado, multo magis id in futura vita faciam.“ In Joan. Hom. 45.

*sit contra omnes corporis et animae infirmitates salutare remedium, et in extremo agone solatium et tutela.*“

6. — Quaeres: *An Eucharistia prodesse possit aliis eam non sumentibus?* Resp. Ratione sacrificii utique potest, ut per se manifestum est. Ratione Sacramenti ex opere operato aliis prodesse nequit, nam cibus soli sumenti proficuus est; attamen ex opere operantis prodesse valet vivis et defunctis, quatenus Communio tamquam opus bonum aliis applicari potest.<sup>1)</sup> Hinc nedum improbandus, sed laudandus potius piorum mos, qui s. Communionem pro defunctis vel etiam pro vivis Deo solent offerre. S. Congregatio Indicis, auctoritate Apostolica, per Decretum 18. Dec. 1646 damnavit librum Theophili Reynaudi, quo Communionem pro mortuis tamquam „errorem popularem, piam fraudem“ impugnaverat.

\* S. Cyrillus Hieros.: Cateches. 22. (Mystagogica 4.) S. Joannes Chrysost. (Doctor Eucharistiae dictus): Homil. 50 et 82 in Evang. Matth., Hom. 46 in Evang. Joan., Hom. 24 in 1 Cor. S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 79 a. 1—6. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. XII a. 1 q. 3. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 269. *Catechismus Romanus* P. II. cap. 4 q. 45—52.

## §. 90.

### Ineffabilis hujus Sacramenti dignitas.

Nihil sanctius, nihil dignius et admirabilius, salubrius et pretiosius nihil habet Ecclesia Dei, quam Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini. Optime id conspicuum redditur ex multis splendidisque nominibus, quibus ss. Patres et Concilia illud efferre nituntur.

Praecipuo nomine appellatur *Eucharistia*, quae vox bonam gratiam vel gratiarum actionem significat. Recte sic appellatur, quia Christum Dominum, qui vera gratia omniumque gratiarum fons est, realiter continet; et quia per eam tamquam purissimam hostiam dignissimas quotidie gratias Deo agimus pro universis beneficiis, atque praecipuis pro tam excellenti bono, quod nobis in hoc ipso Sacramento praestat.<sup>2)</sup>

Vocatur *Communio*, quia fideles cum Christo, et inter se ipsos in Christo conjungit. Efficit perfecte, ut omnes unum sint, con-

<sup>1)</sup> Scavini Tom. III n. 154.

<sup>2)</sup> Cat. Rom. P. II cap. 4 q. 3.

summati in unum. Joan. 17, 21. 23. Est Sacramentum unionis, dicit s. Bonaventura. <sup>1)</sup> Est unitatis signum, vinculum caritatis, concordiae symbolum, docet Concil. Trid. Sess. 13. cap. 8.\*

Est etiam *Sacramentum amoris*, quia in eo Salvator noster divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, <sup>2)</sup> et quia per hoc maxime caritatem in nobis accendit. <sup>3)</sup>

Est vere *panis Angelorum*, quia eodem summo bono, quo Angeli sine ullo velamine fruuntur, nos reficimur et delectamur velaminibus sacris oblecto. Vere, Domine, minuisti nos paulo minus ab Angelis! Tantum uno veluti gradu ab Angelis distamus.

Est *Sacramentum mirabile*, triplici ratione. 1. Ratione divinae omnipotentiae, qua quinque cognoscimus miracula; nam *a)* verbis substantiae panis et vini transmutantur, *b)* accidentalia (species) panis et vini manent sine re ulla subjecta, nulli substantiae inhaerent, sed per ipsa constant; *c)* aliud specie apparet, aliud revera existit; *d)* corpus integrum humanum cum tota sua quantitate existit in minima quantitate panis; *e)* idem corpus in pluribus locis simul est. 2. Ratione divinae sapientiae, qua Dominus noster medium invenit, quo majestatem suam, ne terreamur, absconderet, et se totum, Deum verum et hominem verum, nobis communicaret. 3. Ratione beneficentiae, qua Christus nos, quos genuit, non aliis nutriendos tradit, sed per se ipsum nutrit, <sup>4)</sup> verba illa consolationis nobis dicens: „*Fili, — omnia mea tua sunt.*“ Luc. 15, 31.

Eucharistia dicitur et est Sacramentum *sanctissimum*, <sup>5)</sup> quia Christum Dominum sanctissimum et omnis sanctitatis fontem continet vere, realiter et substantialiter, non ut in signo tantum vel figura aut virtute. <sup>6)</sup> Hinc plurimum differt a ceteris Sacramentis: 1. reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est; <sup>7)</sup> et 2. in Eucharistiae confectione fit transsubstantiatio seu conversio materiae in aliam substantiam, in conficiendis aliis Sacramentis nulla fit materiae immutatio.

<sup>1)</sup> In IV Sent. Dist. 12 P. 2 a. 1  
q. 3. S. Chrys. Hom. 24 in 1 Cor.

<sup>2)</sup> Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2.

<sup>3)</sup> S. Chrys. Hom. 46 in Joan.

<sup>4)</sup> Idem: Hom. 46 in Joan.

<sup>5)</sup> Conc. Trid. Sess. 13. cap. 1.

<sup>6)</sup> Idem can. 1.

<sup>7)</sup> Idem cap. 3.

B. De confectione et administratione sanctissimi  
Sacramenti.

§. 91.

**Materia consecrationis.**

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Materia remota Sacramenti Eucharistiae sunt panis triticeus et vinum de vite.* Est fidei dogma, quod tum ex perpetua Ecclesiae traditione tum ex definitionibus Conciliorum constat. Signanter Conc. Florent. docet: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.*

Debet autem 1. panis triticeus aqua naturali esse mixtus et igne tostus seu pistus; quia talis solum est panis usualis, qualis ad hoc Sacramentum requiritur. Debet 2. panis esse in sua specie seu substantia incorruptus; et idem valet de vino.

Illationes practicae.

2. — a) *Materia panis invalida et dubia.*

1. Invalide consecratur panis confectus ex lente (Linse), avena (Hafer), milio (Hirse), hordeo (Gerste), ex leguminibus, ex radicibus arborum etc.; quia haec omnia communi iudicio et usu censentur specie distingui a tritico.

Materia invalida est panis triticeus totaliter corruptus; item massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed oleo aut butyro frixa, ut sunt placentae etc.; panis mixtus oleo, butyro, lacte, ovis, saccharo; quia non est panis usualis et proprie dictus.

Inepta porro materia est panis ex tritico quidem, sed cum granis alterius generis in quantitate majori vel aequali permixto.<sup>1)</sup>

2. Dubia materia est panis ex siligine (Korn, Roggen), item panis ex spelta (Spelt, Dinkel); siquidem alii affirmant, frumenta illa esse ejusdem speciei ac triticum, licet diversae qualitatis; alii autem negant.<sup>2)</sup> Generatim d. Thomas observat: „*Ex talibus*

<sup>1)</sup> S. Thom.: „*Modica permixtio alienae rei non solvit speciem, unde Sacramentum valide conficitur; secus si permixtio fiat in magna quantitate (ex aequo vel quasi aequo).*“ 3. q. 74 a. 3 ad 3. — Cf. Linzer theol.-prakt. Quartal-

schrift „Das Hostienmehl“ 1881. S. 44 u. f.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 200. Scriptores Germani Laymann, Gobat, Tanner etc. dicunt, *speltam* sine scrupulo adhiberi pro consecra-

*frumentis, quae nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus Sacramenti.*"<sup>1)</sup>

Si panis sit confectus de aqua rosarea vel alterius destillationis, dubium est, an conficiatur Sacramentum. Ita Rubr. Miss. de defectu panis n. 3.

3. — b) *Materia calicis invalida et illicita.*

1. Valide consecrari nequit succus ex pomis, pyris etc. expressus, vel succus ex uvis immaturis, vinum penitus putridum vel factum penitus acetum; item spiritus vini,<sup>2)</sup> vinum nimis aqua mixtum vel aromatibus ita conditum, ut nomen vini amiserit; secus si alteratio sit exigua, quamvis illicite consecraretur. Materia inepta est vinum in pane vel simili materia contentum, quia non habet rationem potus, et non potest designari seorsim a pane. Licitum vero est vinum factum ex uvis passis seu exsiccatis, dummodo liquor extractus ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum. S. Off. 7. Maji 1879.

2. Mustum consecraretur valide quidem, quia jam habet speciem vini, sed illicite, quia hoc indecens est propter impuritatem musti.<sup>3)</sup>

In vino acescente valide fit consecratio, sed sacerdos graviter peccat, si hujusmodi vinum scienter adhibet, aequè adhibens panem, qui jam est in via ad corruptionem; ut loquitur s. Thomas.<sup>4)</sup>

tione in Suevia et Helvetia, consciis Nuntiis Apostolicis et episcopis. Diversae dantur in variis regionibus frumenti species, quae sub nomine *speltae* veniunt; hinc attendi debet ad Dioecesis et regionis aestimationem, quid nomine tritici veniat. Voit: P. II. n. 275.

<sup>1)</sup> 3. q. 74 a. 3 ad 2.

<sup>2)</sup> In pluribus Galliae partibus vinum album sacrificio missae inseruiens tam debile et impotens est, ut diu conservari non valeat, nisi eidem quaedam spiritus vini (spirito-alcool) quantitas admisceatur. De tali commixtione S. Congr. Inq. 30. Julii 1890 approbante Leone XIII. decrevit: „*Dummodo spiritus (alcool) extractus uerit ex genimine vitis, et quantitas*

*alcoolica addita una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in missae sacrificium adhibeatur.*“ Sed hujusmodi admixtio, ut eadem Congr. 5. Aug. 1896 respondit, fiat „quando fermentatio tumultuosa defervescere inceperit“ seu quando vinum valde recens est.

<sup>3)</sup> Rubr. Missalis. In necessitate mustum ex mente d. Thomae 3. q. 74 a. 5 ad 3 licite consecraretur. Sed talis casus vix eveniet.

<sup>4)</sup> 3. q. 74 a. 5 ad 2. Necessitate celebrandi urgente potest esse licitum, uti vino acescente, modo sit verum vinum. S. Alph. n. 207, Quaer. 1.

Vinum congelatum, si liquefiat, est certo materia valida et licita consecrationis. Quid autem, si maneat congelatum? Verius dicunt, illud esse materiam validam, quia congelatio non immutat rei naturam; sed tamen illicitam, quia non convenit reverentiae Sacramenti. <sup>1)</sup>

4. — **Principium II.** *Ex praecepto Ecclesiae ad licitam Eucharistiae confectionem penes Latinos requiruntur panes azymi, apud Graecos fermentati; porro hostiae debent esse recentes, integrae et mundaе.*

1. Perinde est ad valorem Sacramenti, sive panis sit *azymus* sive *fermentatus*; quod dogmatica certitudine constat ex Decr. Conc. Florent. pro Armenis. Sacerdotes tamen latini in azymo, graeci in fermentato Sacramentum conficere debent, sub obligatione gravi, ex ejusdem Concilii Decreto. <sup>2)</sup>

Similiter fideles ritus latini regulariter in azymo, fideles ritus graeci in fermentato communicare debent. Sed ex decreto S. Congr. de Prop. Fide 18. Aug. 1893 „omnibus fidelibus cujuscunque ritus, sive latini sive orientalis, in locis, in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur, s. communionem non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore, devotionis gratia, juxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit. recipiendi.“ Et hanc facultatem Leo XIII. in Const. *Orientalium dignitas* 30. Nov. 1894 extendit ad casum, quo fideles „propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint nisi cum gravi incommodo adire; de quo Ordinarii esto judicium.“

2. Hostiae consecrandae debent esse *recentes*, ex reverentia ss. Sacramenti. Optandum foret, ut non excederent 15 dies vel ad summum 1 mensem a tempore, quo confectae sunt. Incuria parochorum et aliorum hac in re grave peccatum constituere potest. <sup>3)</sup> Consuetudo consecrandi hostias a 3 vel 6 mensibus confectas est ingens abusus omnino tollendus. Quodsi hujusmodi abusum tolerare videatur parochus: ejus vicarii aut alii sacerdotes istis hostiis uti nequeunt. Sic S. R. C. (2650) 16. Dec. 1826.

Sine causa hostiam *maculatam* vel *fractam* consecrare, communiter reputatur peccatum veniale, secluso scandalo, et nisi macula vel fractura sit valde magna. Si hostia ante oblationem appareat confracta, accipiatur alia integra, si citra scandalum aut longam moram fieri poterit. Si post oblationem deprehendatur etiam nota-

<sup>1)</sup> Casu, quo sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato; nec ille potest licite aliud vinum consecrare. S. Alph. n. 207, Quaer. 2.

<sup>2)</sup> Plura hac de re s. Alph. n. 202 et 203.

<sup>3)</sup> Gury: Tom. II. n. 815, Not. 2.



biliter fracta, quin populo evidenter appareat, talis hostia consecratur; si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur et offeratur, et eam, cujus jam facta est oblatio, post ablutionem sumat. Rubr. Missal. de defectibus in ministerio n. 9.

Curandum est, ne hostiae nimis parvae nimisque subtiles sint. Circa usum imprimendi imaginem Crucifixi in hostiis servetur consuetudo. S. R. C. (2714) 26. April. 1834.

5. — **Principium III.** *Vino in calice aqua modicissima admisceri debet, ex praecepto gravi, non tamen necessitate Sacramenti.*

1. *Aqua vino admisceri debet, ex perpetua Ecclesiae praxi et declarationibus Concil., praesertim Florent. et Tridentini.*

Sed *modicissima*, prouti habet Concilium Florentinum. Sufficit una vel altera gutta, ita tamen, ut sensibilis sit.<sup>1)</sup> Potest autem *probabiliter* infundi aqua usque ad octavam partem vini, imo usque ad quintam.<sup>2)</sup> Si sacerdos nimiam aquae quantitatem infuderit, iterum vinum addere debet.

Non est prohibitus *usus parvi cochlearis* pro aqua in calicem infundenda, ut declaravit S. R. C. (3064) 6. Feb. 1858 in Baltimor. ad 4.

2. Aqua infundi calici debet, *non necessitate Sacramenti*, quia Catech. Rom. dicit: „*Aqua si desit, Sacramentum constare potest*“,<sup>3)</sup> et Rubrica Missalis IV de defectu vini: „Si advertat post consecrationem vini, non appositam fuisse aquam, nullo modo apponat; quia *non est de necessitate Sacramenti.*“ Sed admisceri debet aqua *ex praecepto*, quod praepremis ex Conc. Flor. et Trid. constat, et quidem praecepto *gravi*, ratione gravis finis (de quo infra n. 6), ut Catechism. Rom. et Theologi communiter docent. An porro hoc praeceptum sit *divinum*, an *ecclesiasticum*, controvertitur.<sup>4)</sup> Si sit ecclesiasticum, „ex ipsius tamen Christi Domini facto et exemplo profectum est“ Benedictus XIV. dicit;<sup>5)</sup> quia creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum, prout Concilium Florentinum et Trident. observant.

6. **Convenientia materiae expositae.** Panis et vinum est materia conveniens Eucharistiae: 1. *ratione contenti*, quod est

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 74 a. 8 ad 2. S. Alph.: „*Sufficit vero admiscere unam aquae guttam.*“ H. A. Append. 3. Examen Ordin. §. II.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 208 et 210.

<sup>3)</sup> P. II. cap. 4 q. 17.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 208 utramque sententiam probabilem censet, nempe affirmantem et negantem, illud praeceptum esse divinum.

<sup>5)</sup> De Missae Sacrif. Lib. II. cap. 10 n. 6.

corpus et sanguis Domini; nam grana tritici conculcantur, panisque inde confectus igne decoquitur, atque vinum in torculari exprimitur; quae omnia competunt ad repraesentandum corpus et sanguinem Christi in cruce ex caritate pro nobis passi;<sup>1)</sup> — 2. *ratione effectus* hujus Sacramenti, nam a) sicut panis et vinum, qua cibus et potus, intime conjungitur et commiscetur corpori: ita Christus nobis per Communionem; — b) panis ex multis granis conficitur, vinum ex multis acinis confluit: similiter fideles hoc Sacramentum participantes cum Christo et inter se in unum corpus mysticum conjunguntur, quocirca Apostolus: „*Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*“ 1 Cor. 10, 17; — et c) panis et vinum sustentant, reparant, augent, delectant vitam corporalem: similes effectus quoad vitam spiritualem s. Eucharistia producit.

*Aqua admiscetur vino*, ut recolatur, e latere Christi aquam simul cum sanguine exivisse, et ut repraesentetur populi fidelis cum capite Christi unio, quum aqua in Apocalypsi populum significet. Conc. Flor. in Decr. pro Armenis, et Conc. Trid. Sess. 22. cap. 7. Sufficit una alterave gutta, quia etiam guttae comparantur gentes: „*Ecce, gentes quasi stilla situlae.*“ Isai. 40, 15.

\* S. Thomas: Summa Theolog. 3. q. 74 per 8 articulos. In IV Sent. Dist. 11 q. 2 per 4 articulos. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 11 p. 2 c. 1 q. 1 et 4. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 194—210. — Génicot S. J.: Th. mor. V. II. n. 168—172.

## §. 92.

### Continuatio.

#### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Materia proxima Eucharistiae sunt panis et vinum praejacentia, et sacerdotis consecrantis intentione determinata; siquidem pronomina formae demonstrativa hoc et hic exigunt materiam praesentem et determinatam.*

2. — Hinc 1. quoad *praesentiam materiae requisitam*, invalide consecratur hostia post parietem posita vel in tabernaculo clausa, cum non possit bene applicari forma. Valide consecrantur hostiae in Ciborio vel in cumulo sub aliis latentes, porro hostiae prae-

<sup>1)</sup> S. Thom. In IV Sent. Dist. 11 q. 2 a. 1, Sol. 2.

sentes a caeco vel alio sacerdote in tenebris non visae, si ex alterius relatione certus est de earum praesentia.

2. Quoad *intentionem in sacerdote requisitam*, patet quod non consecrantur hostiae, inscio sacerdote in Corporali positae; quia sacerdos earum inscius intentionem easdem consecrandi non habuit.

Si vero celebrans advertat post consecrationem duas hostias esse simul junctas, utramque ut consecratam simul sumat, juxta Rubricam Missalis VII. de def. intent. n. 1. (Si ante consecrationem, postquam obtulit, duas junctas hostias cognoscat, alteram seponat et post Missam ipse vel alius sacerdos veluti panem benedictum sumat.)

Si sacerdos plures hostias tulerit ad altare, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari jam positis: tunc omnes consecrantur, quamvis sacerdos in actu consecrationis earum expresse non meminerit, modo sint praesentes in Corporali; quia intentio praecedens consecrandi virtualiter perseverat.<sup>1)</sup>

*An vero sunt consecratae guttae exterius vel interius inhaerentes cuppae calicis?* Benedictus XIV ita dubium dissolvit: Si guttae haereant *exterius*, habendae sunt tamquam non consecratae et purificatorio abstergendae. Si vero *interius* adhaerentes reperiantur, etsi quidam putent eas habendas esse non consecratas et extergi posse purificatorio; tamen tutius est, eas considerare tamquam consecratas atque absumere per secundam purificationem.<sup>2)</sup>

3. — **Principium II.** *Ut materia praesens et per intentionem celebrantis determinata licite consecretur, opus est ut sacerdos nullatenus recedat a sapientissimis Ecclesiae praescriptis.* Inprimis advertere debet sequentia:

1. Consecranda est *utraque materia*, panis et vini, ex praecepto divino; nec in necessitate quantumvis gravi, e. g. ut moribundo praebetur viaticum, licitum est alteram tantum materiam consecrare.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Si quis habeat coram se *undecim* hostias et intendat consecrare solum *decem*, non determinans, quas decem intendat: non consecrat. Secus, si putans esse decem, cum tamen sint undecim, voluit tamen omnes consecrare, quas coram se habebat, nam tunc omnes erunt consecratae: atque ideo quilibet sacerdos talem semper

intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrationem positas habet. Rubr. Miss. VII. de def. intent. n. 1.

<sup>2)</sup> De Missae Sacrif. Lib. III. cap. 17 n. 7.

<sup>3)</sup> S. Alph.: n. 194 et 195. Imo. Card. Lugo: De Euch. Dist. 19 n. 103 putat, invalide consecrare sacer-

2. Hostiae parvae seu particulae populo distribuendae *offerri* debent, *dum offertur hostia Missae*; sunt enim vera materia sacrificii. Quandoque autem consecrari possunt, etiamsi allatae sint *post Offertorium* vel etiam *ante Praefationem*, dummodo mente fiat earum oblatio, imo quoque *Canone incoepto*, ex gravi causa, cujusmodi ea esset, si fidelium multitudo parata ad recipiendam Eucharistiam Communionem careret.<sup>1)</sup> Si autem ageretur de particula consecranda pro viatico infirmi, parva quaedam pars detrahi posset hostiae majori et reservari pro infirmo.

3. Ciborium, in quo particulae consecrandae continentur, super lapidem altaris *in Corporali* repositum esse debet, sub obligatione gravi.

Inquiri solet, an particulae Ciborii censendae sint consecratae, *si sacerdos Ciborium ex oblivione reliquerit extra Corporale, et hostiam majorem consecrans non cogitaverit de illis particulis consecrandis?* Duplex datur sententia: a) Alia affirmat *probabiliter*, quia sacerdos initio advertens Ciborium habuit intentionem consecrandi, quae cum non positive ab ipso fuerit retractata perseveravit. b) Alia negat, forte *probabilius*, quia praesumi nequit sacerdotem intendisse sic consecrare, cum id sub peccato gravi prohibitum sit. Cum in Sacramentis tutius eligi debeat, concludendum est pro praxi, particulas illas non esse distribuendas populo, sed asservandas, ut in alia Missa consecrentur sub conditione, vel si paucae sint, sumendas esse a sacerdote celebrante post ablutionem, sed ante purificationem.<sup>2)</sup>

4. Ciborium vel aliud vas, in quo particulae continentur, *ante oblationem et consecrationem aperiri* debet. Si vero sacerdos Ciborium non aperuit sive ex oblivione sive ex negligentia sive ex ignorantia, intentionem tamen habuerit, illas hostias offerendi et suo tempore consecrandi, illicite quidem, sed valide eas consecravit.<sup>3)</sup>

dotem, qui positivam habet intentionem consecrandi *unam* speciem sine altera; quia Sacramentum est consequens ex sacrificio, ad sacrificium vero consecratio utriusque speciei essentialiter requiritur. Sed alii *communiter* contradicunt, quia minister semper ac profert formam super materia cum debita intentione, perficit Sacramentum.

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. op. c. Lib. III. cap. 18 n. 5. S. Alph. n. 217 sub 4.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV. De ss. Missae Sacrif. Lib. III. cap. 18 n. 6. S. Alphonsus: Lib. VI. n. 217.

<sup>3)</sup> Benedict. XIV. op. c. Lib. III. cap. 18 n. 2.

## §. 93.

**Forma Eucharistiae.**

1. — Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus sacerdos hoc conficit Sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Conc. Flor. in Decr. pro Armenis.

Pro consecratione panis forma sunt verba: *Hoc est enim Corpus meum*. Quae omnia, si verbum *enim* excipias, formae sunt essentialia. Forma pro consecratione vini his exprimitur verbis: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ad essentiam pertinent verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, cetera ad integritatem.<sup>1)</sup> Sed sacerdos graviter peccat, ait s. Alphonsus,<sup>2)</sup> si non proferat omnia verba, quae in consecratione calicis habentur, et si forte tantum prima verba dixisset, integram formam sub conditione repetere deberet, quod et praescribit Rubrica Tit. X. de def. n. 3: *Si obierit (sacerdos) semiprodata forma Sanguinis, tunc alter proseguatur Missam et super eundem calicem repetat integram formam, ab eo loco: Simili modo etc.*

2. — Verba, quae consecrationi panis praecedunt: *Qui pridie quam pateretur etc.*, ad essentiam non pertinent juxta sententiam communem et probabilissimam; attamen sine gravi peccato omitti nequeunt.

Denique advertendum ex Rubr. Missalis Tit. V de def. n. 2: „Si celebrans *non recordetur*, se dixisse ea quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen *certo ei constat*, se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate Sacramenti, resumat formam. Si vero *valde probabiliter dubitat*, se aliquid essentialia omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione.“

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 78 per 6 articulos. S. Alphonsus: Lib. VI. n. 220—224. — Pruner: Pastoraltheologie B. 1 S. 17—24. Paderborn. 1900.

<sup>1)</sup> Ad essentiam pertinere cetera, affirmat cum aliis d. Thomas (3. q. 78 a. 3), quod vero negat sententia communior, quia illa verba saltem partim in quibusdam liturgiis omit-

tuntur neque referuntur ab Apostolo (1 Cor. 11, 25), qui tamen supponendus non est formam invalidam conscrip-  
sisse. Cf. Génicot: Vol. II. n. 176.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 223.

## §. 94.

**De ministro conficiente et dispensante Eucharistiam.**

1. — Ministrum *conficientem* hujus Sacramenti esse solum sacerdotem, est fidei dogma alioquin notissimum, cui probando immorari supervacaneum foret. Quoad ministrum *dispensantem* veritates pro praxi notandae veniunt sequentes:

I. Solus *sacerdos* est minister ordinarius Eucharistiae distribuendae. *Diaconus* est minister extraordinarius in necessitate, ex commissione episcopi vel parochi. Primum constat ex Conc. Trid. Sess. 13. cap. 8, ubi dicitur: „*Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent.*“ Alterum patet ex antiqua Ecclesiae praxi, et ex variis Conciliis. Igitur in casu gravis necessitatis, nempe cum sacerdos abest vel praesens non potest distribuere Communionem, e. g. si magno festo sacerdos confessionibus fidelium confluentium audiendis est totus occupatus, aut magnus est communicantium numerus, Diaconus ex commissione parochi vel episcopi Eucharistiam fidelibus praebere potest, publice et solemniter, nempe ritu ab Ecclesia praescripto. Imo in casu extremae necessitatis, nempe si agatur de communicando moribundo, Diaconus sacerdote deficiente *tenetur* hoc Sacramentum ministrare, etiam sine commissione. Quo in munere indutus esse debet superpelliceo et stola transversa; <sup>1)</sup> et potest facere aspersionem aquae benedictae, ad *Indulgentiam* signare infirmum vel semetipsum signo crucis et benedicere cum Sanctissimo infirmum et assistentes. S. R. C. (3075) 14. Aug. 1858.

Quamvis nemini praeter sacerdotem celebrantem ordinarie permissum sit, semetipsum communicare: tamen *sacerdos*, alio deficiente sacerdote, *potest sibi ministrare hoc Sacramentum* in mortis discrimine, <sup>2)</sup> et alias etiam (praeciso scandalo) ex gravi causa e. g. si in diuturno morbo per longius tempus non communicasset, vel si in solempni aliqua festivitate careret hoc cibo coelesti. <sup>3)</sup>

2. — II. Soli *pastori*, parochi vel episcopo, competit *jus* fideles sibi commissos pascere pane angelico. Quare a peccato

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 236 et 237.

<sup>2)</sup> Kenrick: Th. mor. Tr. XVII de Euch. n. 23 refert exemplum de aliquo missionario in India, qui ad ecclesiam in lecto delatus est, ut

Corpus Domini suis manibus susciperet moriturus.

<sup>3)</sup> Bened. XIV. De ss. Missae Sacrif. Lib. III. cap. 17 n. 10. S. Alph. n. 238.

gravi excusari nequit sacerdos, qui sine parochi licentia saltem rationabiliter praesumpta s. synaxim dispensat. Imo in Const. Pii IX. *Apostolicae Sedes* n. XIV excommunicationi latae sententiae et Romano Pontifici reservatae subjiciuntur religiosi, qui clericis aut laicis extra casum necessitatis Eucharistiam *per modum viatici* ministrare praesumunt absque parochi licentia.<sup>1)</sup>

Ex consuetudine quivis sacerdos in qualibet ecclesia, ubi Missam celebrandi facultate gaudet, fidelibus petentibus Eucharistiam distribuere potest.

3. — III. Animarum pastores non jus tantum, sed *officium* quoque, officium justitiae habent, s. synaxim subditis ministrare, sive ex praecepto sive ex sola devotione eam suscipere cupiant. Alius sacerdos ad id sacrum munus tenetur tantum ex caritate, deficiente parochi vel alio sacerdote animarum curam habente; et dum agitur de ministrando viatico, sub peccato mortali.

Quodsi pastor animarum quacunq̄ue causa justa est impeditus vel fideles intempestive Communionem petunt, ita honeste et humaniter eam differat, ut fideles a Sacramentis saepius recipiendis non absterreantur.

4. — IV. Quivis sacerdos, ut *digne* Eucharistiam fidelibus praebet, debet esse *in statu gratiae*, quod requirit reverentia sanctissimo Sacramento debita; quare in peccato mortali ministrans grave sacrilegium committit, et toties quidem, quoties successive ministrat, pluribus simul ministrans unum peccatum committit.<sup>2)</sup> Praeterea debet esse *immunis ab omni censura*, secus graviter peccaret et irregularitatem incurreret.

#### §. 95.

### De subjecto, cui ss. Sacramentum ministrandum.

1. — Cunctos homines baptizatos hujus Sacramenti suscipiendi esse capaces, manifestum est, v. §. 57. Non ideo vero omnibus iis tantum Sacramentum dispensare licet. Discernamus oportet parvulos et adultos.

<sup>1)</sup> Licite autem regulares dare possunt Eucharistiam in articulo mortis, uti et in paschate, iis qui *actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt*,

dummodo circa tales habeant privilegium. Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 240 sub 10. Avanzini: De Constit. *Apostolicae Sedis* pag. 55. Romae 1874.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 35.

2. — I. *Parvulis* usu rationis carentibus juxta praesentem disciplinam Eucharistiam dare non licet. *Neque ideo tamen*, ait Conc. Trid. Sess. 21. de Commun. cap. 4, *damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.*

Generatim admittendi non sunt ad hoc Sacramentum, nisi graviora fidei et morum capita, quæque ad hoc Sacramentum pie et rite suscipiendum scitu necessaria sunt, edocti fuerint. Benedictus XIV. in Const. *Etsi minime* §. 9. Vid. infra de praecepto Communionis paschalis et s. viatici §. 98 n. 4 et 10.

3. — II. *Adulti* fideles omnes, qui rite dispositi sunt, ad Communionem admitti debent. Arcendi *publice indigni*, quales sunt notorie excommunicati, notorii peccatores etc., nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint. Ita Rit. Rom. Sed hac in re multa discretione opus est. Recole dicta §. 56 n. 4. Recte Kenrick notat: „De omnibus, qui censentur ad tribunal poenitentiae accessisse, praesumendum plerumque est, eos emendasse mores et satisfecisse scandalo; quapropter vix unquam repellendi sunt etiam, qui noscuntur gravissime deliquisse.“<sup>1)</sup>

4. — Quaestio hic incidit de amentibus, semifatuis, mutis et surdis, epilepticis, obsessis, capite damnatis.

*Amentibus*, qui numquam usi sunt ratione, deneganda est Communio, aequiparantur enim infantibus. Qui saepius lucida intervalla habuerunt, hoc sacramento refici possunt in periculo mortis, dummodo piam et religiosam voluntatem ante insaniam ostenderint, nullumque irreverentiae periculum sit timendum.

*Semifatuis*, si sciant cibum hunc coelestem a communi distinguere, dari potest et debet Communio tempore paschali et in morte.

*Muti et surdi* poterunt eam recipere, si signis ostendant, se habere sufficientem ejus cognitionem et esse praeparatos; secus inter infantes numerandi sunt.

*Epilepticis* negetur Communio tantum in paroxismo.

---

<sup>1)</sup> Theol. mor. Tom. II Tr. XVII n. 37.



*Obsessis* a daemone, quando non sunt sui compotes, Sacramentum porrigi nequit; si vero ratione utantur et alioquin videantur dispositi, poterit saepius Communio eis praebere juxta prudentiam confessarii, cum ss. Sacramentum sit speciale remedium ad arcendos daemones.<sup>1)</sup> Sed in hujusmodi casu, ut confessarius prudenter agat, episcopum consulat.

*Capite damnati* omnino muniendi sunt s. viatico, etiamsi non sint jejuni, dummodo dispositi reperiantur per confessionem. Et sic fert apud nos consuetudo antiqua; et sic fieri vult S. Cong. de Prop. fide pro rebus Sinensibus.

Nam ad quaesitum: *Potestne capite damnatis deferri ss. Sacramentum pridie vel ipso die eorundem executionis? Et tunc, debetne illis administrari tamquam Viaticum moribundis vel tamquam Communio ordinaria bene valentibus?* S. C. die 5. Julii 1841 respondit: *Affirmative, et per modum Viatici.*

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 80 a. 9. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 301—303.

## §. 96.

### Tempus, locus et ritus dispensandae Eucharistiae.

1. — In Sacramento mirabili fidelibus religiose sancteque ministrando maxima ac diligentissima cura adhibenda est; id enim immensa hujus Sacramenti majestas, id quoque aedificatio salutisque populi exposcunt. Praesertim *prima puerorum Communio*, quo solemniori fieri potest, modo celebretur, ut animis integris adhuc alte imprimatur Sacramenti majestas et sanctitas. Conc. Prov. Vienn. Tit. III cap. 6.

Generatim observari accurate omnia debent, quae de tempore et hora, loco et ritu Ecclesia sapientissime praescripsit.

2. — **Punctum I. Tempus.** Omnibus diebus, quibus Missam celebrare licet, Communio fidelibus distribui potest, si excipias mediam noctem Nativitatis Domini in prima missa, ex Decr. S. R. C. (721) 7. Dec. 1641. Sabbato Sancto licet intra Missam solemnem Eucharistiam ministrare fidelibus, S. R. C. (2561) 22. Mart. 1806.

Distribui potest Communio *omni hora, qua Missam celebrare licet*, ab aurora usque ad meridiem vel immediate post Missam, cujus celebratio hora ipsa meridiana inchoavit. Praeterea si tanta

<sup>1)</sup> S. Thomas: 3. q. 80 a. 9 ad 2.

poenitentium multitudo confluerit, ut eorum confessiones ante meridiem absolvi nequeant, etiam *post meridiem* rite jejuni ad divinum convivium admitti possunt. Conc. Prov. Vienn. a. 1858. Tit. III cap. 6.<sup>1)</sup>

3. — Communio populi *intra Missam* statim post Communionem sacerdotis celebrantis fieri debet; nisi ex rationabili causa post Missam sit facienda, cum orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectant. Ita Rit. Rom. de Sacr. Euch.<sup>2)</sup> Causa rationabilis, ex qua post Missam vel etiam ante Missam vel alio quovis tempore fidelibus Communio dari potest vel debet, est e. g. si communicantes non facile possent exspectare vel si plurimi essent, ita ut protractio Missae ceteris molestiam vel incommodum pararet.<sup>3)</sup>

Diu agitata est quaestio, *an Communio dari possit in Missa defunctorum, infra, ante et post eam, cum particulis praeconsecratis?* Tandem S. R. C. illam decidit per Decretum gen. (3177) 27. Junii 1868, a Pio IX. die 23. Julii confirmatum, in quo dicitur, *posse in Missis defunctorum cum paramentis nigris sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem e tabernaculo; posse item in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa immediate quoque ante eandem Missam: in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem.*

4. — **Punctum II. Locus.** Sacramentum Corporis Christi distribuendum est in ecclesiis vel Oratoriis publicis atque semipublicis. In *privato* alicujus domus *Oratorio* dari non potest, neque particulis in Missa consecratis sine licentia expressa Ordinarii, ut Benedictus XIV. in Const. *Magno* §. 15 edita 2. Junii 1751 declaravit.

<sup>1)</sup> Ad Quaesitum: An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Jubilaeum possit ministrari Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem? S. R. C. (2571) 7. Sept. 1816 respondit: *Affirmative, a tempore ad tempus, quo in illa ecclesia Missae celebrantur, vel ad formam Rubricae vel ad formam Indulti eidem ecclesiae concessi.*

<sup>2)</sup> Mos ministrandi Eucharistiam extra Missam coepit Hierosolymae a

s. Cyrilli temporibus; conflente enim magna advenarum multitudine sacram depositum Eucharistiam, in Ecclesia orientali fieri minime poterat, ut quoties distribuendum esset Sacramentum, Missa celebraretur. Ab ecclesia orientali in occidentalem ea consuetudo manavit. Ita Benedictus XIV.: De ss. Missae Sacrif. Lib. III. cap. 19 n. 1.

<sup>3)</sup> Idem op. c. Lib. III. cap. 18 n. 9.

5. — **Punctum III.** *Ritus* in Eucharistiae dispensatione observandi sunt sequentes:

1. Sacerdos extra Missam communicans fideles habitu decenti i. e. rochetto et stola coloris, qui convenit officio diei (quia proprie intra Missam debet Communio fieri), indutus sit oportet, ita ut grave communiter reputetur peccatum, extra casum necessitatis Communionem distribuere sine ulla veste sacra, veniale si sine stola tantum administretur. Requiritur praeterea lumen, sub veniali.<sup>1)</sup>

In dispensando ss. Sacramento sacerdos uti debet *pollice et indice*, excepto casu extremae necessitatis, quo nempe moribundus esset reficiendus s. viatico et alius sacerdos non posset haberi; quia licet tota manus sacerdotis sit consecrata, tamen pollex et index ex ritu Ecclesiae ad hoc munus sunt peculiariter destinati.<sup>2)</sup>

Si minister inserviens sacerdoti desit, ipse communicaturus, si sit vir, poterit inservire; secus suppleat sacerdos dicenda a ministro. Mulier supplere nequit, nisi sit monialis intra claustrum, juxta morem receptum.<sup>3)</sup>

2. Juxta praesentem disciplinam numquam licet „sine ipsius Ecclesiae auctoritate“ *sub utraque specie* Communionem fidelibus ministrare, Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2.

Non dari possunt *plures particulae* uni communicanti vel *una major* ex quocunque praetextu, quod expresse est prohibitum per Decretum S. Congr. Conc. ab Innocentio XI. die 12. Feb. 1679 approbatum, in quo dicitur: „*Episcopi, parochi seu confessarii admoneant, nulli tradendas esse plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores, sed consuetas.*“<sup>4)</sup>

Illicitum pariter est, laico *dare partem hostiae majoris*, quae in sacrificio adhibetur a sacerdote celebrante, nisi in casu necessitatis, deficientibus hostiis minoribus, quando nempe s. viaticum esset ministrandum moribundo, vel unus alterve Communionem reficiendus non posset sine incommodo expectare, usquedum in alia Missa consecratae sint hostiae minores.<sup>5)</sup> Ceterum in casu,

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. V. n. 241. Similiter veniale est, Eucharistiam sine vestibus sacris de loco ad locum e. g. de altari ad altare transferre. Reuter: Tom. IV. n. 168.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 244.

<sup>3)</sup> Scavini: Tom. III. n. 133, cum aliis.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV.: De ss. Missae Sacr. Lib. III. cap. 20 n. 1.

<sup>5)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 217.

quo inventus non fuerit sufficiens hostiarum numerus et necessitas adsit communicandi, consecratae *dividantur in plures particulas*, quae singulis distribuentur. Haec est consuetudo generalis, confirmata a S. R. C. (2704) 16. Mart. 1833.

3. Non licet verba: *Ecce Agnus Dei* etc. *Domine non sum dignus* etc. dicere idiomate vulgari; nam S. R. C. (2725) 23. Maji 1835 decrevit: *Consuetudinem dicendi in Communione fidelium haec verba idiomate vulgari, omnino esse eliminandam, utpote contrariam Rituali et Missali Romano.*

Communio primum est administranda ministris servientibus, ratione ministerii, S. R. C. (1074) 13. Julii 1658, deinde reliquis ad mensam Communionis, a parte cornu epistolae incipiendo. Si tempore distributionis in proximo altari celebretur et ss. Sacramentum elevetur, sacerdos non genuflectat, sed se vertat ad altare, et erectus cum Ciborio in manibus tantisper subsistat, donec elevatio est peracta.<sup>1)</sup>

Communione distributa<sup>2)</sup> benedictio dari debet fidelibus non Ciborio, sed manu dextera tantum, juxta Rit. Rom. Sic. S. R. C. (2725) 23. Maji 1835. Sed apud nos est usus communis, benedicendi populo *cum Ciborio*, qui absque scandalo et infamiae nota a sacerdote vix omitti posset. Solum ante et post missam defunctorum benedictio omittitur. Porro S. R. C. proposito dubio: An sit servanda vel abolenda consuetudo, quae adest in ecclesiis archidieceos Salisburgensis, a tempore Lutheri invecta et constanter hucusque servata, benedicendi populo cum ss. Sacramento ante sacras functiones et in fine, quoties exponitur, nec non *cum Pyxide post ministratam sacram Synaxim?* respondit: *Nihil esse innovandum.* Die 15. Febr. 1873 n. 3287. Denique expresse toleratur a S. Sede haec consuetudo, Ritualia nostra approbando.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> De Herdt, t. I. n. 272.

<sup>2)</sup> Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit: *O sacrum convivium* etc. *Panem de coelo* etc. Tunc dicit: V. *Domine, exaudi . . Dominus vobiscum . . Oremus. Deus quis nobis* etc. (Tempore paschali: *Spiritus nobis* etc.) Rit. Rom. Versiculi et oratio sunt de praecepto, antiphona ad libitum. S. R. C. (3792) 30. Aug. 1892.

<sup>3)</sup> Semel expresse Rituale Linc. praescribit ritum Rit. Romani, dicens: „Quando ss. Sacramentum vel in hoc vel in alio Altari ecclesiae adorandum expositum est, sacerdos reposito Ciborio in tabernaculo, tantum manu dextera extenta benedicit iis qui communicarunt, dicens: *Benedictio Dei* etc.“

Sacerdos rediens ad altare post fidelium Communionem genuflectere debet, antequam cooperiat Ciborium, et iterum, antequam claudat tabernaculum, Ciborio reposito in tabernaculo. S. R. C. (3116) 23. Dec. 1862.

6. — Si hostia consecrata vel aliqua ejus particula *decidat* in terram, reverenter accipiatur et locus, quo decidit, interim tegatur et postea abluatur; si in vestem aut barbam communicantis decidat, ablutio omitti debet. Locus, quo incidunt *species vini*, semper debet ablui, cum ipsae imbibantur, etsi non opus sit eas comburere.<sup>1)</sup> Quodsi intra clausuram hostia decidat, sacerdote eam per fenestrellam ministrante, monialis poterit patena aut palla eam reverenter tollere et sacerdoti porrigere ab ipso illam receptura.<sup>2)</sup> Si hostia in sinum mulieris recidit, mulier recedat in sacristiam, ut ipsa sacras species inquirat et sacerdoti porrigat atque manus suas, quae hostiam tetigerunt, ipsa lavet ibidem.<sup>3)</sup>

7. — *Ritus pro ministrando ss. Sacramento sapientissime praescripti sunt ab Ecclesia.* 1. Qui namque distributioni praecedunt, optime inserviunt praeparationi proximae ad Communionem, nimirum: *a) Confessio generalis* cum dolore de peccatis, et *absolutio* deprecatoria, quae ex opere operantis producere valet effectum; *b) ostensio ss. Sacramenti* et verba: *Ecce Agnus Dei etc.*, ad innovandam fidem in Christum realiter praesentem, et in memoriam passionis ejus, simul atque ad excitandum desiderium suscipiendi ipsum; *c) verba: Non sum dignus etc.*, ad eliciendum actum humilitatis profundae cum spe fiduciali conjunctae, ad instar Centurionis. 2. Verba, quae in distributione Communionis a sacerdote proferuntur: *Corpus Domini etc.*, vel si infirmus in periculo mortis constitutus communicetur: *Accipe, frater (vel soror), viaticum etc.* significant, hoc Sacramentum non solum alimoniam, sed simul custodiam esse singularem, atque pignus futurae gloriae. *Signum Crucis*, quod in distributione instar benedictionis supra Ciborium formatur, indicat idem esse Corpus, quod cruci affixum erat pro nostra salute, „exprimit etiam benedictiones et gratias, quibus abundat hoc Sacramentum quasque Christus large cupit in nos

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 250.

<sup>2)</sup> Juxta alios monialis communicanda hostiam lingua sumat et locus  
Theologia moralis III.

abluatur, et si nulla est communicanda, tunc hostia modo praedicto tradenda sacerdoti.

<sup>3)</sup> Lehmkühl: Th. m. II. n. 142.

effundere, nisi nostris peccatis praepediatur“, et fit quoque ad benedicendum communicantem, ut devote Sacramentum suscipiat. <sup>1)</sup>

§. 97.

**Modus deferendi ss. Sacramentum ad infirmos.**

1. — Specialia quaedam ex Ecclesiae monitis et praescriptis notanda sunt de Eucharistiae delatione ad infirmos.

Priusquam deferatur hoc Sacramentum ad aegrotantem, parochus jubeat per campanae signum convocari fideles, ut Christum Dominum inter continuas preces clara voce persolvendas vel etiam cereos portantes comitentur ad domum infirmi. <sup>2)</sup> Quem in finem juvabit, parochianos interdum instruere, quod devote comitantes s. viaticum et cereos vel intorticia ferentes lucrantur Indulgentiam 7 annorum et 7 Quadragenarum, comitantes sine lumine lucrantur Indulgentiam 5 annorum et 5 Quadragenarum, impediti si saltem *Pater* et *Ave* ad intentionem Summi Pontificis devote recitant, lucrantur Indulgentiam 100 dierum. <sup>3)</sup>

2. — *Deferre ss. Sacramentum ab ecclesia ad privatas aegrotantium domus sacerdos debet manifeste et honorifice, habitu decenti, rochetto et stola albi coloris (etiam feria 6. Parasceves) indutus, nudo capite, ante pectus cum omni reverentia, semper lumine praecedente. Ita Rit. Rom.*

1. *Manifeste et honorifice* gestari debet ss. Sacramentum. Vel si unquam illud secreto deferendum ad aegrotum videatur, exquirenda erit, ubi fieri potest, episcopi licentia. <sup>4)</sup> S. F r a n c i s c u s S a l e s. curionis partes agens, et Eucharistiae Sacramentum ad catholicos in vitae discrimine positos deferens, ne quid injuriae sacrosanctae Eucharistiae sectarii inferrent, eam gestabat argentea theca inclusam e collo pendulam; ipse interim pileo tectus, pallio circumvolutus, gravi passu, neminem de via salutans, venerandus incedebat. <sup>5)</sup>

2. Sacerdos Eucharistiam gestans et ministrans infirmo *rochetto et stola* indutus esse debet. Sine omni veste sacra eam

<sup>1)</sup> B e n e d. XIV.: De ss. Missae Sacrif. Lib. II. cap. 16 n. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Rituale Rom. de Communionem infirmorum.

<sup>3)</sup> B e r i n g e r: Die Ablässe S. 271, Auf. 12.

<sup>4)</sup> Episcopi vi facultatum quinquennialium id indulgere possunt.

<sup>5)</sup> Bulla Canoniz. Alexand. VII. a. 1666 §. 7.

dispensare, communiter censent esse peccatum grave; id tamen in rarissimo casu necessitatis, ne moribundus absque s. viatico decedat, s. Alphonsus<sup>1)</sup> merito arbitratur permittendum.

*Nudo capite* incedere debet, ob reverentiam Christo Domino debitam. Episcopus autem concedere potest licentiam, obtegendi caput pileolo, ob tempestatis incommoda in itinere prolixiori, sed *extra* oppidum vel pagum tantum. Etenim *intra* civitatem vel pagum cooperto capite Eucharistiam gestare, absque S. Sedis Apostolicae indulto non licet. S. R. C. (1931) 23. Aug. 1695, et alias.<sup>2)</sup>

Potest sacerdos *equitando* deferre Eucharistiam, sed ex episcopi tantum licentia ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. S. R. C. (2908) 23. Maji 1846. Eo magis licet in curru vehi ad ss. Sacramentum aegroto asportandum.

In administranda infirmis Communione non per modum viatici, servandae sunt tam extra quam intra cubiculum infirmi omnes caeremoniae a Rituali praeceptae pro administratione s. viatici, exceptis tantum verbis: Accipe, frater vel soror etc. S. R. C. (3767) 13. Feb. 1892.

3. — Quaeritur: *An intra Missam e. g. in nosocomiis s. viaticum infirmis ministrare liceat?* Respondit S. R. C. (2672) 19. Dec. 1829, si celebrans pro administratione s. viatici intra Missam altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere. Hinc etiam ex Decr. ejusd. Congr. (3099) 24. Martii 1860 non licet sacerdoti in sacello valetudinarij celebranti post Communionem deferre in patena particulas et pergere ad cellulas infirmorum, ut eis Communionem praebet aut aliquando etiam viaticum, sed debet id praestare post Missam, et fragmenta, si adsint, reponere in pyxide, quae in tabernaculo servatur.

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 241.

<sup>2)</sup> Sanctitas Sua indulget, ut sacerdotes s. viaticum delaturi infirmis *in dioecesi Coloniensi* incedant tempestate praesertim hiemali, capite laneo pileolo oblecto, qui exigente necessitate esse poterit talis amplitudinis, ut aures etiam cooperiat. Die 13. Nov. 1862.

Simile concessum est die 14. Jan. 1888 sacerdotibus archidioecesis Vindobonensis, excepto gressu intra civitatem vel oppidum. — Noveram tamen presbyterum, qui propter calvitium etiam intra civitatem ex indulto Apostolico caput pileolo contactum habere poterat, decenter vero pro pileolo biretum gestabat. (Editor.)

Si Communio, observata conditione, de qua modo supra, tamquam viaticum intra Missam infirmis detur, id etiam paramentis nigris in Missa de *Requie* fieri potest. S. R. C. (2672) 19. Dec. 1829; ex Decr. gener. (3177) 27. Junii 1868 etiam immediate ante et post talem Missam.

### C. De sumptione ss. Eucharistiae Sacramenti.

#### §. 98.

#### Obligatio Communionis.

1. — Sacramentum Eucharistiae non est necessarium necessitate mediæ ad salutem *quoad realem susceptionem*. Quae assertio est de fide, definita a Conc. Trid. Sess. 21. can. 4, et Sess. 13. can. 9. Dixi: *quoad realem susceptionem*, si multi quidem Theologum cum s. Thoma<sup>1)</sup> docent, Eucharistiam *in voto* esse necessariam necessitate mediæ ad salutem, quia Eucharistia est „quasi consummatio vitae spiritualis et omnium Sacramentorum finis, ideoque alia Sacramenta ad illam ordinantur“. Idem tradit Catechismus Romanus: „*prima etiam gratia nemini tribuitur, nisi hoc ipsum Sacramentum desiderio et voto percipiant. Est enim omnium Sacramentorum finis etc.*“<sup>2)</sup> Porro „adulti tale votum habent, dum Sacramenta Baptismi vel Poenitentiae suscipiunt; voluntas enim ipsorum omnia praecepta implendi, hoc etiam praeceptum Eucharistiae saltem implicite comprehendit; parvuli autem votum habent ex voluntate implicita Ecclesiae, quae parvulis applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi Baptismum.“<sup>3)</sup> Hanc sententiam eo libentius laetiusque amplector, quo est ad majorem laudem ss. Sacramenti, quod laudare nemo sufficit.

2. — Realis susceptio Eucharistiae omnibus adultis necessaria est necessitate praecepti divini, quod constat ex verbis Christi: „*Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*“. Joan. 6, 54.

1) Summa Theol. 3. q. 73 a. 3.

2) P. II. cap. 4 q. 48.

3) Ita s. Alph. Lib. VI. n. 192.

Ex hac doctrina nonnulli explicant, quo sensu s. Augustinus: Lib. I. contra duas epist. Pelag. cum

Innocentio I. dixerit, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis et Sanguinis Christi; id enim intelligendum esse dicunt de sumptione Corporis Christi *in voto*, cum Baptismus suscipitur.



Hoc praecipuum obligat 1. *per se*: a) in articulo seu periculo mortis, ut hujus Sacramenti vigore confortati ex hujus miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, Conc. Trid. Sess. 13. cap. 8; b) saepius in vita, quia Eucharistia est cibus spiritualis, quo saepius anima nutriri et refici debet, non secus ac corpus cibo materiali. Christus tamen non ipse tempus susceptionis iterandae determinavit, sed Ecclesiae suae determinandum reliquit. Et Ecclesia singulis annis saltem in paschate fideles omnes communicare jubet.

Idem praecipuum obligat 2. *per accidens*, etiam saepius in anno, si Eucharistia necessaria sit ad superandas graves tentationes, praesertim luxuriae, ad cavendum relapsum in vitium consuetum. In quo autem casu omittens Communionem non peccat contra ejusdem praecipuum, sed peccat contra virtutem, quam tentationibus succumbendo, in vitium relabendo violat.<sup>1)</sup>

### I. Praeceptum Communionis paschalis.

3. — Praeceptum hoc datum est in Conc. Later. IV cap. *Omnis*, et confirmatum in Conc. Trid. Sess. 13. can. 9, ubi dicitur: „*Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum juxta praecipuum s. matris Ecclesiae, anathema sit.*“ Quod praecipuum quoad substantiam est divinum, ut supra innuimus, et tantum quoad temporis determinationem est ecclesiasticum. Sed explicatius expendere oportet, *quis, quando et ubi* communicare debeat.

4. — Jam vero 1. *omnes fideles* Communionem suscipere debent, etiam *pueri*, qui sufficienter instructi eam reverenter et devote suscipere valent. Regulariter obligatio haec (extra mortis periculum) incipit a 9. vel 10. anno, et differenda non est ultra 12. vel 14. annum. Citius obstringuntur, qui maturius sunt praeparati.<sup>2)</sup> „Cavendum, ne tardius, quam oportet, differatur prima Communio, qua impetui libidinum occurrere expedit.“<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 295. Quum enim Eucharistia tunc suscipienda est ratione praecipui tentationem superandi, omissio non est peccatum distinctum ab eo, quod committitur succumbendo tentationi.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 301, Dub. 1.

<sup>3)</sup> *Concil. Prov. Auscitanae* (in Gallia) a. 1851 Tit. III. cap. 1 §. 3 n. 81. (Collect. Lacens. Tom. IV pag. 1186).

2. Suscipienda Communio est *singulis annis, saltem tempore paschali*, quod ex declaratione Eugenii IV. in Bulla *Fide digna* a. 1440 incipit a Dominica Palmarum et terminatur Dominica in Albis. Possunt autem episcopi vi facultatis ab Apostolica Sede concedi solitae tempus illud plus minusve prolongare pro locorum necessitate. Annus obligationis juxta consuetudinem communem a paschate ad pascha computari solet.<sup>1)</sup>

Qui incoepo tempore paschali praevidet, quod postea non poterit communicare, tenetur statim; non autem ante tempus paschale obligatur, si praevidet, quod non poterit communicare tempore paschali. Et qui ante tempus paschale ob impedimentum praevium suscepit Sacramentum, quamquam cum intentione satisfaciendi praeepto, adhuc cessante impedimento tenetur communicare tempore paschali.<sup>2)</sup> Cf. Lib. I. §. 64 n. 5.

Qui tempore praescripto Eucharistiam sumere omisit, debet postea ad eam accedere, quamprimum poterit; quia tempus assignatum est non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem, quod colligitur ex verbis Concilii Trid. *singulis annis, saltem in paschate*.<sup>3)</sup>

Qui ultimis diebus temporis paschalis consuetudini pravae vel occasioni proximae implicatus accedit ad confessionem indispositus, istum confessarius non tenetur absolvere ob necessitatem sumendi ex praeepto Eucharistiam, *tum* quia juxta Conc. Later. IV. ex judicio sacerdotis potest communio paschatis differri,<sup>4)</sup> *tum* quia per confessionem et communionem sacrilegam non satisfit praeepto.

3. *In propria ecclesia parochiali* Communio sumenda est, et si in aliena ecclesia suscipitur, a proprio pastore aut a sacerdote ex licentia saltem certo praesumpta proprii parochi vel episcopi. Peregrini in quacunque ecclesia praeepto Communionis paschalis satisfacere possunt.

Concilium Prov. Vienn. 1858 Tit. II cap. 6 desuper sic loquitur: — „*fideles admonendi sunt, ut non omittant, juxta s. Concilii Later. decreta Communionem paschalem a proprio parochi vel ejus delegato suscipere. Ubi autem legis saluberrimae observantia sine animarum periculo urgeri non possit, episcopus*

1) S. Alph. Lib. VI. n. 296.

2) Idem n. 297.

3) Idem. l. c.

4) Dicit enim Concilium hoc: „*Nisi*

*forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinentum.*“

*permittat, ut fideles etiam in alia quam parochiali eorum ecclesia Communionem paschali reficiantur.*"

5. — Juxta Concil. Later. IV. can. 21 ille, qui non confessus est saltem semel in anno vel tempore paschali non refectus est Eucharistia, *vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, moriens christiana careat sepultura.* Quae tamen poenae non sunt latae, sed ferendae sententiae; quapropter parochus, quum jurisdictione in foro externo careat, eam alicui inferre nequit nisi Ordinario jubente. Inspiciendae etiam in hac re sunt speciales dioecesium constitutiones.<sup>1)</sup>

Concilium Prov. Vienn. Tit. IV cap. 14 dicit: „*Sepultura ecclesiastica denegetur iis praeterea, de quibus publice constat, quod non susceperint semel in anno Sacramenta confessionis et communionis, et absque ullo contritionis signo obierint.*“

## II. Praeceptum s. viatici.

6. — Numquam magis urget Communionis praeceptum, nec ea magis indigemus, quam in mortis periculo, in quo maximae tentationes et difficultates deprimere animam solent, et ultima lucta imminet cum hoste maligno. Accuratius indicandum est, *quando et a quo* suscipi (ideoque *cui* ministrari) debeat s. viaticum.

7. — **Regula I.** *Obligatio est, suscipiendi ss. Sacramentum in quovis probabili mortis periculo, prout in gravi morbo, instante proelio, difficili partu, periculosa navigatione, capitali supplicio.*

Non eximitur a lege recipiendi s. viatici, quicumque seu devotionis causa seu ut praeceptum paschale impleret, Corpore Domini sumpto *post paucos dies* in morbum gravem inciderit.<sup>2)</sup>

De quaestione, *an dari possit vel debeat s. viaticum ei, qui sanus manens Eucharistiam suscepit, et eodem die in mortis periculum incidit*, alii aliter sentiunt;<sup>3)</sup> quare Benedictus XIV. concludit: *In tanta opinionum discrepantia integrum erit parochis, eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit.*<sup>4)</sup> Consequenter denegari nequit in tali casu panis angelicus illi, qui eodem refici desiderat. Concil. Prov. Auscitanæ (in Gallia) a. 1851 Tit. III §. 3 n. 83 absolute dicit: „*Sacratissimo viatico nec illi priventur, qui recenter*

<sup>1)</sup> Elbel: De Euch. Sacr. Conf. 15 n. 343. S. Alph. n. 295: „Haec poena non incurritur, nisi post sententiam.“

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 285, Dub. 2.

Conc. Prov. Remens. a. 1849 Tit. VII cap. 3. (Coll. Lac. Tom. IV pag. 117.)

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph. n. 285, Dub. 3.

<sup>4)</sup> De Syn. dioec. Lib. IV. cap. 11.

*et etiam eadem die communicaverint, si in periculum mortis incidant.*"<sup>1)</sup> Verum qui jam aegritudine aliqua laborans mane ex devotione communicavit vel Missam celebravit, instante proximo mortis periculo ss. Sacramentum per modum viatici eodem die sumere nequit; quia deest ratio sufficiens, bis eodem die communicandi, cum mortis periculum jam existeret in illa aegritudine, quamvis ignoratum.<sup>2)</sup>

8. — *Iterari potest, imo et debet s. viatici ministratio, quamvis infirmus non possit manere jejunus; et hoc non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret. Est vera et communis doctrina, quam confirmat Benedictus XIV. dicens: „Episcopus insinuet parochis, posse et debere viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrare, praesertim si aegrotus exposcit; et si velit, poenam decernat in parochos, qui aegrotis devote postulantibus iterum ac tertio Eucharistiam deferre detrectent falsis praetextibus.“*<sup>3)</sup> Haec est praxis communis Ecclesiae, ait Elbel.<sup>4)</sup> Utinam etiam apud nos esset communis! Praeaeant sacerdotes laicis pio exemplo; non enim, recte inquit Scavini,<sup>5)</sup> sine fidelium offensione esse potest, si sacerdotes per longius tempus infirmi vel raro communicent vel forsitan nonnisi in extremis viaticum et Unctionem suscipiant!

Quoties infirmo non jejuno in morbo periculoso post s. viaticum communicare liceat, semel vel saepius (in hebdomade, etiam singulis diebus, prudentiae pastoris animarum relinquendum videtur, qui locorum circumstantias et personarum devotionem ac spiritualem necessitatem respiciat. Certe infirmi sacerdotes et religiosi, et qui sunt in Seminariis et nosocomiis, saepius quam alii communicare poterunt, ob minorem rei difficultatem.<sup>6)</sup>

9. — Hic opportunum est notare, quod Rituale Romanum (de Communionem infirmorum) proponit: Hortetur parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non aegrotet aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicujus celebritas

<sup>1)</sup> Collect. Lacens. Tom. IV pag. 1186.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. n. 285, Dub. 3.

<sup>3)</sup> De Syn. Lib. VII. cap. 12 n. 5. Vid. etiam s. Alph. n. 285, *Quaeritur.*

<sup>4)</sup> De Euch. Sac. Conf. 15. n. 362.

<sup>5)</sup> Tom. III n. 211.

<sup>6)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 285, Dub. 1. Praeclare hanc quaestionem pertractat Jung S. J.: Über die öftere Communion der Kranken, in eph. Zeitschrift für kath. Theol. Innsbr. 1880. S. 717—731.

id suadeat, sed omnino jejunos, ita ut nec per modum medicinae ante aliquid sumere liceat. Laudatur s. L u d o v i c u s B e r t r a n d u s in Bulla Canoniz. a Clemente X. celebratae a. 1671 §. 20, quod infirmis Sacramentorum frequentiam suadere consuevit, saepe repetens, haec divina mysteria non solum animae, sed etiam corporis non raro salutem operari. Indultum quoad habitualiter infirmos vid. §. 176 n. 6.

10. — **Regula II.** *Sacro viatico reficiendi sunt omnes sufficienter dispositi, qui illud reverenter suscipere possunt.* Hinc praëberi potest et debet Communio *pueris* in periculo mortis constitutis, quamvis ad s. synaxim nondum admissi fuerint, si rationis sint compotes et cibum coelestem a cibo materiali discernere valeant; quia ex una parte pueri in tali necessitate tenentur ex praecepto divino communicare, et ex altera parte prolixior instructio impossibilis est. Hinc animarum curatores hujusmodi parvulos infirmos quoad absolute necessaria instruere et praeparare tenentur, quod brevissime et facillime fieri potest. Graviter peccant, qui parvulis usum rationis habentibus s. viaticum denegant, eo quod hactenus nondum communicaverint vel integram hujus Sacramenti doctrinam nesciant.<sup>1)</sup>

Num *amentibus, semifatis, mutis et surdis, phreneticis et epilepticis, capite damnatis* ministrari possit vel debeat s. viaticum, constat ex doctrina de subjecto Eucharistiae supra §. 95 n. 4 exposita. Haec tantum adjicienda sunt:

Qui *ex infirmitate continuo a mente aberrant*, a sacro viatico suspendantur, donec forte sui compotes reddantur. Destituti sensibus, qui prius Sacramenta petierunt, in articulo mortis ss. Sacramento muniri debent, dummodo absit periculum cujuscunque irreverentiae et procul sit timor, ne hostiam deglutire nequeant. Quo in casu consultum est, minorem hostiae partem infirmo dare et statim paululum aquae porrigere.

Iis, qui videntur *in statu peccati sensibus destituti esse*, dari non debet viaticum, nisi signo externo probabili mutationem animi ostenderit.<sup>2)</sup>

Infirmus, qui identidem *vomitu, sanguinis ejectione, tussi continua* vexatur vel ex stomacho *cibos indigestos statim ejicit*, viaticum

<sup>1)</sup> Bened. XIV. De Syn. Lib. VII. cap. 12 n. 3. S. Alph. Lib. VI. n. 301, Dub. 2. Goussset: V. II n. 233.

<sup>2)</sup> Vid. Lehmkuhl: Vol. II. n. 146.

suscipere nequit; si vero malum per unam alteramve horam intermittatur, illud infirmo ministretur. In dubio experimentum fiat, periclitanti modicam aquam dando.

In casu, quo *infirmus sacras species ejecerit*, observa: 1. Si species ejectae adhuc *integrae* appareant, sollicite colligantur in vase mundo et in ecclesiam deferantur, ubi in loco decenti ac tuto repositae relinquuntur corruptioni, ac postea in aqua dissolutae in sacrarium mittantur. 2. Si species ita sint *sordibus permixtae*, ut accurate discerni nequeant, quidquid fuerit ejectum stuppis colligatur et comburatur, cineribus in piscinam projectis.

11. — Prohibitum est alicui infirmo, qui ob quamcunque aegritudinis causam s. Sacramentum sumere nequit, ad adorandum solum illud deferre. Ita Ritual. Rom.

\* S. A l p h o n s u s: Theol. mor. Lib. VI. n. 290—303, n. 285.

### §. 99.

#### Ante et post Communionem observanda.

1. — Instruendi, admonendi, excitandi sunt fideles, ut ea qua par est, corporis et animae praeparatione ad Communionem accedant.

2. — I. *Praeparatio corporis* in duobus sita est: in jejunio naturali et munditiae morali nec non exteriori.

Quod attinet *jejunium naturale*, jam supra §. 38 n. 1 et 2 explanatum est, in quo consistat et quibus modis frangatur. Pari-terque ex dictis §. 98 n. 8 liquet, quod *non jejunus* licite potest communicare in mortis periculo *ad suscipiendum s. viaticum*, etiam iteratis vicibus. Nec requiritur certitudo moralis de mortis periculo, sed sufficit dubium fundatum seu probabilitas de illo; et generatim hac in re non est scrupulose procedendum, sapienter ait s. Alphonsus,<sup>1)</sup> ne forte contingat, infirmum tanto Sacramenti bono privatum decedere.

Infirmis, qui *extra mortis periculum* communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet. Ab hac lege jejunii universali non nisi Romanus Pontifex dispensationem indulgere potest, qui tamen raro solet de facto eam impertire, praesertim quoad Communionem privatam, non

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 285.

publicam, ut Benedictus XIV. in Brevi d. 24. Martii 1756 tradit et exemplis ostendit.<sup>1)</sup>

Licite autem datur infirmo vel etiam sano haustus aquae vel vini, ut deglutire possit hostiam, quae ori adhaeserit, etsi forsitan fluidum ante sacram speciem in stomachum venerit; hoc enim non obstat jejunii legi, quae praecipit, ut ante Communionem nihil sumatur.<sup>2)</sup>

Ceterum si infirmus, cujus morbus non est periculosus sed diuturnus, non valet jejunium naturale usque ad horam consuetam Communionis servare, poterit ei s. synaxis ministrari *summo mane* vel etiam *post mediam noctem*, ad praeceptum paschale implendum, imo etiam pluries in anno; quia durum et ab Ecclesiae benignitate alienum videtur, ut aegrotans, praesertim Communioni assuetus per longius tempus vel integrum annum cibo coelesti careat, eo solum, quod non potest solemniter, ut die fieri solet, ss. Sacramentum ad ipsum deferri. Eo facilius et frequentius nocturna Communio aegrotantis, qui usque mane cibo vel potu abstinere nequit, in monasteriis et Seminariis permitti potest, ubi ss. Sacramentum in sacellis asservatur et nihil reverentiae in ejus delatione ad infirmum desideratur.

3. — *Mundities corporis*, eaque *moralis*, consistit in eo, quod accessurus ad sacrum convivium liber sit ab omni sorde venerea. Quoad pollutionem vide tradita §. 38 n. 4, eadem valent de Communionem fidelium. In hac re confessarius caute et modeste agat

<sup>1)</sup> Innocentius XIII. concessit Romanorum reginae Elisabeth Christinae facultatem sumendi ss. Sacramentum etiam post degustatum cibum, quo die in Bohemiae reginam ungi solemniter et coronari debebat, ita exposcente imbecilli ejusdem valetudine. Simile indultum alii Pontifices aliis regibus vel imperatoribus pro die solemnem coronationis concesserunt. Quae dispensationes tamen pertinent ad *publicam Euch. susceptionem*, cujus neglectus admirationem secum tulisset et scandalum. Sed Julius III. dispensavit imperatorem Carolum V. ratione corporalis imbecillitatis, ut post sumptum modicum jentaculum posset *privatim* sumere Eucharistiam; ex eadem ratione ac

eundem in finem Benedictus XIV. in praedicto Brevi Britanniae regem Jacobum III. dispensavit. — Nec desunt hodie exempla dispensationis, qua chronice infirmis conceditur aliquod per modum potus sumere ante Communionem. Imo S. C. Inq. 7. Sept. 1897 declaravit, „verba *per modum potus* ita intelligenda esse, ut liceat sumere jusculum, cafaeum aliosque cibos liquidos, quibus mixta sit aliqua substantia e. g. condita farina, fricatus panis etc., dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi.“ Cf. Génicot: Vol. II. n. 202.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV. De Missae sacrif. Lib. II. cap. 22 n. 1. S. Alph. Lib. VI. n. 228, *Dicunt*.

cum poenitentibus, praesertim juvenibus, ne eos de hujusmodi miseriis sine ansa interroget, nec ipse interpellatus eosdem a Communionem arceat, quos ab omni foeditate abhorreere cognoscit.

Ad *usum conjugii* quod attinet, a) redditio debiti non obstat Communioni, quia est actus justitiae, ideoque honestus; mulier autem, si rarius communicet, precibus maritum inducere nitatur, ut desistat in honorem ss. Sacramenti; ipsi autem reluctanti debitum reddere et nihilominus communicare poterit. b) Petitio debiti ob honestos conjugii fines non impedit Communionem, quamvis consilium sit, Communionem differre; petitio debiti sola voluptatis causa, quum jam per se sit culpa venialis, eo magis reprobanda est ante Communionem, et accedens ad s. synaxim peccaret venialiter, nisi excusaretur per causam rationabilem, qualis e. g. esset scandalum vitandum, specialis devotio, magna solemnitas, Indulgentia plenaria lucranda. — Die autem, qua conjux ss. Sacramentum jam susceperat, debitum reddere, nullum est peccatum, imo petere etiam nulla lege prohibetur, quamvis abstinere sit salubre pietatis consilium.<sup>1)</sup> — Certe in primitiva Ecclesia christiani quotidie communicabant, quamvis conjugati essent.

Menstruum, fluxus sanguinis, et quaecunque alia sit corporis miseria, dignam Eucharistiae susceptionem non impediunt.

4. — Morali corporis munditiei consocianda est *mundities exterior*, decentia, modestia, de qua verba facere supervacaneum foret.

Congruum est, ut milites depositis armis ad Eucharistiam suscipiendam accedant, quamvis nulla lege adigantur.<sup>2)</sup>

Sacerdos, quando more laicorum communicat, stola debet esse indutus, ex praescripto Ritualis Romani. Et Glossa in cap. ecclesiast. 9 dist. 9 habet: „Idem dicendum est, si sacerdos est communicaturus in aegritudine.“

5. — II. Quantum ad *praeparationem animae* imprimis *status gratiae* requiritur. Quare nemini ad s. mensam sine gravi sacrilegio adire fas est, nisi conscientiam ab omni peccato gravi illibatam habeat aut, si culpae mortalis sibi conscius sit, confessionem sacramentalem praemittat, quantumvis sibi contritus videatur. Conc. Trid. Sess. 13. cap. 7. Hinc Ecclesia (in festo s. Aloysii) orat: „*Coelesti convivio fac nos, Domine, nuptiali veste indutos*

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 273, 274  
et 922.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 275.



*accumbere* etc.“ Qui dubitat, an graviter peccaverit nec ne, licite potest ad Communionem accedere, praemissa contritione (ut tutius fructum Sacramenti percipiat); quamvis omnino sit consulenda confessio.<sup>1)</sup>

Insuper ut hoc ss. Sacramentum totam vim suam exserat in animam, opus est, ut *nullus affectus ad venialia peccata* in voluntate habeatur. Qui cum actuali vel virtuali affectu peccandi venialiter ad Communionem accedit, vel in ipso actu Communionis peccatum veniale committit, venialiter peccat contra reverentiam ss. Sacramenti, sed omni fructu Sacramenti non privatur.<sup>2)</sup> Peccata venialia *ex infirmitate* etiam saepius admissa, sed mox detestata, effectum hujus Sacramenti nullo modo impediunt, nec obstant Communioni etiam multum frequenti, cum haec potius sit infirmitatis nostrae remedium et auxilium.

Poenitens, *qui recordatur peccati mortalis ex inculpabili oblivione in confessione omissi*, potest communicare, si absque gravi incommodo nequeat ante Communionem denuo confiteri vel Communionem differre. Et idem valet, saltem *probabilius*, quamvis poenitens sine gravi incommodo possit ante Communionem peccatum omissum confiteri vel Communionem differre. Nimirum peccatum inculpabiliter reticatum est vere cum ceteris peccatis accusatis remissum, etsi tantum indirecte, et sufficit illud accusare tempore, quo iterum fiet confessio sive ex praecepto sive ex devotione, ut directe remittatur. Consulendum tamen est, illud peccatum confiteri ante Communionem, si commode fieri possit.<sup>3)</sup>

Piam communicandi methodum egregie tradunt s. Franciscus Salesius in opere: *Philothea* P. II cap. 21, et s. Alphonsus in opere: *Sponsa Christi* P. II.

6. — Congruum est post Communionem per aliquod tempus abstinere ab *exspuendo*, quamvis plerique dicant, nullum esse peccatum exspuere, si nullum hostiae fragmentum in ore amplius remanserit.<sup>4)</sup>

Statim post Communionem *manducare* vel *bibere*, excepto casu necessitatis, a culpa veniali excusari nequit; decet enim.

<sup>1)</sup> S. Alph.: H. A. Tr. 15 n. 34.

<sup>2)</sup> Idem Lib. VI. n. 270. S. Thom. Summa Theol. 3. q. 79 a. 8 dicit: *Per peccata venialia, actu etiam exercita, impeditur actualis refectio spiritualis dul-*

*cedinis, non autem tollitur augmentum habitualis gratiae vel caritatis.*

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 257.

<sup>4)</sup> Idem n. 283.

propter reverentiam Sacramenti, ut aliqua mora inter ejus sumptionem et cibum potumque materiale interponatur, saltem usquedum species sacrae sint consumptae, ad summum per unum quadrantem.<sup>1)</sup>

7. — **Conclusio practica.** Vult Rituale Romanum, ut parochus populum saepius admoneat, qua praeparatione ad tam divinum Sacramentum debeat accedere. Quam maximam autem diligentiam, ut *Concil. Prov. Burdigal.* a. 1850 Tit. III cap. 4 instat, quilibet animarum rectores impendant in disponendis ad *primam Communionem* parvulis, „cum ex primo ad sacram synaxim accessu saepius pendeat totius vitae ratio, ipsaque ideo aeterna salus.“<sup>2)</sup> Vere *Concil. Prov. Auscitanae* a. 1851 Tit. III cap. 1 §. 3 n. 81 ait: „*Nihil pastorali cura dignius quam puerorum ad primam Communionem praeparatio.*“<sup>3)</sup> Et *Concil. Prov. Vienn.* a. 1858 Tit. III Cap. 6 praescribit: „*Pueri antequam ad mysterium fidei admittantur, diligenter instituantur et praeparentur. Prima eorum Communio, quo solemniori fieri poterit modo celebretur, ut animis integris adhuc alte imprimatur Sacramenti majestas et sanctitas.*“ Insuper Leo XIII. pueris dioecesis Viennensis, qui solemniter prima vice ad s. synaxim accedant, Indulgentiam plenariam sub consuetis conditionibus concessit die 31. Jan. 1888.<sup>4)</sup>

\* S. Joannes Chrysost.: Homil. 82 in Evang. Matth. Hom. 46 in Evang. Joan. In epist. 1 Cor. Homil. 24 et Homil. 28. S. Augustinus: In Evang. s. Joan. Tract. 26 n. 11 et seq. S. Gregorius M.: In Evang. Lib. II. Homil. 22 n. 7 et seq. S. Bernardus: Sermo 1 in festo Paschatis n. 16 et seq. S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 80 a. 1, 4, 5, 7 et 8. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 225—289. S. Francisc. Sales.: Philothea P. II cap. 21. *Catechismus ad parochos* P. II cap. 4 q. 54—56.

## §. 100.

### Frequens Communio in populo christiano prudenter promovenda.

1. — Prisci fideles consueverant quotidie Missae adstantes Communionem accipere, quod discimus ex Act. 2, 42, ex s. Justino,<sup>5)</sup> s. Cypriano<sup>6)</sup> aliisque scriptoribus. Postea languescente pietatis spiritu lex ab Ecclesia lata est, ut saltem ter quotannis, in Natali Domini, Paschate et Pentecoste omnes ad mensam Domini acce-

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 225.

<sup>2)</sup> Collect. Lacens. Tom. IV p. 659.

<sup>3)</sup> In Coll. Lacensi Tom. IV p. 1186.

<sup>4)</sup> Wiener Diöcesanblatt 1888 n. 6.

<sup>5)</sup> Apolog. 1 ad imperat. Antoninum.

<sup>6)</sup> In explicat. Dominicae Orationis.

derent. Verum res postmodum eo devenit, ut non modo salutaris haec praescriptio non servaretur, sed in plures etiam annos Eucharistiae susceptio differretur; quapropter Concil. Later. IV. statuit, ut omnes fideles ad minus singulis annis in Paschate sanctissimum Domini corpus acciperent.<sup>1)</sup> Continuum autem Ecclesiae votum est, signanter in Conc. Trid. Sess. 13. cap. 8 et Sess. 22. cap. 6 expressum, ut frequenter, imo etiam quotidie, fideles panem vitae suscipiant. Et hoc votum sponsae Christi est desiderium ardens ipsius sponsi, Domini nostri, sic nos paterno affectu invitantis: „*Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*“ Quid vero, ait piissimus Rigler,<sup>2)</sup> si sacerdos omnino contraria sentiens Communionem frequentem, etiamsi quotidianam, auderet universim aut publice criminari? Is non Christi et Ecclesiae, sed diaboli esset minister et servus mundi, cui sic placere cupit.

Absit igitur zelus a spiritu Christi alienissimus Jansenistarum, qui non tantum peccatores tamdiu excludunt, donec illorum emendatio omnibus numeris absoluta fuerit, sed ipsos etiam justos retrahunt sub pietatis simulatae praetextibus; quasi divinus Salvator pro Angelis et non pro hominibus, atque non tamquam medelam nostrae infirmitatis mediumque acquirendae virtutis, sed veluti praemium et mercedem perfectionis jam acquisitae hoc Sacramentum instituisset.

Sapienter *Concilium Prov. Burdigal.* a. 1850 Tit. III cap. 4 n. 4 haec ab omnibus animarum curatoribus attendenda proponit: „*Parochi igitur, et qui ad divini verbi praedicationem aut directionem animarum adsciscuntur, fidelibus persuadere nitantur, nihil esse animae utilius, nihil ad sancte vivendum efficacius, nullumque modum excogitari posse aptiorem et compendiosiore, quo apostolica facies Ecclesiae nostro saeculo redeat, quam frequentem Communionem.* Exponent sane et requirant dispositiones debitas ad communicandum; sed *declinent ab hac nimia verborum austeritate, quae accedentium gregem, jam adeo pusillum, arcere posset.* Non equidem tacebunt, quod terreat indignos; *lubentius tamen proferant, quod alliciat bene dispositos.*“<sup>3)</sup> Concilia Provincialia temporis recentissimi omnia urgent frequentiam Communionis.

2. — Quoties fideles admittantur ad Communionem, iudicio confessoriorum est relinquendum, qui pro conscientiae

<sup>1)</sup> Luctuosum aevi illius statum Innocentius III. in Serm. 1 ad Patres ita describit: „*Perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, justitia conculcatur, haeretici pullulant, insolenscunt schismatici, perfidi saeviunt, praevalent Agareni etc.*“

<sup>2)</sup> Pastoralis liturgia §. 203 Not. 9 pag. 61.

<sup>3)</sup> Collect. Lacens. Tom. IV pag. 570. Fere eadem habet *Conc. Prov. Remens.* a. 1849. Tit. VII. cap. 5. Ibid. pag. 118.

puritate et Sacramenti frequentati fructibus et in pietate progressu id, quod singulis magis profuturum existimant, praescribere debent, prout in Decreto Innocentii XI. *Cum ad aures*, a. 1679 edicatur.

Juxta s. Alphonsum, aliosque probatissimos auctores sequentia possunt normae instar inservire:

1. *Communio menstrua* consuli potest, imo debet omnibus, ut Deo devote serviant; et sufficit dispositio, quae pro omni digna et fructuosa Communionem necessaria est.

2. *Communio in alternas hebdomades repetita*, etiam *hebdomadaria*, imo quandoque *frequentior* concedi potest iis, qui versantur in periculo peccandi mortaliter, ut vires recipiant ad resistendum tentationibus; quia hoc Sacramentum est antidotum, quo a peccatis mortalibus praeserventur.<sup>1)</sup> — Ordinarie *Communio hebdomadaria* permitti, imo et consuli potest iis, qui in tali periculo non existunt, attamen voluntatem venialibus peccatis inhaerentem habent; ut pane angelico confortati vitia levia pedetentim extirpent, et in sancto Dei timore ac amore crescant. Si vero in istis *nulla emendatio nec emendationis desiderium* appareat, expediens erit Communionem aliqua hebdomada eis subtrahere, ut majorem peccati horrorem ac reverentiam erga ss. Sacramentum concipiant; imo illis sicut aliis recidivis aliquando absolutionem differri oportebit.

3. *Communio pluries in hebdomada* permitti aut etiam consuli iis potest, qui licet debiles, officia tamen sua conscientiose adimplent, pietati student nec in culpas deliberatas saepius labuntur.

4. *Communio quotidiana* concedenda est iis, qui alieni sunt ab affectu in peccata venialia, et si ex fragilitate ceciderint, cito postea dolent et emendationem proponunt, generatim qui sincero studio et jugi conatu in christianam perfectionem tendunt. Expediunt tamen iis semel, et aliquando etiam saepius in hebdomade, Communionem subtrahere. Porro videndum etiam est, quae sint

---

<sup>1)</sup> Et in Postcomm. dominicae XXIV. post Pentecosten Ecclesia orat: *ut quidquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti curetur.* S. Philippus Neri maxime remedio frequentis Confessionis et Communionis usus est pro recidivis

sanandis. Toletus (Instruct. sacerdot. Lib. VI. cap. 19) scribit: „*Experimur multos variis peccatis et gravissimis irritos ex frequenti Communionem et sic esse ad dominum conversos, ut non peccasse videantur.*“

personarum et locorum adjuncta. Si qui enim Eucharistiam frequentare nēqueunt, quin officiis sui status desint, aut domesticam pacem perturbent, aut ob curam oeconomiae ab ecclesia mox discedant, murmur populi excitent, an illorum accessus multum frequens ad s. mensam Domino placebit? <sup>1)</sup> Aliud dicendum, si personae vere piaē per duos vel tres dies festos continuos vel una alterave vice per hebdomaden communicare exoptant.

Generatim quoad Communionem multum frequentem *discreta directione* poenitentium opus est, praecipue si sint mulieres, ne forte ex motivo impuro e. g. ad alios aemulandos, ad pietatis opinionem sibi conciliandam crebro communicent, vel ex crassa ignorantia et stupiditate ss. Sacramento abutantur aliisque scandala praebent, vel vitiis suis e. g. odiosa loquacitate, durius alios tractandi et iudicandi more, neglectione officiorum status sui, populi offensionem pariant et frequentiam Communionis in despectum adducant. Pharisei non nascuntur, sed fiunt.

3. Quoad moniales et instituta virorum laicorum Leo XIII. in decreto *Quemadmodum* 17. Dec. 1890 praescripsit, „permissionem vel prohibitionem ad s. synaxim accedendi, dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem Communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patrauerit, donec ad poenitentiae Sacramentum denuo accesserit. — Monentur hinc omnes, ut ad s. synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiore reddere superiorem teneatur; quodsi hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas confessario manifestare teneatur, cujus iudicio acquiescendum omnino erit.“

Ad dubium inde exortum, quod frequentiore ad s. synaxim accessum quam diebus statutis in propriis regulis respicit, S. Congr. Ep. et Reg. die 17. Aug. 1891 respondit: *abrogatas censendas esse Constitutiones, quibus vetatur, ne moniales sive religiosi s. Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies.*

<sup>1)</sup> Cf. Riegler: Pastoral. liturg. pag. 59 Not. 3. Bolsani 1869.  
Theologia moralis III.

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 80 a. 10 (utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere). S. Bonaventura: In IV Lib. Sent. Dist. 12 a. 2 q. 2 (distinguit caritate ardentem, frigidos, et qui medio modo se habent). S. Alphonsus: Praxis confessarii cap. 9 § IV n. 149—155. Homo Apostol. Append. I n. 29—36. Vertheidigung der oftmaligen Communion (Katechet S. 227—258). Regensb. 1844. S. Franciscus Sales.: Philothea P II c. 20.

### §. 101.

#### Communio spiritualis.

Concilium Trid. Sess. 13. cap. 8 dicit: „Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt *sacramentaliter duntaxat* id sumere, ut peccatores; alios *tantum spiritualiter*, illos nimirum, qui voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt; tertios porro *sacramentaliter simul et spiritualiter*, hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.“ Itaque Communio spiritualis est *votum seu desiderium suscipiendi ss. Sacramentum*.

Spiritualiter communicaturus se disponat per actum *fidei*, qua Christum in ss. Sacramento cum uberrima gratiarum copia vere praesentem sibi exhibeat, per actum *caritatis* et *contritionis* de peccatis commissis. Tum eliciat *desiderium*, quo exoptet Christum summe amabilem et dilectum suscipere et cum ipso uniri, eumque filiali fiducia roget, ut veniat in cor, gratia et caritate illud impleat, totumque sibi subiciat et uniat.

Spiritualis Communio potest fieri omni tempore, etiam saepius per diem; maxime autem opportunum est, ut dum visitatur ss. Sacramentum, et tempore Missae, quando sacerdos communicat, devote peragatur. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 6. Haec prout Redemptori nostro perquam accepta, ita et insignis utilitatis est. „Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio, quia plenius inducit Sacramenti effectum ipsa Sacramenti susceptio, quam solum desiderium.“<sup>1)</sup> Egregium medium est ad s. synaxim cum majori fructu percipiendam.

---

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 80 a. 1 ad 3.

## D. De cura et cultu ss. Eucharistiae Sacramenti.

## §. 102.

## Asservatio et renovatio ss. Sacramenti.

1. — Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit. Sic Conc. Trid. Sess. 13. cap. 6, quod deinde can. 7 definivit: „*Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario servari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, anathema sit.*“

2. — Parochus curare debet, ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium Communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia eaque munda et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et quantum res fert, ornato in tabernaculo clave obserato. Ita Rit. Rom. Peculiariter desuper notanda veniunt sequentia:

1. Eucharistia est asservanda *in omnibus ecclesiis cathedralibus et parochialibus*. Asservari potest etiam in ecclesiis regularium et monialium vota solemnia emittentium. In aliis ecclesiis vel Oratoriis publicis asservari nequit absque Indulto Apostolico. Sic ex Decretis SS. Cong. et Episcoporum.<sup>1)</sup>

Concil. nostrum Provinc. T. III cap. 4 haec habet: „*Tolerari non potest, ut in ecclesiis filialibus sacrosanctum Sacramentum asservetur, nisi sacerdotem beneficiarium apud eas residentem habeant, vel quotidie in eis sacrificium Missae celebretur et ab ecclesia parochiali vel quadam virorum regularium domo non ita distent, ut incendio vel inundatione superveniente sacerdos ad ss. Eucharistiam transferendam tempestive accurrere nequeat. Repugnat reverentiae Deo praesenti debitae, ut per integrum septimanam vel et longius tempus sine adoratoribus et venerationis documento in ecclesia oclusa delitescat.*“

Asservetur *in altari majori* vel *in alio*, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decentius videatur. Rit. Rom. In uno tantum loco cujusvis ecclesiae asservetur. S. C. Epp. 13. Oct. 1620. S. R. C. (3104) 14. Mart. 1861 (praeter evidentem necessitatem in ecclesia perampla, ut Conc. Prov. Vienn. l. c. observat). Asservare ss. Sacramentum non in medio altaris, sed ad latus in pariete aut in turricula ad id constructa (*Sacramentshäuschen*), prohibitum est.

<sup>1)</sup> Vid. G a s s n e r: Pastoral für angehende und wirkliche Seelsorger. S. 942—944. Salz. 1881.

2. *Tabernaculum*, quod est benedicendum, et intus et exterius, quam optime fieri possit, exornetur; <sup>1)</sup> in solo expansum sit Corporale aut posita Palla, ubi Ciborium collocetur. Praeter vasa, quae Eucharistiam actu continent, nihil omnino in eodem reponatur, nec calices neque reliquiae neque sacrorum oleorum vasa ibi recondantur. S. C. Epp. 3. Maji 1693.

Tabernaculum debet *obseratum* esse clavibus, et claves, quas duas habere consultum est, parochus vel rector ecclesiae custodire debet. <sup>2)</sup>

3. *Ciborium* debet esse *ex solida decentique materia*, v. supra §. 29 n. 1. Operculo debet esse clausum et *albo velo* coopertum, nam Rit. Rom. diserte *album* velum requirit. Non debet esse necessario consecratum, sufficit ut sit benedictum.

4. *Lampades* coram Tabernaculo plures vel saltem una die noctuque perpetuo colluceant, ex praescripto Ritualis Romani, „quae fidelibus Deum praesentem annuntiet, atque hominibus recedentibus cultus aliquam et amoris professionem exhibere pergat“, ut apte explicat Conc. Prov. Vienn. l. c. Tantaque haec obligatio est, ut ex sententia plurium auctorum graviter peccet parochus, cujus negligentia per integram diem lumen non ardeat. <sup>3)</sup> Nec datur excusatio ob ecclesiae paupertatem, nam *instituitur eleemosynarum collector*, S. C. Epp. 14. Mart. 1614 edixit.

*Generatim utendum est oleo olivarum ob mysticam significationem;* <sup>4)</sup> *ubi vero haberi nequeat, remittendum est prudentiae episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit, vegetabilibus.* Sic decisio S. R. C. (3121) 9. Julii 1864, quam Pius IX. ratam habuit et confirmavit die 14. ejusdem mensis.

3. — Parochus seu ecclesiae rector particulas et hostiam majorem Ostensorii frequenter *renovare* debet. Benedictus XIV. in Const. *Etsi pastoralis* 26. Maji 1742 §. VI n. 4 vult, ut hostiae consecratae singulis *octo* aut saltem *quindecim* diebus renoventur. <sup>5)</sup> *Concilium Prov. Vienn.* a. 1858 Tit. III cap. 4 dicit: „Generatim

<sup>1)</sup> Intus auro vel argento sit vestitum, aut saltem pannis sericis albi coloris. S. C. Epp. 26. Oct. 1575. S. R. C. (4035) 20. Junii 1899.

<sup>2)</sup> Plura de tabern. egregie exposuit Schwarz: Linz. theol.-pract. Quartalschrift 1877. S. 79 u. f.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 248.

<sup>4)</sup> Oliva, symbolum pacis, Christum pacis Regem figurat. Eleganter s. Bernardus Serm. 15 in Cant. praerogativas ss. Nominis Jesu in oleo olivarum significatas exponit.

<sup>5)</sup> Idem S. C. Epp. 5. April. 1573.



toties renoventur, quoties pro locorum conditione necessarium sit, ut omne corruptionis periculum sollicitè avertatur. De regula renovatio *alternis saltem fiat hebdomadibus*, nullibi tamen *ultra mensem differatur*.”

Hostiae vero seu particulae consecrandae sint *recentes* §. 91 n. 4, et ubi parochus (vel vicarius) eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat. Ritual. Rom. Sumi debent tum hostia major tum etiam particulae, quae existunt in Tabernaculo, *post sumptionem Sanguinis* ante ablutionem.

### §. 103.

#### Cultus ss. Eucharistiae Sacramenti.

1. — Cultus, qui sanctissimo Sacramento a fidelibus pro more in catholica Ecclesia semper recepto exhiberi debet, est *latriae cultus*, qui vero Deo debetur, *nam illum eundem Dominum praesentem in eo esse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: et adorent eum omnes Angeli ejus; quem Magi procidentes adoraverunt,*<sup>1)</sup> *quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur.* Conc. Trid. Sess. 13. cap. 5. Igitur visitatione et adoratione, praesertim vero pia et frequenti Communione exhibetur cultus Eucharistiae,<sup>2)</sup> signanter *Communione reparatrice*, quae fit ad injurias divinae Majestati in hoc tremendo sacramento illatas aliqua ratione reparandas.

2. — Pie et religiose in Dei Ecclesiam inductus fuit mos, ut singulis in annis *peculiari festo* praecelsum Sacramentum celebretur, utque in *processionibus* honorifice illud per vias et loca publica circumferatur. Aequissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, quum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repraesentatur. Conc. Trid. Sess. 13. cap. 5 can. 6. Praeter hanc processionem nulla alia cum ss. Eucharistia extra ecclesiam absque licentia

<sup>1)</sup> Praeclare s. Jo an. Chrysost.: Hom. 24 in 1 Cor. ostendit, exemplo Magorum Christum in altari maxima esse reverentia colendum.

<sup>2)</sup> Conc. Prov. Aquensis (in Gallia) a. 1850 Tit. VII cap. 4 §. 3 ait: „*Pia et frequenti Communione perfectissimus exhibetur cultus Eucharistiae.*“ Collect. Lac. Tom. IV pag. 990.

vel indictione episcopi et tunc tantum ex causa publica institui potest.

Hinc *Conc. Prov. Vien.* Tit. III cap. 4: „*Praeter processionem in festo Corporis Christi aliamve, pro qua expressa Antistitis licentia obtenta fuerit, s. Sacramentum ex ecclesia proferre non licet, nisi ut ad aegrotum portetur vel quando instans profanationis periculum translationem fieri jubeat.*“

3. — Sanctissimum hoc Sacramentum etiam *publice*, ut adoretur, *proponendum* est populo. *Conc. Trid. Sess. 13. can. 6.* Expositio duplex est: 1. *publica*, quae fit in Ostensorio, et 2. *privata*, quae fit in Ciborio.

1. Pro *publica* expositione requiritur causa publica et episcopi licentia; *solius enim Ordinarii partes sunt, ut causae publicae meritum expendat et declaret*, ait Benedictus XIV. in *Const. Accepimus*, 16. Aprilis 1746. Causa publica est festum et Octava Corporis Christi, causa pacis, solemnitas festi etc.

2. Pro *privata* expositione nec publica causa, neque facultas episcopi requiritur; sufficit causa privata e. g. ingruens tempestas, privata familiae necessitas.<sup>1)</sup> Pro tali expositione solum tabernaculum aperitur et sacra pyxis clausa suaque velamine obtecta, populi oculis subjicitur, ita ut ex tabernaculo nunquam extrahatur neque populus cum ea benedicatur. S. R. C. (2725) 23. Maji 1835.<sup>2)</sup> Sed ubi viget consuetudo contraria, haec omnino observetur, utpote quae sine populi offensione vel ipsius pietatis detrimento vix posset abrogari; insuper permittenda declaratur per S. R. C. (3394) 16. Mart. 1876.

Numerus luminum pietati facientis expositionem relinquitur. Ad privatam expositionem *saltem sex candelae* accendendae sunt ex *Decr. S. C. Ep. et Reg.* 7. Decemb. 1602.

*Num vero expediat, ss. Eucharistiam frequenter, an raro exponere*, auctores non sunt ejusdem sententiae. S. Alphonsus<sup>3)</sup> dicit spectandum esse, an in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus Sacramenti augeatur vel minuat, et juxta hanc regulam expositionem esse faciendam vel omittendam. — In plurimis imperii Austriaci dioecesium (a tempore reformationis) valde frequens est ss. Sacramenti expositio, non solum ex consuetudine, sed etiam ex dioecesium statutis; qua in re proprio motu aliquid

<sup>1)</sup> Gardellini ad *Instruct. Clement.* §. 36 n. 10 et seq.

<sup>2)</sup> Plura de expositione ss. Sacra-

menti apud De Herdt: *Sacrae liturg. praxis.* Tom. II. n. 17 et seq.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 424, *Refert hic.*

innovare sacerdoti non licet. Si vero expositiones sine adorantium frequentia fierent, parochus desuper certiores reddat Ordinarius, ut si alio modo non possit cultui necessario ss. Sacramenti provideri, expositiones vel minuantur vel abbrevientur; etenim, ut Benedictus XIV. verissime ait,<sup>1)</sup> *multo melius est, ut non ita frequenter ss. Sacramentum exponatur, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio.*

4. — Ad fovendam devotionem erga Christum Dominum in Sacramento nobiscum manentem instituta sunt *confraternitas ss. Sacramenti* et *sodalitium perpetuae adorationis*. Videat prudens zelus pastoris, an et qua ratione sint eadem inter suos introducenda, vel si jam introducta langueant, quo modo ad pristinum fervorem restauranda. Multum juvabit adoratio perpetua, in ecclesiis dioecesium ex ordine singulis anni diebus instituta cum solempni expositione ss. Eucharistiae Sacramenti.

#### §. 104.

### Admonitio s. Joannis Chrysostomi ad sublimes de hoc Sacramento concipiendos spiritus.

*Ex Comment. in epist. 1 Cor. Homil. 24.*

„*Ubicunque cadaver, dicit Dominus, illic et aquilae* Matth. 24, 28. *Cadaver* vocat corpus suum propter mortem; nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissemus. *Aquilas* autem nos appellat, ostendens, quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, et cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi et serpere, sed assidue sursum volare, et ad solem justitiae aspicere, acutosque et perspicaces habere mentis oculos: *aquilarum enim, non graculorum haec est mensa*. Ipsi tunc quoque ei occurrent e coelis descendentem, qui nunc digne percipiunt; sicut qui indigne, extrema patientur. Nam si quis regem non temere nec inconsiderate exceperit, quid dico regem, ne *vestem* quidem regiam temere immundis manibus contrectaverit quisquam, — quomodo *Dei corpus*, qui est super omnia, corpus hoc mundum et immaculatum, cum divina natura unitum, per quod sumus et vivimus,

<sup>1)</sup> Cum Albergati. Inst. 30 n. 7.

per quod fractae sunt portae inferorum et coeli aperti, quomodo, inquam, hoc accipiemus cum tanto probro et contumelia? —

Quos amamus, etiam mordemus saepius. Quamobrem Job quoque servorum suorum amorem in ipsum indicans dicebat, quod saepe illi ipsum valde amantes dicebant: *Quis dederit nobis impleri ejus carnibus?* Job 31, 31. Sic etiam Christus nobis dedit, ut impleremur ejus carnibus, ad majorem nos attrahens amicitiam. Accedamus ergo ad eum cum fervore et ardente caritate, ne subeamus supplicium. Nam quo fuerimus majoribus affecti beneficiis, eo magis puniemur, quando visi fuerimus indigni beneficio.

Hoc convivium est robur animae, vinculum mentis, fiduciae firmamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hoc cibo illuc decesserimus, cum magna fiducia sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis undique muniti. Et quid dico futura? *Hic enim terram tibi coelum facit hoc mysterium.*<sup>1)</sup> Aperi ergo portas coeli, vel potius non coeli, sed coeli coelorum; et perspice, et tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum et maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in domo regia id quod est omnium magnificentissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in solio: ita in coelis corpus Christi; et hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim Angelos et Archangelos, neque coelos et coelos coelorum, sed ipsum eorum Dominum ostendo. Ecce, quemadmodum quod est omnium praestantissimum et maxime honorandum, vides in terra, neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis et eo accepto domum reverteris. Absterge et munda animam, et praepara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Nam si regis filius cum mundo et purpura et diademate tibi traditus esset ferendus, quaecunque sunt in terra, abjecisses. Nunc autem non hominis filium accipiens, sed ipsum unigenitum Dei filium, dic, rogo, non extimescis, et eorum, quae ad hanc vitam pertinent, non omnem expellis amorem; non bono illo solum gloriaris: sed adhuc terram amas videre et pecunias, auroque attonitus inhias? Et quam assequeris

<sup>1)</sup> Idem dicit Hom. 36 in 1 Cor. contra petulantes in ecclesia: „Non tonstrina neque unguentaria officina est ecclesia, neque alia opificum

taberna, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, *ipsum coelum.*“

veniam, quam defensionem et excusationem? Igitur omnem hic fastum cum pecuniae cupiditate conculcemus, altosque et sublimes concipiamus spiritus, ut bona quoque aeterna consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto laus et gloria sit in saecula saeculorum. Amen.“

## CAPUT IV.

### De Sacramento Poenitentiae.

#### §. 105.

#### **Sacramentum Poenitentiae, secunda post naufragium tabula.**

In Sacramento Baptismi suscepimus gratiam sanctificantem, qua nova prorsus in Christo creatura effecti sumus. Si vero pro naturae nostrae imbecillitate peccando gratiam amisimus, tantum per Sacramentum Poenitentiae Dei miseratione eam recuperare possumus. Ideo ex s. Hieronymi sententia, quam Concilium Trid. Sess. 14. can. 2 confirmavit, poenitentia recte *secunda post naufragium tabula* nuncupatur. Ut enim — ita Catechismus ad parochos — confracta navi unum vitae servandae refugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est.<sup>1)</sup>

Ut copia rerum, quae circa Sacramentum Poenitentiae considerandae occurrunt, apto ordine et necessaria perspicuitate pertractetur, 1. de hoc Sacramento in se spectato, et 2. de ejusdem administratione agere instituimus.

### DISTINCTIO I.

#### De Sacramento Poenitentiae in se spectato.

Omnia, quae de hoc Sacramento in se spectato menti obviam fiunt, commode ad duas partes referre possumus, quarum *prima* erit de veritate, effectibus et necessitate, *secunda* de materia, forma et ministro Sacramenti Poenitentiae.

---

<sup>1)</sup> Pars II. cap. 5 q. 1.

**Articulus I.****De veritate, effectibus et necessitate Sacramenti  
Poenitentiae.**

## §. 106.

**Poenitentia est virtus.**

1. — Poenitentiae nomen duplici sensu accipitur, prout virtus et prout Sacramentum est.

*Poenitentia*, ut virtus spectata, est virtus supernaturalis, moralis, inclinans peccatorem ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam. Hujus virtutis 1. objectum materiale est reparatio injuriae per peccatum Deo illatae, 2. objectum formale seu motivum est specialis bonitas seu honestas, quae conspicitur in hac injuriae compensatione. <sup>1)</sup>

Actus poenitentiae sunt: 1. *dolor et detestatio* peccati commissi, quatenus est offensa et injuria Dei, 2. *propositum* non peccandi de cetero, 3. *satisfactio* seu satisfaciendi voluntas. Haec enim concurrere debent vi ipsius naturalis legis ad expiandam injuriam Deo illatam, Deumque offensum placandum. Etiam *confessio* peccatorum est specialis actus poenitentiae, sed non necessarius nisi in lege nova. His autem omnibus tanquam conditio necessaria praecedit *cognitio* seu iudicium, quo homo percipit, se commisisse peccatum et per hoc Deum offendisse.

Ex his colligitur: *a.* Illum non vere poenitet, qui *solum propositum* melioris vitae habet, sine dolore et detestatione peccati commissi; quod est contra Lutherum, qui in sola *novitate vitae* vel *resipiscentia* poenitentiam plene contineri affirmabat. Quomodo potest quis Dei offensam expiare, si illatam non plangit et detestatur? Praeterea doctrina nostra tum ex s. scriptura tum ex ss. Patribus evidenter patet. <sup>2)</sup> *b.* Nec eum recte poenitet, qui dolet quidem de suo peccato, sed *sine respectu ad Dei offensam*. Quomodo enim Deum offensum ille poenitentia placare potest, qui non dolet, quod Deum offendit?

<sup>1)</sup> Potest tamen actus poenitentiae ex motivis diversarum virtutum e. g. timoris, gratitudinis, spei, caritatis procedere. Vid. Palmieri: Tract.

de poenitentia pag. 18 et seq. Romae 1879.

<sup>2)</sup> Vid. Bellarmin: De Poenitentia Lib. II. cap. 4 et 5.

2. — Diximus poenitentiam esse virtutem *supernaturalem*, juxta doctrinam Concilii Trident. Sess. 6. can. 3: „*Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem — — poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*“

Porro hanc virtutem non theologiam, sed *moralem* vocavimus, quia pro objecto immediato non habet Deum, sed reparationem injuriae Deo illatae seu, si dicere placeat, jus divinum ad honorem, quod peccando laesum est, redintegrandum. S. Thomas <sup>1)</sup> poenitentiam ad justitiam reducit, quia injuriam Deo illatam compensando debitum strictum (licet non juxta aequalitatem) Deo praestat, quod ad justitiam pertinet. Proxime autem ex virtute religionis procedere videtur, veluti ejusdem effectus; <sup>2)</sup> quia per culpa odium et vindictam Deo exhibetur reverentia et submissio debita, atqui religionis est, reverentiam et subjectionem Deo deferre. Lib. II. §. 39 n. 1.

3. — Poenitentia omni tempore universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, *necessaria fuit necessitate medii* ad salutem; quod fide certum est, declaratum a Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. Etiam necessaria est *necessitate praecepti positivi divini*, ex multis s. scripturae testimoniis, ut Luc. 13, 5; et *praecepti naturalis*, siquidem, ut s. Thomas ait, *ex naturali ratione homo movetur ad poenitendum de malis, quae fecit; sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina.* <sup>3)</sup>

4. — Poenitentiae opposita est *impoenitentia*, quae interdum est speciale peccatum, interdum circumstantia alterius peccati aggravans. *Speciale peccatum* est, quando occurrit tempus, quo tenemur poenitentiam agere, v. infra §. 115 n. 3 et 4. Extra hoc tempus impoenitentia non tam peccatum novum, quam *peccati circumstantia* est; <sup>4)</sup> quamdiu enim quisque in peccato haeret, tamdiu impoenitens dici potest, et semper magis magisque difficilem reditum ad Dei gratiam facit. <sup>5)</sup> De hac impoenitentia s. J o a n.

<sup>1)</sup> 3. q. 85 a. 3 ad 3.

<sup>2)</sup> Sicut misericordia ex caritate Lib. II. §. 29.

<sup>3)</sup> 3 q. 84 a. 7 c. Rursus: „*de jure naturali est, quod aliquis poeniteat de malis, quae fecit, quantum ad hoc,*

*quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quaerat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat.*“ Ibid. ad 1.

<sup>4)</sup> S. Thom.: 2. 2. q. 14 a. 2.

<sup>5)</sup> Bellarmin: De Poenit. Lib. II. cap. 9.

Chrys. observat: „*Non est adeo grave cecidisse, ut jacere, cum cecideris. Neque tam malum est, vulneratum esse, quam vulneratum nolle curari.*“<sup>1)</sup>

\* S. Ephraem („magnus poenitentiae et novissimorum praeco“): Paraeneses 76 seu hortationes ad poenitentiam. Praeterea multi Sermones de iudicio, secundo Christi adventu, poenitentia. S. Ambrosius: Lib. II. De Poenitentia. Epist. 67. S. Joannes Chrysostomus: Homiliae IX de Poenitentia. Lib. II ad Theodorum lapsum. Lib. II de compunctione. S. Augustinus: Sermo 20 (al. 3 ex Sirmond.) Serm. 39 (al. 13 ex hom. 50). Sermo 40 (al. 11 ex hom. 50). Serm. 393 (al. 41 ex hom. 50). S. Petrus Chrysologus: Sermo 167. S. Fulgentius: Lib. II. de remissione peccatorum ad Euthymium. Epist. 7 ad Venantium. S. Gregorius M.: Lib. II. Homil. 34. S. Bonaventura: Pharetra Lib. II. cap. 17 (multa ex ss. Patribus). S. Thomas: Summa Theologica 3. q. 85 et seq. (de poenitentia, secundum quod est virtus.) — Suarez: De Sacramento Poenitentiae Disp. I per 2 Sectiones (de poenitentia in communi). Lugo: De Sacramento Poenitentiae Disp. I—IX (de virtute poenitentiae). Munier S. J.: Theol. Wirceburg., de Poenitentia Disp. 1. Palmieri S. J.: Tract. de Poenitentia P. 1 pag. 1—44. Romae 1879.

#### A p t a p o e n i t e n t i a e c o m p a r a t i o .

Ingeniosa simplicitate sanctus Ecclesiae Doctor Petrus Damiani<sup>2)</sup> cum luna in nocte poenitentiam comparat dicens: „Homo habet *diem*, habet et *noctem*; habet *solem* in die, habet *lunam* in nocte. *Dies* hominis est vita justitiae, *nox* hominis est vita nequitiae. *Sol* autem in vita justitiae est caritas, quae praeest vitae justitiae; *luna* vero in nocte peccatoris est poenitentia. O quam clarus sol est caritas, cujus quindecim radios enumerat filius Solis, Paulus Apostolus, in ep. ad Cor. 13, ubi ait: *Caritas non aemulatur, non agit perperam etc.* O quam clarum poenitentiae jubar! noctem peccati removet, quod conscientia nubilum tergit. Lunae hujus, scilicet poenitentiae, quatuor sunt radii: cognitio peccati, dolor pro peccato, confessio peccati, fructus eleemosynae“ (satisfactio).

#### §. 107.

#### Poenitentia est verum novae legis Sacramentum.

1. — Poenitentia non tantum virtus, sed etiam Sacramentum est, quod ex *actibus poenitentis*, nempe contritione, confessione et satisfactione, atque ex *absolutione sacerdotis* componitur. Hinc virtus

<sup>1)</sup> In Epist. 1. ad Cor. Homil. 8.      2. Op. ed. a Constant. Cajetani Tom.

<sup>2)</sup> Sermo 71: In dedicat. ecclesiae      II. pag. 382. Bassani 1783.



poenitentiae pars est Sacramenti Poenitentiae, quod definiri potest: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo homini poenitenti per judiciale sacerdotis absolutionem peccata post baptismum commissa remittuntur.*

2. — **Assertio I.** De fide est, Poenitentiam pertinere ad *novae legis Sacramenta*. Sic enim contra reformatores saeculi 16., qui omnium primi hoc Sacramentum negarunt, Concilium Trid. Sess. 14. can. 1. definivit: „*Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*“ Idem declaravit Concilium Florentinum in Decreto IV. *Exultate Deo* pro Armenis. Porro doctrina haec fidei tum ex fontibus revelationis tum ex perpetua Ecclesiae praxi comprobari potest, et probatur a Theologis dogmaticis, qui adeantur. Porro singula, quae ad Sacramenti rationem pertinent, in Poenitentia praesto sunt: 1. *Signum sensibile*, quod ex una parte sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio, tamquam materia Sacramenti; ex altera parte absolutio sacerdotis, ut Sacramenti forma. 2. Confertur *gratia sanctificans*, per quam fit *remissio peccatorum*. Nempe, ut praeclaris verbis d. Thomae<sup>1)</sup> utamur, *in hoc Sacramento operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere poenitentis, qui cooperatur gratiae ad destructionem peccati*. 3. *Institutio divina*, siquidem Christus praecipue hoc instituit Sacramentum, quando post suam resurrectionem insufflavit in discipulos suos dicens: „*Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata etc.*“ Joan. 20, 23 et Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1; attamen ante passionem jam illud promiserat et quasi praeordinaverat,<sup>2)</sup> cum dixerit Petro: „*Quodcumque ligaveris super terram etc.*“ Matth. 16, 19, omnibusque Apostolis: „*Quaecumque alligaveritis super terram etc., et quaecumque solveritis super terram etc.*“ Matth. 18, 18.

Sacramenta quaelibet significant, quod efficiunt. Et profecto etiam in Poenitentia remissio peccatorum, quae interior efficitur in anima, *significatur* per ea, quae extrinsecus tum a poenitente tum a sacerdote fiunt: a) peccator quem poenitet, per ea quae facit vel dicit, ostendit se animum a peccato abduxisse; b) sacerdos per ea, quae dicit, ostendit peccatum remitti; nam absolutio

<sup>1)</sup> Summa Theol. 3. q. 84 a. 5 c.

<sup>2)</sup> Perrone: De Sacr. Poen. n. 4.

verbis enuntiata remissionem peccatorum indicat, quam in anima efficit. <sup>1)</sup>

3. — **Assertio II.** Divinus noster Salvator Sacramentum Poenitentiae *per modum iudicii* instituit. Est de fide; sic enim Concilium Trid. Sess. 14. can. 9 contra novatores solemniter sanxit: „*Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudiciale, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti — — anathema sit.*“ Cf. Sess. ead. cap. 6. Nimirum in hoc Sacramento ex Christi institutione ex una parte poenitens se accusat, et personam rei sustinet; ex altera parte sacerdos qua iudex ejusdem delictis auditis fert sententiam, quam Deus ratam habet, si debitæ non desint conditiones.

Differt autem iudicium hoc sacramentale a iudicio forensi praesertim in sequentibus: 1) in iudicio forensi praeter iudicem et reum adsunt testes, accusatores, defensores etc.; iudicium sacramentale inter iudicem et reum solum clam peragitur; quare iudex forensis non tenetur eo credere, iudex sacramentalis tenetur credere poenitenti sive pro se sive contra se asserenti, quum ipse tantum possit esse suae conscientiae testis; <sup>2)</sup> nisi contrarium aliunde moraliter certo constet; — 2) sacerdos, qui iudicis munere fungitur, ad strictissimum silentii sigillum circa crimina aliaque omnia in confessione percepta omni tempore adstringitur; tanta secreti obligatione iudex forensis non ligatur; — 3) iudicium forense per se ad puniendum reum tendit, iudicium sacramentale ad absolvendum Deoque reconciliandum peccatorem dirigitur. Sacramentum hoc non est forum irae et poenarum, sed veniae et misericordiae.

## §. 108.

### De effectibus hujus Sacramenti.

1. — Effectus hujus Sacramenti praeter *gratiam sanctificantem* omnibus Sacramentis communem sunt sequentes per illam, quatenus gratia in Poenitentia est reconciliatione spiritualiter *sanans peccatorem*: <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 84 a. 1. *Catechismus Rom.* P. II cap. 5 q. 11.

<sup>2)</sup> S. Thomas: „*In foro iudicali non creditur homini pro se, in foro Poenitentiae creditur homini pro se et contra se.*“ Quodl. 1 a. 12. S. Alph. Lib. VI. n. 600 q. 1 in fine, et n. 631.

<sup>3)</sup> Conc. Florent. in Decr. pro Armenis, Conc. Trid. Sess. 14 can. 1. Hac expressione: „*reconciliatione sanatur* (peccatum seu peccator)“ jam s. Augustinus: De adult. conjug. Lib. II. c. 16 utitur.

1. *Remissio omnium peccatorum*, tum quoad *culpam* tum quoad *poenam aeternam*, non tamen, ut plurimum quoad totam poenam temporalem.<sup>1)</sup> Haec remissio seu reconciliatio fit *per infusionem gratiae sanctificantis*. Unde sequitur, quod unum peccatum mortale sine aliis non remittitur; nam gratia sanctificans cum peccato mortali stare nequit. Sane repugnat, ut quis simul sit filius Dei et servus diaboli, aeterna beatitudine et aeterna damnatione dignus: *nihil enim damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu*. Rom. 8, 1.

Peccata remissa numquam redeunt, nec quoad culpam neque quoad poenam aeternam neque quoad poenam temporalem, quae pridem remissa fuerit. Ezech. 18, 22.<sup>2)</sup>

2. *Jus gratiae sanctificanti adnexum ad gratias actuales* suo tempore recipiendas, pro dignis poenitentiae fructibus faciendis, tentationibus superandis, relapsu vitando, vita emendanda.

3. *Restituuntur virtutes infusae*, quae sicuti amissae fuerant per peccatum mortale simul cum gratia sanctificante (Lib. I. §. 119 n. 3), ita per Sacramentum Poenitentiae rursus cum gratia sanctificante infunduntur.<sup>3)</sup>

*Merita bonorum operum per peccatum mortificata reviviscunt*, id est, recuperant vim et efficaciam perducendi suum auctorem in vitam aeternam: quam efficaciam perdiderant per peccatum mortale, et propterea dicebantur mortificata. Id unanimi consensu docent Theologi,<sup>4)</sup> effatis s. scripturae et ss. Patrum innixi. Quod passim sic explicatur: Deus bona opera prius facta tamquam sibi placentia acceptavit, nec postea ob peccatum sequens eadem a sua acceptatione abjecit, quia in se semper manent bona, sed tantum ob peccatum non sunt digna remuneratione aeterna; quocirca sublato peccato congruum est, ut illa opera Deus sine remuneratione non relinquat.

<sup>1)</sup> *Montanistae, Novatiani* aliique negarunt, esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata mortalia vel omnia post Baptismum commissa vel eadem saepius iterata. Qui omnes semper ut haeretici habiti et a compluribus Conciliis condemnati sunt.

<sup>2)</sup> S. Thom. 3 q. 88 a. 1. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 22 a. 1 q. 1.

<sup>3)</sup> Virtutes acquisitae, cum nonnisi multiplicatis actibus acquirantur, ita amissae nonnisi similibus actibus restituuntur. Cf. Lib. I. §. 133 n. 2.

<sup>4)</sup> Inter hos d. Thomas 3. q. 89 a. 4 et 5, s. Bonaventura l. c. ad 2, Suarez in opusculis, Relectione 2, Munier S. J. (Theol. Wirceburg.): De Sac. Poen. Disp. 1 cap. 3 a. 6, Billuart: De Sac. Poen. Diss. II a. 5, Antoine, Schoupe etc.

4. Reconciliationem cum Deo interdum in viris piis et cum devotione percipientibus *conscientiae pax ac serenitas cum vehemēti spiritus consolatione* consequi solet. Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3.

2. — Symbolice effectus Sacramenti Poenitentiae in parabola de filio prodigo Luc. 15 indicantur. Deus poenitentem filium suum induit *stola prima* id est pristina gratia et caritate cum ceteris virtutibus infusis, *dat annulum in manus ejus*, nempe signaculum et ornamentum meriti reddit operibus, quae per manus designantur: manibus enim fiunt opera; *dat calceamenta in pedes ejus*, scilicet tribuit gratias actuales ad ambulandum expedite in via mandatorum suorum.

\* S. Ambrosius: Lib. II de Poenitentia (contra Novatianos ostendens omnia peccata a sacerdotibus in Sacram. Poenitentiae remitti posse). S. Thomas: Summa Theol. 3. qq. 86, 88 et 89. — Lugo: De Sacram. Poenitentiae Disp. 10 et 11. Antoine: Theologia universa speculativa et dogmatica, Tr. de Sacram. Poenit. cap. 7. Billuart: Compendium Theologiae Tom. VI P. III Tr. de Sacram. Poenit. Dissert. 2 a. 2 et seq. Leodii 1754. Palmieri S. J.: Tractatus de Poenitentia P. II cap. 3. Romae.

### §. 109.

#### Necessitas Sacramenti Poenitentiae.

Fide certum est, hoc Sacramentum omnibus post Baptismum in peccatum *mortale* lapsis esse necessarium *necessitate medii*, in re vel saltem in voto. Sic enim Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2 edixit: „*Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*“ Atqui Baptismus est necessarius *necessitate medii* (Sess. 6. cap. 4); ergo etiam Sacramentum Poenitentiae. *Saltem in voto* i. e. in desiderio, quod in contritione perfecta includitur.

Remissio peccatorum venialium etiam extra Sacramentum multis mediis obtineri potest, de quibus mox infra.

Hoc Sacramentum fideles suscipere possunt, *quoties post Baptismum in peccata labuntur*. Conc. Trid. Sess. 14. can. 1.

### §. 110.

#### De remissione peccatorum venialium.

1. — *Peccata venialia non remittuntur sine poenitentia* sive *formali* i. e. explicita et expressa, sive *virtuali* et implicita i. e. contenta in aliquo actu supernaturali, qui excludit affectum ad peccatum veniale, et vi cuius homo illud expresse detestaretur, si memoriae occurreret. Constat ex s. scriptura, quae generaliter

ad quodlibet peccatum abolendum postulat poenitentiam, et ex ss. Doctoribus id expresse tradentibus;<sup>1)</sup> et aliunde rationi consentaneum est, ut qui propria voluntate peccavit, non recipiat remissionem, nisi propria voluntate per poenitentiam a peccato recedat.

2. — Peccata venialia I. remittuntur per *Sacramentum Poenitentiae* directe et ex opere operato, quando subjiciuntur clavibus Ecclesiae per confessionem cum *formali* dolore et proposito.

II. *Multis aliis remediis expiari possunt*, ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5. Quae quidem remedia sunt:

1. *Omnia alia Sacramenta*, per quae ex opere operato peccata venialia remitti possunt, ea quidem potissime, quae speciali cujusvis Sacramenti fini opponuntur, ut e. g. per Ordinem, quae religioni et statui clericali adversantur. Ratio est, quia haec quoque Sacramenta instituta sunt ad animas sanctificandas, ac proinde ad removenda impedimenta sanctitatis, qualia sunt peccata venialia, quae dum impediunt uberiores gratias, eo ipso impediunt sanctitatem plene consequendam.<sup>2)</sup> — Requiritur autem et sufficit detestatio peccati saltem *virtualis* seu implicita, nempe inclusa in pio aliquo erga Deum affectu supernaturali, qui oppositionem habet cum peccato veniali, ideoque virtualiter continet displicentiam et retractationem peccati.<sup>3)</sup>

2. *Missae sacrificium*, quatenus impetrat gratiam ad elicendum pium animi actum, qui peccatis venialibus repugnat.

3. *Sacramentalia*, cujusmodi sunt aqua benedicta, palmae, cineres, cerei benedicti, oratio in ecclesia dedicata, benedictio episcopi etc., per quae tamen non immediate et ex opere operato venialia tolluntur, sed quatenus ob Ecclesiae preces in eorum bene-

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 87 a. 3. S. Bonaventura: In IV. Sent. Dist. 20 P. 1 a. 1 q. 2 c. Suarez: De Poenit. Disp. 12. Sect. 1. Lugo: De Poenit. Disp. 9 Sect. 2. Antoine: Theol. univ., Tract. de Poen. cap. 7 a. 2 § IV.

<sup>2)</sup> Ita Antoine: De Sacr. Poen. cap. 7 a. 2 §. II. Pulchre Lugo desuper ait: „*Licet ex natura rei non sit necesse, ut collatio gratiae afferat remissionem venialium; est tamen valde consentaneum legibus amicitiae, ut quoties aliquis admittitur ad novum complexum*

*et arctius amicitiae vinculum, condonentur offensae leves* Cum ergo quaelibet collatio gratiae vel augmenti illius sit novum amicitiae vinculum, quo Deus arctius se cum homine conjungit, et novus amplexus spiritualis et quasi pacis osculum impressum: congruum sane est, ut afferat secum condonationem aliquam offensarum levium, quarum jam est posita retractatio.“ Op. c. Disp. 9 Sect. 3 n. 53.

<sup>3)</sup> S. Thom. 3. q. 87 a. 1 et 3. Antoine l. c. et alii.

dictione peractas per Sacramentalia impetratur gratia eliciendi actum doloris vel caritatis, quo venialia a Deo remittuntur.<sup>1)</sup>

4. *Actus caritatis vel contritionis perfectae*, et quidem ex opere operantis.<sup>2)</sup> Remittuntur *omnia venialia*, si hujusmodi actus *universaliter* excludit affectum ad venialia, seu quando quis ita affectus est, ut nullum velit peccatum veniale patrare, et de quolibet admissio doleret, si memoriae recurreret. *Non omnia* remittuntur, si actus caritatis seu contritionis tantum *particulariter* excludit affectum ad peccatum, seu quando quis ita affectus est, ut aliquod tantum peccatum particulare nolit committere.

At praeterea ad remissionem venialium sufficit (saltem probabilius) *attritio* concepta ex motivo supernaturali, quod Deum aliquo modo respiciat, cujusmodi est v. g. quod peccatum veniale sit contra obedientiam et reverentiam Deo debitam.<sup>3)</sup>

Consequenter omnia opera, quae *ex affectu poenitentiae* procedunt, prout oratio, jejunium, eleemosyna, media sunt delendi in justis peccata venialia.

3. — Si sciscitaris, *quomodo remittantur peccata venialia, cum quibus justus ex hac vita decedit*: respondet Angelicus Doctor, *illa remitti post hanc vitam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis.*<sup>4)</sup>

4. — Tria observanda: 1. Non remittuntur peccata venialia homini in statu peccati mortalis existenti. Non enim conveniens est, ut Deus ullam offensam condonet inimico suo, permanenti inimico; porro remissio venialis tendit ad familiaritatem cum Deo, quae supponit amicitiam. Igitur peccata venialia conjuncta cum mortali non tolluntur, nisi per Sacramentum Poenitentiae in re vel voto susceptum.

<sup>1)</sup> S. Thom. 3. q. 87 a. 3. S. Alph. Lib. VI. n. 92.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura egregie dicit: „*Caritas ad fervorem excitata consumit culpam venialem, sicut fornax ignis modicam aquae guttam.*“ In IV Sent. Dist. 20 P. 1 a. 1 q. 2 ad 3. S. Thomas ait: „Peccatum veniale non contrariatur habituali gratiae vel caritati Et ideo ad hoc, quod peccatum veniale tollatur, non requiri-

tur, quod infundatur aliqua habitualis gratia: sed *sufficit aliquis motus gratiae vel caritatis ad ejus remissionem.*“ 3. q. 87 a. 2 c.

<sup>3)</sup> Lugo: De Sacr. Poen. Disp. 9. Sect. 2 n. 29 et seq. Suarez: Disp. 9. Sect. 3. Antoine: Theol. universa etc. Tr. de Poen. cap. 7 a. 2 §. IV. Ripalda, et alii.

<sup>4)</sup> De malo q. 7 a. 11.

2. Remitti potest peccatum mortale absque remissione venialium, dum nempe homo venialia non detestatur nec vitare serio proponit; peccatum enim veniale cum gratia sanctificante non pugnat.

3. Quamvis unum mortale sine aliis mortalibus ejusdem hominis deleri nequeat coll. §. 108 n. 1; potest tamen unum veniale sine aliis venialibus remitti, si nimirum homo vere dolet de uno et non de ceteris, ad quae retinet affectum; quia gratia sanctificans consistere potest cum peccatis venialibus.<sup>1)</sup>

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 87 per 4 articulos. S. Bonaventura: In Lib IV Sent. Dist. 20 P. I a. 1 q. 1 et 2. — Suarez: De Poenitentia Disp. 11 et 12. Lugo: De Poenit. Disp. 9 per 4 Sectiones. Antoine: Theologia universa speculativa et dogmatica, Tract. de Poenit. cap. 7 a. 2. De Ripalda: De ente supernaturali Tom. II Lib. IV Disp. 97 Sect. 4. Parisiis. Palmieri S. J.: Tractatus de Poenitentia. Romae.

## Articulus II.

### De materia, forma et ministro Sacramenti Poenitentiae.

#### A. De materia Sacramenti Poenitentiae.

##### §. 111.

#### Materia remota et proxima.

1. — **Assertio I.** Materia *remota* Sacramenti Poenitentiae sunt omnia peccata post Baptismum commissa; materia, inquam, non acceptanda, sed destruenda: sicut lignum dicitur materia ignis, quia per ignem consumitur.<sup>2)</sup> Alia materia est necessaria, alia libera et sufficiens. 1. Materia *necessaria* sunt omnia peccata mortalia nondum directe vi clavium remissa. 2. Materia *libera* (non necessaria) et *sufficiens* sunt peccata venialia, et peccata jam pridem directe remissa sive letalia sive tantum venialia.

Peccata *directe* remittuntur, quando remittuntur per se, independenter ab aliis; quod obtinet, si fuerint expresse declarata et confessarius jurisdictionem in illa habet. Sic peccatum non reservatum et distincte in confessione accusatum remittitur directe. Peccata *indirecte* remittuntur, quando non per se, sed concomitanter

<sup>1)</sup> Antoine: Theol. specul. et dogm. de Poen. cap. 7 a. 2 §. IV.

<sup>2)</sup> Ita *Catech. Rom.* P. II. cap. 5.

cum aliis remittuntur; quod fit, dum peccata citra culpam (ex ignorantia invincibili vel impotentia) non sunt distincte declarata, vel confessarius in illa non habet jurisdictionem et tamen ex gravi causa absolvere debet; in utroque casu hujusmodi peccata remittuntur dependenter ab aliis, quae erant expresse declarata et in quae confessarius jurisdictionem habet. Sic peccatum omissum ex oblivione inculpabili remittitur indirecte, item peccatum reservatum, quando confessarius simplex extra mortis periculum ex gravi causa absolutionem poenitenti impertire debet. His praemissis

2. — Dico 1. *Materia necessaria Poenitentiae sunt omnia peccata mortalia nondum directe remissa.* Ratio: sacerdos a Christo institutus est iudex circa omnia et singula mortalia fidelium, ut sententiam pronuntiet, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5; atqui confessarius nullam tulit sententiam de peccatis nondum directe remissis; ergo ex praecepto Christi, peccata nondum directe remissa per confessionem subjici debent clavibus sacerdotis, ut directe remittantur.<sup>1)</sup>

Dico 2. *Materia libera et sufficiens sunt a) peccata venialia;* sunt haec quidem materia *libera*, quia juxta Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5 taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt, coll. §. 110. „Non contra haec, sed ad deletionem peccati mortalis principaliter est hoc Sacramentum institutum“, ait d. Thomas.<sup>2)</sup> Sunt tamen illa peccata materia *sufficiens*, quia Christus suis ministris dedit potestatem absolvendi ab omnibus peccatis per verba generalia: *quaecumque solveritis*, et Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5 et can. 7 docet, venialia *recte et utiliter in confessione* dici. Merito igitur Pius VI. in Bulla *Auctorem fidei* propositionem 39 jansenisticam, quae frequentem peccatorum venialium confessionem reprobavit, censura confixit.<sup>3)</sup> — *b) Peccata jam directe remissa*, sunt materia *libera*; utpote quae jam deleta non amplius redeunt §. 108 n. 1, ideoque absolutione non egent. Sunt materia *sufficiens*, quod ex Const. Benedicti XI. *Inter cunctas* (Extrav. de Privileg. §. *Ceterum*) et ex universali Ecclesiae praxi sat superque constat.

<sup>1)</sup> Cf. La Croix: Lib VI. P II n. 595 et 597. Mazzota: Tr VI Disp. 1 q. 4 cap. 5.

<sup>2)</sup> 3. q. 84 a. 2 ad 3.

<sup>3)</sup> Jansenistae, ut facilius omnem confessionem abolerent, in confessionem venialium insurrexerunt. Hac

enim sublata, sola fieret de peccatis letalibus, quae propterea palam prodederet interiorem poenitentium statum. Hinc ex timore se publice prodendi peccatorum gravium reum, vix reperiretur, qui accederet ad hoc Sacramentum. Ita scite cl. Perrone observat.



Ratio theologica est, quia peccatum etsi jam remissum, tamen manet commissum; atque ideo peccator potest iterum illud detestari atque potestati judiciariae sacerdotis subicere, qui pariter de eodem potest rursus sententiam absolutionis ferre, similiter ac inter homines eadem offensa et injuria saepius remitti potest. Et quoniam forma absolutionis ob materiam vere exstantem verificatur, gratia sanctificans confertur, quae tamen per accidens gratia non prima sed secunda erit, cum supponatur, poenitentem in statu gratiae existere, coll. §. 46 n. 1.

3. — Quaeres: *An imperfectiones sint materia sufficiens Sacramenti Poenitentiae seu confessionis?* R. Neg. *per se*, nisi per accidens ad culpas veniales pertingant, coll. Lib. I. §. 126 n. 6.

4. — **Assertio II.** *Materia proxima Sacramenti Poenitentiae sunt tres actus poenitentis: contritio, confessio, et satisfactio.* Ita communissime Theologi, praeunte d. Thoma,<sup>1)</sup> praesertim post Concilium Florent. et Tridentinum, contra Scotum,<sup>2)</sup> qui in sola absolutione constituit essentiam hujus Sacramenti. Probatur: 1) Concilium Trid. Sess. 14. cap. 3 praedictos actus dicit esse *partes* ipsius Sacramenti. Jam vero si partes sint, aut materiam aut formam Sacramenti constituunt; atqui forma certissime non sunt, ergo materiam constituunt. 2) Idem Concilium Sess. 14. cap. 3 et can. 4 post Concilium Florentinum (Decretum pro Armenis) eosdem actus signanter *quasi materiam* appellat; non ideo acsi verae materiae rationem non habeant, sed quia ejus generis materiae non sunt, cujus sunt aqua, oleum, panis, christa, nempe elementares et corporales in aliis Sacramentis adhibitae.<sup>3)</sup> Et Rituale Romanum absolute dicit: „*remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis.*“

5. — *Omnes tres actus constituunt materiam Sacramenti Poenitentiae*, ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3 et can. 4; quare rejicienda sententia Durandi,<sup>4)</sup> qui putavit solam confessionem esse partem materialem hujus Sacramenti. Et omnino conveniens est, ut qui Deum corde, ore et opere offendimus, cordis contritione, oris confessione et operis satisfactione Deo reconciliemur.<sup>5)</sup> Hi porro actus non tres materias, sed *unam* constituunt; contritio enim et satis-

<sup>1)</sup> 3. q. 84 a. 1 et 2.

<sup>2)</sup> In Lib. IV Sent. Dist. 14 p. 4, Dist. 16 q. 1.

<sup>3)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 5 q. 13.

<sup>4)</sup> In Lib. IV Sent. Dist. 16 q. 1.

<sup>5)</sup> Vid. plura penes Bellarmin: De Poen. Lib. I. cap. 19. versus finem.

factio seu satisfaciendi voluntas colligantur in confessione. Qui quippe, sicut oportet, confitetur, et contritionem et satisfaciendi voluntatem habet.<sup>1)</sup>

Contritio et confessio pertinent ad *essentiam* Sacramenti, quia sine illis nequit esse Sacramentum. Satisfactio *non est pars essentialis*, quia ante illam actu exhibitam ponitur essentia Sacramenti et obtinetur ejus effectus primarius, nempe remissio peccatorum atque poenae aeternae; attamen *pars integralis* est, quia per eam consequimur remissionem poenae temporalis, ita ut completus seu perfectus fiat effectus Sacramenti.<sup>2)</sup> Verum satisfaciendi voluntas, cum saltem implicite includatur necessario in contritione, pertinet ad Sacramenti essentiam.

Sed forte dices, *quomodo contritio et satisfaciendi voluntas possunt materia Poenitentiae esse, cum non sint sensibiles, materia autem Sacramenti sensibilis esse debeat?* Contritio et satisfaciendi voluntas *per se* quidem sensibiles non sunt, sed sensibiles *per aliud* fiunt. Contritio quidem per confessionem, petitionem absolutionis et varia poenitentiae signa; voluntas satisfaciendi fit sufficienter sensibilis quoque per confessionem, qua poenitens significat separatum esse ad satisfactionem peragendam, item per satisfactionis impositionem et acceptationem.

\* S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 84 a. 1 et 2, q. 90 per 4 articulos. S. Bonaventura: In Lib. IV. Sent. Dist. 22 a. 2 q. 2. S. Alphonsus: Opera dogm., Expositio articulorum fidei a Conc. Trid. definitorum, Sess. 14. cap. 3. Theologia moralis Lib. VI. n. 425 et 427. — Mart. Becanus S. J.: Theol. Scholast. P. III. De Sacramentis in specie cap. 30 q. 3 et 4. Bellarmin: De Poenitentia Lib. I. cap. 18—21. Suarez: De Poenitentia Disp. 18 per 6 Sectiones. Lugo: De Sacram. Poenitentiae Disp. 17 Sect. 2.

### C a s u s.

6. — *Simeon, qua Judaeus nuper baptizatus, confitetur quod baptismum nullo prius de peccatis actualibus elicitio dolore suscepit, et addit, quod sub ipso Baptismo desiderium fraudulentae cujusdam negotiationis exequendae continuo fovit; et tandem dicit: Doleo, quod peccatis meis Deum unquam offenderim. Quaeritur, an haec exposita constituunt materiam Sacramenti Poenitentiae, adeoque absolutionis?*

<sup>1)</sup> Potest cum cl. Franzelin: De Sacram. in genere pag. 38—39 Romae 1868 aliis verbis dici, quod *poenitens submissio culparum sub potestate judicis absolventis et retinentis* est haec materiae unitas. — S. Bonaventura ita loquitur: „*Materiale in hoc Sacramento est humiliatio poenitentis, sive*

quantum ad actum contritionis, sive quantum ad verbum accusationis, sive quantum ad poenam satisfactionis; *formale* vero est absolutio sacerdotis  
In hoc Sacramento est signum — *humiliatio et absolutio.*“ In IV Sent. Dist. 22 a. 2 q. 2 c.

<sup>2)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 5 q. 21.

Resp. 1. Peccata Baptismum praecedentia et peccata simul existentia cum Baptismo, sunt materia Baptismi, non Poenitentiae. Concilium Trid. Sess. 6 cap. 14 et Sess. 14 cap. 1, 2 4 et 5 atque can. 1 constanter docet et novem repetitis vicibus dicit, Sacramentum Poenitentiae ex institutione Christi esse pro peccatis *post* Baptismum commissis. In casu praestituto Simeoni peccata per Baptismum non sunt remissa, quia per defectum dispositionis obicem posuit gratiae sanctificanti, per quam peccata tolluntur; attamen hoc obice per attritionem supernaturalem et propositum firmum non peccandi remoto Baptismus reviviscit et aufert omnia peccata, quae Baptismo non sunt posteriora, quoad totum reatum, culpae et poenae.<sup>1)</sup> Haec igitur Simeonis peccata, cum non sint materia Sacramenti Poenitentiae, nec absolutione sacerdotis remitti possunt.

2. Peccata, quae Baptismum secuta sunt, cum constituent materiam Sacramenti Poenitentiae, debuit Simeon accurate exponere ad absolutionem sacramentalem recipiendam; quod plane non fecit simpliciter asserendo, se dolere, quod Deum peccatis suis unquam offenderit, nihil plane dicens, quae nam sint illa peccata, et num ante vel post Baptismum commissa.

## I. D e c o n t r i t i o n e .

Ad plenam hujus rei maxime practicae expositionem faciendam opus est, ut 1. de notione et divisione contritionis, 2. de contritione perfecta, 3. de contritione imperfecta seu attritione, 4. de necessitate contritionis, 5. de ejus conditionibus, 6. de proposito, speciali ejusdem actu, sermo instituat.

### §. 112.

#### Notio et divisio contritionis.

1. — Contritio juxta declarationem Concilii Trid. Sess. 14. cap. 4 *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*. Itaque actus contritionis sunt: 1. *Dolor* animi, quo fit ut peccator quodammodo consternatur et contristetur de peccato patrato. Dicitur *animi* dolor, ut significetur, contritionem non in appetitu inferiori, sed in voluntate sedem habere; nec in dolore sensibili, sed in dolore spirituali, qui voluntatis proprius est, consistere. 2. *Detestatio*, quae est displicentia, odium, abominatio, repulsio peccati commissi, est quasi dicere: vellem non peccasse. 3. *Propositum*, quod est voluntas non peccandi in posterum. Quare dolor et detestatio de peccato respiciunt

<sup>1)</sup> S. Thomas: 3. q. 69 a. 10: „Fictione per poenitentiam subsequentem remota, Baptismus aufert omnem culpam et reatum omnium peccatorum praecedentium Baptismum, et etiam simul existentium cum Baptismo.“

peccatum praeteritum, commissum; propositum respicit peccatum vitandum in posterum.

Si petis, *utrum contritio magis in dolore an in detestatione peccati consistat*, communius et recte tradunt doctores, contritionem praecipue in detestatione peccati sitam esse: *a)* quia detestatio est principaliter retractatio malae voluntatis, et conversio peccatoris ad Deum; et *b)* quia detestatio est causa doloris, atque dolor ipse ideo utilis est, quia a peccati detestatione procedit. Ceterum, ut bene advertit s. Alphonsus,<sup>1)</sup> non dubitandum quin in uno alterum contineatur; qui enim peccatum suum detestatur, necessario de illo dolet, et vicissim, qui de peccato commisso sincere dolet, idem etiam detestatur.

2. — Contritio multiplex distinguitur:

I. Naturalis et supernaturalis. Contritio 1. dicitur *naturalis*, quae concipitur ex motivo mere naturali, et quidem *a)* vel ex motivo malo, ut si quis doleat de ebrietate, quia per eam impeditus est, quominus domum inimici incenderet, vel *b)* ex motivo indifferenti, ut si quis doleat de intemperantia, quia sanitati obfuit, vel *c)* ex motivo honesto lumine rationis cognito, ut si quem poeniteat mendacii vel fraudis, eo quod rectae rationi naturali adversetur. Primus dolor est peccatum, duo sequentes non sunt de se mali, attamen non sufficientes ad Sacramentum. Contritio 2. *supernaturalis* dicitur, quae auxilio gratiae divinae (Conc. Trid. Sess. 6. cap. 3) elicitur ex motivo supernaturali seu per fidem proposito; et haec requiritur ad Sacramentum.

II. Supernaturalis est perfecta vel imperfecta; ita dividitur a Concilio Trid. Sess. 14 cap. 4.

1. *Perfecta* seu *contritio* stricte dicta ea est, quae ex motivo caritatis procedit; dicitur nempe a Concilio Trid. l. c. *caritate perfecta*. Et cum caritas sit amor benevolentiae, quo Deum propter seipsum i. e. propter suam infinitam bonitatem in se spectatam super omnia diligimus: hinc *contritio* plene definiri potest *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, quia peccatum est offensa Dei propter se ipsum super omnia dilecti*.

2. *Imperfecta* contritio seu *attritio* ab ipso Conc. Trid. l. c. appellata ea est, quae ex motivo supernaturali a caritate diverso

---

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 435.

procedit, communiter quidem ex metu gehennae et poenarum vel ex turpitudine peccati. Haec duo motiva expressit Concilium Trid. l. c., ad quae alia commode reduci possunt. Nam desiderium beatitudinis aeternae vel aliorum donorum supernaturalium comprehendendi possunt sub timore gehennae et poenarum: idem enim est timere privationem alicujus boni, ac desiderare illud; deinde quaecunque malitia, propter quam detestamur peccatum, comprehenditur in turpitudine peccati; omnis ergo attritio est propter metum poenarum divinarum (gehennae seu purgatorii) vel propter peccati turpitudinem.<sup>1)</sup> Necesse autem est, ut haec turpitudine consideretur, quatenus lumine fidei constat, e. g. quia turpe est homini christiano, filio Dei adoptivo, tale peccatum committere. Vid. Lib. I. §. 123 n. 2. Igitur attritio plene defini potest *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, quia peccatum est offensa Dei illud summe abominantis ob ejusdem turpitudinem, et supplicii vindicantis*. Ex respectu ad Deum, Dominum supremum, sanctissimum, cui est abominabile peccatum ob ejus turpitudinem e. g. irreverentiam, inobedientiam, impietatem, temeritatem, haurit peccator horrorem peccati ac turpitudinis suae; ex respectu ad Deum, justissimum peccati vindicem, concipit timorem gehennae et poenarum; et illo horrore vel hoc timore impulsus dolet, quod Deum peccatis suis offendit.

Contritio perfecta apte dicitur *contritio* simpliciter, imperfecta tantum *attritio*, ducta similitudine a corporibus duris, quae vocantur *contrita*, si trita et comminuta sunt in minimas partes et quasi in pulverem contusa; *attrita* vero, si aliquantulum tantum, in grandiores partes sunt diminuta. Efficacius enim cor compungitur per contritionem, quam per attritionem.<sup>2)</sup>

3. — Ex doctrina praemissa inferes, quod contritio et attritio 1) *conveniunt*, quatenus utraque est supernaturalis dolor et detestatio de peccato tamquam offensa Dei; 2) *differunt* specificè, quatenus contritio ex motivo caritatis erga Deum, attritio ex motivo a caritate diverso procedit; praeterea differunt etiam ratione effectus, ut mox videbitur.

#### Actus contritionis et attritionis.

4. — Cum contritio (perfecta) ex caritate oriatur, valde commendandum est, ut primum considerata infinita Dei bonitate et amabilitate eliciatur actus caritatis, et deinceps actus contritionis e. g. hunc in modum, quem Concilium Romanum a. 1725 sub Benedicto XIII. celebratum in Instructione pro

<sup>1)</sup> Ita Card Lugo: De Sacr. Poen. Disp. 5 Sect. 9 n. 132.

<sup>2)</sup> S. Thomas: Suppl. q. 1 a. 1 c.

parvulis proponit: „*Deus meus et Dominus meus, cum sis summum, infinitum et perfectissimum Bonum, amo te super omnia, et ideo me poenitet, et ex toto corde doleo, quod te toties offenderim peccatis meis. Abominor ea omnia et detestor super omnia mala, maxima cum displicentia, et rogo humiliter veniam, cum firmo proposito, tua sancta gratia auxiliante, te in posterum non amplius offendendi.*“<sup>1)</sup> En exemplum a s. Alphonso<sup>2)</sup> prolatum: *Deus meus, cum sis infinita bonitas, diligo te super omnia, et quia te diligo, ideo me poenitet omnium offensionum, quas tibi, summo Bono, irrogari. Deus meus, nolo amplius peccare; potius volo mori, quam te unquam iterum offendere.* Alius actus: *O Cor Jesu amantissimum, diligo te super omnia, et ideo doleo de peccatis meis, eaque detestor et execror super omnia, quia Te illis offendi et contristavi; firmissime decerno, Te non amplius offensione ulla contristare.*

Perfecte contrita fuit s. Maria Magdalena, de qua dixit Jesus: „*Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*“ Luc. 7, 47: quia nempe (ut explicat Cornel. a Lap.) summe Deum dilexit et ex summa hac dilectione summe de peccatis suis doluit, remissa ei sunt peccata omnia, quae erant multa. Perfectum dolorem de culpa sua concepit s. Petrus, qui Christo negato, postquam Dominus respexit eum, egressus foras flevit amare, nempe *pavidae negationis sordes amoris fletibus lavit*, ut s. Hieronymus adnotat.

5. — Ineptus esset actus contritionis vel attritionis, quo quis mallet in infernum detrudi, quam Deum peccato offendere; quia in inferno non posset sine peccato esse.<sup>3)</sup> Nec recte eliceretur attritio dicendo: *Me poenitet peccasse, quia merui infernum.* Etenim de peccato doleri debet, quatenus est peccatum, nempe transgressio legis divinae, adeoque offensa Dei. Vid. dicta §. 106 n. 1. Tunc recte elicitur attritio, si dicitur: *Me poenitet, peccatis meis offendisse Deum, propter quod merui infernum.*<sup>4)</sup> Vel ita: *Deus meus, quia delictis meis coelum amisi et in aeternum promerui infernum, me poenitet super omnia, quod te offendi etc.*<sup>5)</sup>

Est actus attritionis supernaturalis, quo quis detestatur peccatum *ex metu poenarum temporalium*, si istae poenae spectentur ut inflictæ vel infligendæ a Deo, et indicantes ejus justitiam et iram, qua minuitur supplicium aeternum; ita ut haec attritio reducatur ad illam, quae est ex metu gehennae.<sup>6)</sup> Exemplum attritionis ostenditur in Ninivitis, qui ad Jonæ praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt et misericordiam a Domino impetrarunt. Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4.

## §. 113.

### De contritione perfecta.

1. — Circa contritionis hujus praestantiam errarunt *Bajus* et *Jansenius*, qui negabant, contritioni vim inesse justificandi extra Sacramentum, nisi in certis casibus, ut martyrii, mortis, deficiente copia confessarii, vel nisi sit summe intensa.

<sup>1)</sup> Collect. Lacensis Concil. Tom. I. pag. 458. Friburgi 1870.

<sup>2)</sup> Der Katechet II cap. 5 n. 25.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 433 sub 7.

<sup>4)</sup> Idem: H. A. Tr. 16 n. 117.

<sup>5)</sup> Idem: Der Katechet II cap. 5. n. 25.

<sup>6)</sup> Suarez: De Poenit. Disp. 5 n. 15. Lugo: De Poenit. Disp. 5 n. 141. Gallo S. J.: Suppetiae Evangelii praeconibus etc. Vol. III pag. 16. Romae 1872. Lehmkühl: Vol. II n. 287.

## PROPOSITIO.

*Contritio perfecta peccatorem statim justificat, ante Poenitentiae Sacramentum, non tamen sine Sacramenti voto; atque tollit poenam aeternam, imo etiam ex parte saltem poenam temporalem.*

2. — Prima pars: *Contritio justificat ante Sacramentum*, est fidei proxima; constat ex Concilio Trid. Sess. 14. cap. 4 sic docente: „*Contritionem, quam aliquando caritate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*“ Confirmatur ex prop. 31 et 32 Baji a Pio V Gregorio XIII. et Urbano VIII. damnatis. Haec doctrina tum in s. scriptura tum in Traditionis documentis continetur; quod ostendere Theologis dogmaticis, ad quos spectat, remittimus. Tantum rationem ex veritate aliunde nota subdimus: Contritio ex caritate procedit, et proprie non est nisi actus caritatis, quatenus Deum propter se ipsum super omnia diligentes dolemus, quod ipsi per peccatum volumus malum, nempe displicentiam, offensionem, injuriam. Atqui caritas nos perfecte cum Deo conjungit, ita ut nos simus in Deo et Deus in nobis, Lib. I. §. 118 n. 1. Haec porro perfecta unio cum Deo omnem aversionem et disjunctionem a Deo, nempe peccatum, necessario tollit; quia impossibile est, ut quis unum amplectatur, quin ab altero illi opposito totus recedat.

Nec obstat, si contritio perfecta sit tantum *tenuis et remissa*, quia etiam talis contritio est dolor caritate perfectus seu formatus, nec plus et minus speciem mutat; atque Concilium Trid. absolute dicit, *contritionem caritate perfectam Deo hominem conciliare*, nullum intensiois gradum significans. Idem d. Thomas,<sup>1)</sup> s. Alphonsus<sup>2)</sup> alique communissime docent.

Sed contritio hominem a peccatis mortalibus non liberat, nisi *cum voto confessionis* suo tempore faciendae; quia Sacramentum Poenitentiae in re vel saltem in voto est unicum remedium a Christo institutum ad remissionem mortalium coll. §. 109. Hoc tamen votum in ipsa contritione continetur, ut Concilium Trid. edicit; quare communiter tradunt, sufficere *implicitum* votum con-

1) Suppl. q. 5 a. 3: „— quantum-  
cunque parvus sit dolor, dummodo ad  
contritionis rationem sufficiat, omnem  
culpam delet.“ Et alias.

2) Lib. VI. n. 441.

fitendi, quatenus ille, qui vere contritus est, eo ipso habet voluntatem implendi omnia praecepta divina, ergo etiam praeceptum confitendi peccata;<sup>1)</sup> quia contritio est actus caritatis, et caritas movet hominem ad implenda Dei mandata, juxta effatum Christi: „*Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*“ Joan. 14, 23. Hinc fieri potest, ut peccator, qui elicit actum perfectae contritionis, justificetur, etiamsi de confessione sacramentali non cogitet; sufficit enim, ut illam non excludat.<sup>2)</sup>

*Quo tempore tenetur contritus confessionem peragere?* Sufficit, ut eam faciat, quando praeceptum divinum vel ecclesiasticum confitendi peccata urget.

3. — Secunda pars: *Per contritionem praeter culpam mortalem remittitur poena aeterna.* Est doctrina consequens ex doctrina modo exposita, et fidei proxima, ex damnatione prop. 70 Bajanae. Eam etiam omnes Theologi catholici tenent.<sup>3)</sup> Ratio est, quia culpa non remittitur nisi per gratiam sanctificantem; ubi autem est gratia, est adoptio in filium Dei, ergo jus ad haereditatem Rom. 8, 17, haereditas autem est aeterna beatitudo, quae non potest simul esse cum miseria aeternae damnationis.

Imo per contritionem remittitur quoque *poena temporalis* juxta majorem vel minorem ejusdem intensionem; ideoque valde intensa potest etiam totam poenam abolere. Eruitur ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14, et Sess. 14. de Poen. cap. 8 et can. 12, et communiter a Theologis docetur.<sup>4)</sup>

\* S. Thomas: Suppl. 3<sup>tae</sup> Partis Sum. Theol. q. 5 a. 2 et 3. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 436, 437 *Dub.* 4, n. 441 et 442. — Bellarmin De Poenitentia Lib. II cap. 13 et 14. Lugo: De Sac. Poenitentiae Disp. 8 Sect. 1—8. La Croix: Theol. mor. Lib. VI. P. II n. 747—780. Antoine: Theol. specul. et dogmat. Tr. de Poenit. cap. II a. 5. Munier S. J.: Theol. Wirceburg., Tract. de Sac. Poen. Disp. 1 cap. 3 a. 3. Palmieri S. J.: Tract. de Poenitentia.

<sup>1)</sup> S. Thomas: „— Contritio vera non fuit, nisi propositum confitendi habuerit annexum: quod debet ad effectum reduci etiam propter praeceptum, quod est de confessione datum.“ Suppl. q. 5 a. 2 ad 1.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 437, *Dub.* 4.

<sup>3)</sup> Inter quos d. Thom. 3. q. 86 a. 4. Suarez: De Poen. Disp. 10 Sect. 3.

<sup>4)</sup> S. Bonaventura ait: „Con-

tritio potest tantum intendi, quod non solum culpa, sed etiam *tota* poena dimittatur.“ Theologia veritat. Lib. VI. cap. 24. S. Thom.: Suppl. q. 5 a. 2. Bellarmin: „*Recte Theologi docent, per actum contritionis, ut est opus poenale, semper aliquid poenae temporalis, pro qua satisfaciendum erat, remitti; et aliquando tam vehementem esse posse dolorem contritionis, ut tota poena remittatur.*“ De Poen. Lib. IV. cap. 6.



4. — **Conclusio practica.** Cum contritio perfecta Deo tam grata sit, et peccatoribus praesertim graviter lapsis tam salutaris existat: fideles instrui debent de recto modo contritionis eliciendae, et excitari ad eam frequenter eliciendam, praesertim si periclitetur vita et copia confessarii deficiat. Jam pueri huic pio et perutili exercitio per certam formulam ediscendam sedulo assuefiant, ut illud etiam postea ad magnam animae salutem prosequantur. Auctor quidam spectatus<sup>1)</sup> enarrat factum, quod speciali ratione hunc in finem notatu dignum videtur. Aliquis paterfamilias subito corripiebatur profluvio sanguinis; confestim vocabatur sacerdos, qui ei Sacramenta moribundorum administraret. Interim dolentes domestici adstabant lecto patris dilecti; sed filiulus, qui nuper primam communionem susceperat, statim de pariete sumsit imaginem Crucifixi, qua oculis patris objecta instanter monuit illum, ut contritionem perfectam et desiderium confitendi ac s. Viaticum suscipiendi eliceret, recitans formulam perfectae contritionis, quam a catecheta didicerat. Cumque adveniret sacerdos, pater jam defunctus erat. En quanti momenti sit, juniores et seniores in exercitio perfectae contritionis recte instituere.

## §. 114.

**De attritione.**

1. — *Lutherus* asseruit, omnem timorem poenae esse malum, hanc attritionem ex metu gehennae conceptam etiam esse malam, hominemque facere hypocritam ac proin magis peccatorem.<sup>2)</sup> Lutheri commentum ex parte *Bajus*, *Jansenius* et *Quesnellus* adoptarunt. Contra quos tenenda

## PROPOSITIO.

*Attritio ex metu aeternae damnationis concepta bona et utilis est, atque peccatorem disponit ad gratiam in Sacramento Poenitentiae obtinendam.*

2. — Multiplex timor distinguitur: timor filialis, servilis sive simpliciter sive serviliter servilis, et mundanus. Recole dicta Lib. I. §. 101 n. 4. Intelligitur hic timor *simpliciter servilis*, quo quis poenam formidat propter culpam, tamquam summum malum, ac propterea a peccato ita abstinet, ut ipsum peccandi affectum excludat.

<sup>1)</sup> Jac. Schmitt: Einleitung zur Ertheilung des Erstcommuncanten-Unterrichts S. 202. Freib. 1871.

<sup>2)</sup> De errore Lutheri Bellarmin: De Poen. Lib. II. cap. 2. Möhler: Symbolik §. 33.

Doctrina proposita est de fide; nimirum constat ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4 et can. 5 contra Lutherum; ex prop. 60, 61, 62 et 67 Quesnelli a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* proscriptis, nec non ex prop. 15 et 16, in quibus Quesnelli commentum a nonnullis instauratum erat, ab Alexandro VII. condemnatis. Innumera plane exstant s. scripturae, ss. Patrum, Conciliorum et Theologorum testimonia, quibus veritas haec catholica tamquam divinitus revelata probatur. <sup>1)</sup> Accedit ratio theologica: Non potest esse nisi bona et utilis attritio, quae concipitur ex metu bono et utili ad salutem; atqui bonus et utilis est metus gehennae, quia ad maximum malum, nempe peccatum, detestandum et vitandum perducit et hunc in finem a Deo ipso in cor peccatoris immittitur per gratiam et comminationem gehennae: est enim ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4 attritio ex tali metu concepta *donum Dei et Spiritus sancti impulsus*.

3. -- Attritio, ut ad justificationem disponat, debet esse *cum fide*, secus non esset supernaturalis, et *cum spe veniae*, secus enim non esset cum proposito melioris vitae. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6, Sess. 14. cap. 4. Non tamen necesse est, ut expressis verbis actus praedicti edantur; qui enim, dicit s. Alphonsus, <sup>2)</sup> vere poenitens ad recipiendam remissionem peccatorum accedit, jam explicite aliquo modo actus fidei et spei elicit, quia absque dubio credit et sperat, quod per Sacramentum propter merita Christi sibi peccata remittentur.

4. — Certum est, in attritione praeter fidem et spem requiri etiam *amorem initialem*, ut sit sufficiens dispositio ad Sacramentum Poenitentiae. Constat ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6, ubi de peccatoribus, qui ad justificationem disponuntur, dicitur, quod *Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*. Loquitur quidem Concilium Trid. praesertim de praeparatione ad gratiam Baptismi suscipiendam; sed valet idem de dispositione ad gratiam Poenitentiae obtinendam eo magis, quo difficilius per hanc quam in illo remittuntur peccata.

Sed *qualis est ille amor initialis, quem Concilium requirit?* Non est actus *amoris benevolentiae* seu *caritatis*, quo Deus propter

<sup>1)</sup> De quibus legi possunt: Bellarmin op. c. Lib. II. cap. 17. Fontana: Constitutio *Unigenitus* theologice propugnata. Perrone: De Poen.

n. 46 et seq. Schwetz: Theol. dogm. Vol. III §. 95. De Ripalda, Munier, in fine citati.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 439.

seipsum super omnia diligitur; etenim actus caritatis, etsi debilis et minus vividus (seu remissus) sit, peccatum delet ante Sacramentum coll. §. 113 n. 2; ideo si actus caritatis conjungi deberet attritioni, omnes peccatores jam ante Sacramentum Poenitentiae susceptum justificarentur, hincque Sacramentum Poenitentiae non esset Sacramentum mortuorum, sed vivorum; quod doctrinae fidei repugnaret. Unde relinquitur, ut amor initialis seu quo peccatores in spem erecti „Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt“, sit *amor concupiscentiae*, quo Deum diligimus tamquam nobis bonum et beneficum, nempe (in hac re) tamquam gratiae justificantis auctorem et largitorem. Porro hic amor concupiscentiae in ipsa attritione, modo fit (ut esse debet n. 3) cum spe veniae, jam includitur. Nimirum qui attritus a Deo gratiam et veniam sperat, certo exoptat et concupiscit, ut Deus sit ipsi bonus et propitius, utque tamquam gratiae et veniae largitor sibi gratiam et veniam concedat.<sup>1)</sup> Ideo etiam Concilium spei statim adjungit amorem initialem.<sup>2)</sup>

His autem duo addenda: 1. Quamvis amor initialis, qui in attritione includitur, non sit amor benevolentiae seu caritas, sed amor concupiscentiae: nequaquam tamen caritas excluditur nec excludi potest sine mortali peccato.<sup>3)</sup> Nonne enim perversitatis argui deberet, qui nulla ratione vellet peccatum vitare, si infernus et coelum non essent?<sup>4)</sup> Recte s. Franciscus Sal. dicit: Poe-

<sup>1)</sup> S. Thomas: „Ex hoc, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in *bonum nostrum*, et sic incipimus ipsum amare.“ 1. 2. q. 40 a 7.

<sup>2)</sup> Mayr S. J. ait: „Spes duplicem actum habet, videlicet fiducia et amoris. Concilium indicat utrumque requiri; nam per illud: *in spem erigimur*, significatur fiducia; per illud: *diligere incipimus*, intelligitur amor concupiscentiae. Concilium declarat, non requiri qualemcumque spem, sed eam, quae in misericordia Dei fiduciam habeat, et simul sit desiderium Dei ut nobis boni.“ Theol. scholast. etc. Tract. XII. de Poenit. n. 152. Ingolstadii 1732. Similiter *Tournely, Munier*, et complures alii.

Ceterum legatur expositio omni numero absoluta s. Alphonsi Lib. VI. n. 440 et seq.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 442 in fine.

<sup>4)</sup> Ad rem s. Franc. Sales.: „Je ne dis pas que ces repentances rejettent l'amour de Dieu, mais je dis seulement qu'elles ne le comprennent pas: elles ne le repoussent pas, mais elles ne le contiennent pas: elles ne sont pas contre lui, mais elles sont encore sans lui; il n'en est pas forclos mais il n'y est pas non plus enclos. — C'est bien fait certes, de se repentir de ses péchés pour éviter la peine de l'enfer, obtenir le paradis; mais qui prendrait résolution de ne se vouloir jamais repentir pour aucun

nitentia, quae caritatem positive excludit, est infernalis, similis poenitentiae damnatorum.<sup>1)</sup> — 2. Attritio, licet non procedat ex caritate, qua Deum ut in se bonum super omnia diligimus, tamen disponit et ducit ad diligendum Deum ut in se bonum. Qui enim tantum bonum, quantum est gratia, sibi immerito exoptat et sperat a Deo consequendum: vix non incipiet ipsam Dei bonitatem infinitam, a qua hoc donum ipsi communicatur, considerare et consequenter Deum propter hanc suam infinitam bonitatem et amabilitatem diligere. Hinc s. Thomas: „*Per hoc, quod aliquis sperat a Deo aliquod bonum consequi, ad hoc deducitur, ut Deum propter se amet.*”<sup>2)</sup>

5. — **Conclusio practica.** Attritio ex metu gehennae excludens voluntatem peccandi cum spe veniae saltem virtualiter inclusa, sufficiens quidem est ad fructum Sacramenti Poenitentiae consequendum; nihilominus tamen in nobis et in poenitentibus, quoad fieri potest, procuranda est perfecta contritio, *tum* quia haec est Deo gratior; *tum* quia tutius obtinebitur gratia, vel plus gratiae accipietur et plus poenae delebitur; *tum* quia sic securius assurgemus ad attritionem veram et necessariam, nec non praecepto caritatis saepius in vita obliganti satisfaciemus. Imo, si quis voluntarie in motivis infimis sisteret, praesertim poenae, signum esset animi non satis conversi ad Deum, timerique posset, ne lateat adhuc sinister affectus peccandi, si poena timenda non esset.<sup>3)</sup>

\* Franciscus Sal.: Theotimus Lib. II cap. 18, 19 et 20. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 439—442. — Joa. M. de Ripalda S. J.: De ente supernaturali, Tom. IV. Disp. 22 Sect. 4—11 (contra Bajum). Parisiis 1871. La Croix S. J. Theol. mor. Lib. VI. P. II. n. 836—883. Ant. Mayr S. J.: Theologia scholast. continens Tractatus omnes in Universitatibus Germaniae superioris S. J. traditos, Tr. 12 de Poen. Disp. I q. 2 a. 4—6. Ingolstadii 1732. Munier S. J.: Theol. Wirceb., Tr. de Sacr. Poen. Disp. II cap. 3 a. 2—4. Reuter

autre sujet, il forclorait volontairement le mieux, qui est de se repentir pour l'amour de Dieu, et commettrait un grand péché. Et qui serait le père, qui ne trouvât mauvais que son fils le voulût vraiment servir, mais non jamais avec amour ou par amour?“ Theot. L. II c. 19.

<sup>1)</sup> L. c. „La repentance qui forclot

l'amour de Dieu, est infernale, pareille à celle des damnés.“

<sup>2)</sup> De spe a. 3. Sapienter s. Franciscus Sal.: „— *la pénitence naît dedans l'amour, et plusieurs fois la pénitence venant en nos esprits, l'amour vient en la pénitence.*“ Op. c. L. II c. 20.

<sup>3)</sup> Ita Reuter: P. IV n. 283. S. Alph. Lib. VI. n. 442 in fine.

S. J. Theol. mor. P. IV Tr. 5 n. 252—279. Deharbe S. J.: Die vollkommene Liebe Gottes in ihrem Gegensatze zur unvollkommenen, und in ihrer Anwendung auf die vollkommene und unvollkommene Reue. Regensb. 1856. Palmieri S. J.: Tract. de Poenitentia, pag. 280—383. Romae 1879. Pruner: Pastoraltheologie S. 175—182. Paderborn 1900.

## §. 115.

## De necessitate contritionis.

## PROPOSITIO.

*Contritio sive perfecta cum voto Sacramenti sive imperfecta cum ipso Sacramento est peccatori necessaria necessitate medii et necessitate praecepti.*

1. — Pars I. *Contritio necessaria est necessitate medii ad justificationem et salutem consequendam. Est de fide. Constat ex variis Conciliis, praesertim Trid. Sess. 6. cap. 6, ubi odium et detestatio de peccato inter praecipuas dispositiones ad justificationem recensentur; et Sess. 14. cap. 4, ubi dicitur: „Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.“*

2. — Pars II. *Contritio etiam necessaria est necessitate praecepti. Est de fide. Constat enim praeceptum ex s. scripturis utriusque Testamenti: „Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.“ Eccli. 2, 22. „Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.“ Luc. 13, 3. „Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.“ Act. 3, 19. Consequitur haec veritas jam ex eo, quod contritio necessaria est necessitate medii. Siquidem ea omnia, quae necessaria sunt necessitate medii, censentur etiam necessaria necessitate praecepti, sed non vice versa; tenentur enim homines ea necessario adhibere, sine quibus salvi esse non possunt.<sup>1)</sup>*

3. — Praeceptum contritionis obligat per se et per accidens.

I. Obligat *per se*: 1. In articulo vel periculo mortis, quia quisque tam amore Dei quam amore sui curare tenetur, ne in perpetuum maneat Deo inimicus, et aeternam incurrat damnationem. — 2. *Extra periculum mortis*, quando quis versatur in statu peccati

<sup>1)</sup> Hinc s. Augustinus: „Neque in hanc rem scripturae testimonia colligere necesse est: vox est etiam ista naturae; neminem stultum rei hujus notitia deseruit; — potest ali-

quis dicere, se non peccasse, non autem, non esse, si peccaverit, poenitendum; nulla barbaries hoc dicere audebit.“ Lib. de duabus animabus cap. 14 n. 22.

mortalis; hic enim obligatur, ne notabili tempore differat poenitentiam, ex duplici quidem ratione: *a)* quia valde repugnat caritati Dei, quod homo adoptatus in familiam Dei diu permaneat servus diaboli, inimicus Dei; imo se constituat in periculo novae offensionis et inimicitiae Dei per lapsum in alia peccata mortalia, siquidem peccatum, quod mox per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit, ut s. Gregorius M.<sup>1)</sup> dicit; — atque *b)* quia graviter repugnat caritati erga seipsum, diu differendo poenitentiam se exponere proximo periculo novarum culparum vel etiam aeternae damnationis, juxta verba Eccli. 5, 8 et 9: „*Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te.*“ Quaenam vero dilatio contritionis constituat peccatum grave, non conveniunt Theologi. Valde rationabiliter s. Alphonsus (inter omnes Theologos post d. Thomam sibi maxime consequens) arbitratur, unum mensem esse notabile tempus in poenitentiae dilatione, saltem ob obligationem eliciendi caritatem semel in mense;<sup>2)</sup> quia conscius peccati mortalis caritatem rite elicere nequit, nisi doleat de peccato, quo Deum infinite diligibilem offendit.<sup>3)</sup> In praxi generaliter adhortandi et excitandi sunt quam maxime fideles, ut peccata commissa sine cunctatione dolere, vitamque emendarent; id enim s. scripturae et ss. Patrum doctrinae concordat et salutis animae consultissimum est.<sup>4)</sup>

4. — II. Obligat praeceptum contritionis etiam *per accidens*, quoties nempe alicujus virtutis actus sive ex praecepto sive libere exercetur, qui sine contritione licite exerceri nequit; quod praecipue obtinet: 1. si recipitur Sacramentum Poenitentiae vel ex praecepto (annuae confessionis) vel devotionis causa; — 2. si quis est in statu peccati mortalis et debet vel libere vult ministrare Sacramentum aut suscipere Sacramentum vivorum; — 3. quando est eliciendus actus caritatis; tunc enim, occurrente peccati me-

<sup>1)</sup> In Ezech. Lib. I. Homil. 11 n. 24.

<sup>2)</sup> H. A. Tr. 16 n. 10, ubi subdit: Verum tamen est, quod rudes difficulter eam obligationem advertunt.“

<sup>3)</sup> S. Thomas ait: „Requirit caritas, quod homo doleat de offensa

in amicum commissa.“ 3. q. 84 a. 5 ad 2.

<sup>4)</sup> Ceterum praecepto contritionis satisfaciunt facile peccatores, qui diebus dominicis et festis sacra frequentant, sincere elicientes actus virtutum theologiarum cum actu contritionis, a sacerdote et populo praesente solitos recitari, coll. Lib. II. §. 6 n. 7.

moria, quisque tenetur suum peccatum ex amore Dei, quatenus malum Deo voluit ipsique displicuit, veraciter detestari; quapropter etiam ille, qui in articulo mortis cum sola attritione Sacramentum Poenitentiae suscepit, elicere tenetur contritionem perfectam, ut merito s. Alphonsus<sup>1)</sup> monet, quia tunc urget praeceptum eliciendi actum caritatis; — 4. quando quis graves patitur tentationes, ad quas superandas censetur necessaria amicitia Dei, per actum contritionis restituenda. — Sed observandum, quod in his omnibus omissio contritionis non est speciale peccatum contra praeceptum contritionis; quia non per se obligat, sed ex alio praecepto seu virtute; ideoque non est distinctum peccatum ab eo, quod committitur contra illam virtutem, ex cuius motivo erat exercenda contritio<sup>2)</sup>

\* S. Ephraem: Paraeneses 76 seu hortationes ad poenitentiam. Praeterea multi Sermones de iudicio Dei et poenitentia. S. Ambrosius: De Poenitentia Lib. II. cap. 6 et 7 (cohortatio ad deflenda et confitenda peccata). Epist. 67. S. Joannes Chrysost.: Homiliae IX de Poenitentia. Lib. II ad Theodorum lapsum. Lib. II de compunctione. S. Augustinus: Serm. 20 (al. 3 ex Sirmond.), Serm. 39 (al. 13 ex hom. 50), Serm. 40 (al. 11 ex hom. 50), Serm. 393 (al. 41 ex hom. 50); in quibus passim de conversione non procrastinanda. S. Petrus Chrysologus: Serm. 167. S. Fulgentius: Lib. II de remissione peccatorum, ad Euthymium, Lib. I cap. 11 et seq. (ad peccatorum remissionem requiritur cum intimo cordis dolore vera conversio). Epist. 7 ad Venantium (peccata post baptismum remittuntur, dummodo adsit peccatoris conversio). S. Gregorius M. Lib. II Homil. 35 (ad poenitentiam exhortatio cujusdam Victorini exemplo). S. Anselmus: Meditatio 8 (elevatio poenitentis ad Deum), Oratio 63 ad s. Petrum (peccatorum deploratio). S. Bonaventura: Pharetra Lib. II cap. 18 (multa ex ss. Patribus). S. Alphonsus: Theol. moral. Lib. VI. n. 437. — Suarez: De Sacr. Poen. Disp. 15 Sect. 1—6. Lugo: De Sacr. Poenit. Disp. 7 Sect. 10—13.

## §. 116.

### Dotes contritionis.

1. — Contritio juxta Concilium Trid. Sess. 14. cap. 4 *primum* locum inter poenitentiae actus habet, tamque necessaria est, ut nisi adsit, debitis quidem instructa conditionibus, peccatum nullum, quamvis minimum sit vel centies repetitis confessionibus declaratum, in Sacramento remitti possit. Has jam condiciones seu

<sup>1)</sup> Lib. IV. n. 437, *Dub.* 2. Item Suarez: Disp. 15 Sect. 4 n. 19. Munier S. J. (Theol. Wirceburg.) Tom. V. De Poenit. n. 84. Nova edit.

Paris. La Croix: Lib. II. n. 142, et alii.

<sup>2)</sup> Elbel: De Sacr. Poen. Conf. III. n. 56. Laymann, Sporer etc.

dotes contritionis ad Sacramentum Poenitentiae recipiendum necessario requisitas accurate consideremus oportet.

### PROPOSITIO.

*Ad valorem et effectum Sacramenti Poenitentiae requiritur contritio vera, formalis, supernaturalis, universalis, summa et sacramentalis.*

2. — Conditiones propositae ab omnibus catholicis docentur et facile colliguntur ex Concilio Trid. Sess. 14. cap. 4 et can. 5.

Requiritur I. contritio *vera* seu *interna*, corde et animo concepta; quia juxta Conc. Trid. dolor animi et detestatio peccati est §. 112 n. 1. Contritio verbis solis expressa non esset nisi contritionis simulatio.

Requiritur II. contritio *formalis* seu explicita et expressa, nec sufficit implicita et virtualis, quae e. g. continetur in actu caritatis, in voluntate confitendi et recipiendi absolutionem excluso affectu ad peccata. Etenim contritio est materia essentialis Sacramenti Poenitentiae, ideoque debet esse explicita seu formalis; et tam minus sufficit in hoc materia virtualis, quam in aliis Sacramentis, e. g. in Eucharistia panis virtualis seu triticum, vinum virtuale seu uva.<sup>1)</sup>

Nec valet contritio *existimata*, licet inculpabiliter; quia bona fides potest quidem excusare a peccato sacrilegii, non tamen defectum partis essentialis ad Sacramentum requisitae supplere.

3. — Requiritur III. contritio *supernaturalis*, supra §. 112 n. 2 explicata. Nam est dispositio ad gratiam sanctificantem, ideoque debet esse ejusdem ordinis ac gratia; ergo supernaturalis. Confirmatur ex prop. 57 ab Innocentio XI. damnata: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam*. Non requiritur necessario contritio perfecta, sed *sufficit imperfecta* seu *attritio*, ut supra §. 114 probatum est; attamen perfecta, quoad fieri potest, procuranda est, ex rationibus ibidem n. 5 adductis.

4. — Requiritur IV. contritio *universalis* seu ad omnia peccata *saltem mortalia* sese extendens, ex motivo universali, quod esse potest aut caritas aut metus gehennae aut turpitudine omnibus peccatis

<sup>1)</sup> Quare non satis est dicere: *Diligo te Deum meum super omnia, quia summe bonus es, parce peccatis meis*; haec non nisi amoris actum ac

peccatorum deprecationem exprimunt. Expresse dicendum est: *Doleo de peccatis meis* etc. Scavini: Tom. III n. 283.



communis. Nullum enim peccatum remittitur sine contritione, nec unum mortale sine aliis mortalibus v. §. 108 n. 1. Ezech. 18, 21.

Quoad *venialia* peccata contritio non necessario debet esse universalis; sufficit ad valorem Sacramenti, ut qui tantum venialia commiserat, de uno sincere doleat; quia unum veniale sine aliis remitti potest §. 110 n. 4. Qui vero sine ullo dolore peccata venialia confitetur, mortaliter peccat, propter gravem irreverentiam, quam Sacramento irrogat, id suo effectu frustrando. <sup>1)</sup>

*Non est necesse, ut de singulis peccatis singuli actus doloris eliciantur, aut dolor referatur ad peccata distincte et actualiter recogitata; sed sufficit, de omnibus etiam oblitis generaliter poenitere, ex motivo universali e. g. metu gehennae vel purgatorii, caritate erga Deum offensum. Etenim, ut apte s. Thomas <sup>2)</sup> ait, sicut qui diligit vel odit aliquam communitatem, singulos diligit vel odit: ita qui detestatur omnia peccata simul comprehensa, etiam singula detestatur. Consultum tamen est, peccati cujusdam particularis, ad quod major est animae proclivitas, specialem detestationem elicere, ut securius faciliusque postea vitetur. <sup>3)</sup>*

5. — Requiritur V. contritio *appretiative summa*, ea nempe, qua poenitens peccata commissa plus detestatur, quam alia mala omnia, eo quod peccatum est gravissimum et unice verum malum, nempe offensa Dei, justissimi vindicis, summi boni infinite diligibilis. Talis autem debet esse contritio, quia secus voluntas non absolute nec pro omni casu averteretur a peccato. — Non requiritur contritio *intensive summa*, qua quis peccatum affectu vehementiori detestatur, quam alia mala; quia talis affectus non pertinet ad essentiam actus, nec est in hominis potestate.

Nec *diuturnitas* requiritur ad veram et summam contritionem, quae minimo etiam tempore concipi potest: similiter ac unico instanti patrari peccatum mortale. <sup>4)</sup> Sed cavendum, ne nimia festinatione insufficiens concipiatur peccatorum detestatio.

6. — Requiritur VI. contritio *sacramentalis*, videlicet ex intentione saltem implicita suscipiendi Sacramentum elicita et

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 449, Dub. 1.

<sup>2)</sup> In IV. Sent. Dist. 17 q. 2 a. 3.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 433.

<sup>4)</sup> Tam s. scripturae quam ss. Patres tradunt, hominem quovis momento posse per veram poenitentiam justificari. Vid. Bellarmin: De Poen.

Lib. II c. 11. Hinc falsissimum, quod J u e n i n u s: Comm. historico-dogm. Disp. 6 q. 9 c. 4 scripsit, „toti antiquitati fuisse persuasum, contritionem non esse unius diei opus, sed multorum mensium, imo et nonnumquam annorum.“

virtualiter coëxistens absolutioni. Ratio I<sup>mi</sup> quia contritio, quum sit pars Sacramenti, cum hoc per intentionem poenitentis connexa esse debet, per se enim eo non refertur;<sup>1)</sup> — II<sup>di</sup> quia forma super materiam praesentem cadere debet.

Porro 1. *ex intentione implicita* suscipiendi Sacramentum dolorem is elicit, qui se praeparando ad confessionem de peccatis cognitis dolet. Qui vero sine ulla intentione vel cogitatione confessionis doluit de peccatis, et postea vult confiteri, dolorem innovare debet; nisi ex vi hujus doloris virtualiter perseverantis postea statuit confiteri, ita ut confessio ex dolore procedat. 2. *Absolutioni virtualiter coëxistit dolor*, qui immediate ante confessionem vel absolutionem, et juxta quosdam una vel duabus vel quatuor horis ante confessionem est conceptus et non retractatus per complacentiam de peccatis, de quibus doluit, aut per subsequens peccatum mortale.<sup>2)</sup> Juxta s. Alphonsum<sup>3)</sup> etiam per unum vel alterum diem potest dolor elicitus virtualiter perseverare, si vi hujus doloris quis proposuit confiteri et confitetur. Ceterum suadendum est poenitentibus, ut immediate ante confessionem renouent actum contritionis prius elicitum, praesertim si notabilis mora intercesserit.

*An vero necesse est, ut confessionem antecedit contritio?* Quamvis non obstet Sacramenti valori, si actus contritionis *post confessionem* eliciatur, ita ut quis sit vere contritus, dum absolvitur;<sup>4)</sup> in praxi tamen omnino curandum est, ut actus contritionis *antecedit confessionem*, nempe eliciatur, dum fit praeparatio proxima ad confessionem, tum quia juxta Catechismum Romanum (P. II. c. 5 q. 21) contritio pro natura sua antecedit confessionem, tum quia periculum est, ne poenitens in tanta temporis breuitate, quae inter confessionem et absolutionem intercedit, ad seriam contritionem non ascendat, aut per absolutionem praeueniatur, antequam sit dispositus.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Juxta s. Alph. Lib. VI. n. 447 sententia est *probabilis* docens, ad valorem Sacramenti requiri, ut dolor sit elicitus cum intentione confessionis, ideoque in praxi sequenda, cum agatur de valore Sacramenti.

<sup>2)</sup> Vid. Reiffenstuel: Tr. 14 Dist. 6 n. 61. Voit: P. II n. 504 et 509. Elbel: Conf. III n. 66.

<sup>3)</sup> H. A. Tr. 16 n. 20.

<sup>4)</sup> Ex Rituali Romano, quod dicit: *Audita confessione* (confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur*, quibus verbis supponitur, quod sufficit dolor post confessionem elicitus. Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 445.

<sup>5)</sup> Reuter: P. IV n. 285. Voit: P. II n. 506.

Denique observandum, quod *ille, qui statim post absolutionem confitetur peccatum ex oblivione omissum, novum debet elicere actum doloris*; quia per primam absolutionem est Sacramentum completum; quare si rursus est danda absolutio, nova requiritur materia proxima; novum enim et iteratum Sacramentum nova et iterata materia et forma constare debet. Et quamvis dolor prius elicitus forte virtualiter perseverat: non tamen perseverat relate ad secundam absolutionem.<sup>1)</sup>

### C a s u s.

7. — *Georgius per pessimam, quam egit vitam moerore multo patrem suum affecit. Obiit subito pater, filiusque hoc tristi eventu vehementer attonitus recogitat flagitia sua, quae humili confessione expiare proponit. Revera subinde peccata confitetur in lacrimas veluti effusus; et idcirco a confessario interrogatus: An ergo te vehementer poenitet vitae tuae anteactae, respondet se dolere quidem de peccatis commissis, non tamen de peccatis, sed de morte patris lacrimas fundere. Dubitatur: An dolor ille de peccatis sit 1. respectu motivi supernaturalis, et 2. respectu magnitudinis summus?*

Resp. ad 1. Qualitati supernaturali doloris per se non obstat, quod Georgius eventu naturali, nempe morte patris, excitatus est ad dolenda peccata. Nam distingui debet *ocasio* et *motivum* contritionis. Etsi occasio, qua quis ad poenitentiam instigatur, naturalis sit, tamen motivum, ex quo poenitentia oritur, supernaturalis esse potest. Imo Georgius eo quod sponte sua confessionem peregit ad peccata sua expianda, et eventu quidem extraordinario incitatus, haud levia indicia praebet contritionis verae, nec mere naturalis.

Ad 2. Quum contritio non *intensive*, sed *appretiative* summa ad Sacramentum Poenitentiae requiratur, potuit Georgius habere contritionem summatis necessariae, quamvis non de peccatis commissis, sed de morte patris lacrimas fuderit. Perbene Bellarmin observat: „Saepe accidit, ut de re aliqua magis doleamus *intensive*, de qua minus doleamus *appretiative*, et contra. Nam viri etiam boni gravius tristantur interdum et dolent ob mortes filiorum, quam ob peccata; qui tamen, si daretur optio, mallent filios amisisse, quam Deum offendisse. De *sancta Paula* Romana scribit s. Hieronymus in ejus vita, in mortibus filiorum sic illam graviter affici solitam, ut semper de vita periclitaretur: qualem dolorem ob crimina in Deum admissa numquam sensisse legitur; nec tamen dubitari potest, quin femina illa sanctissima et optima maluerit filios omnes perire, quam vel leviter Deum offendere.“ Et rationem hujus disparitatis sapienter addit his verbis: „*Saepe enim fit, ut id, quod minoris faciendum esse recta ratio dictat, sit propinquius, notius, naturae convenientius, longa familiaritate conjunctum, quod proinde magis afficiat et moveat, licet illi aliud quidpiam absolute et simpliciter praeferatur.*“<sup>2)</sup> Ceterum, ut ad casum nostrum redeamus, si quid dubii de contritione Georgii necessaria interveniat, facili negotio confessarius illum disponere poterit, quod et debet.

8. — *Paulus confitetur peccata, mortalia et venialia; interrogatus a confessario, num ante confessionem elicuerit dolorem, respondet se esse oblitum. Jubet*

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 448. Quamvis sententia opposita sit *probabilis*, in praxi tamen tutius est sequen-

dum, cum agatur de valore Sacramenti.

<sup>2)</sup> De Poenit. Lib. II. cap. 11.

*itaque confessarius eum contritionem elicere, quo facto post injunctionem poenitentiae illum absolvit. Verum mox accepta absolutione idem poenitens dicit se unum peccatum mortale ex inadvertentia omisisse; ideo se de eo accusat, et confessarius eum statim absolvit. Quaeritur, num confessarius in utroque hoc casu recte egerit?*

Resp. ad 1. Aff., quia poenitens, si non ante confessionem elicuerat dolorem, saltem ante absolutionem dolorem elicere debet, ita ut sit vere dispositus, dum a confessario absolvitur; secus enim invalida esset confessio. Melius adhuc egisset confessarius monendo poenitentem, ut elicitio dolore se generaliter accusaret de peccatis ante explicatis: *Iterum me accuso de peccatis omnibus confessis*, licet hoc necessarium non fuerit.<sup>1)</sup> Ceterum fidelibus inculcandum est, ut dum se praeparant ad confessionem, serio actus contritionis eliciant, ut supra n. 6 indicatum est.

Ad 2. Neg., quia juxta dicta n. 6 *probabilius*<sup>2)</sup> unus idemque dolor non sufficit ad duas vel plures absolutiones; quocirca confessarius debuit *tutius* eligere ac poenitentem monere, ut novum actum doloris eliceret, vel saltem interrogare, an etiam de hoc peccato ob Deum offensum etc. doleat. Poenitens autem in hoc casu non est inquietandus, quatenus a peccato ex oblivione omisso in priori confessione fuit indirecte absolutus.

## §. 117.

### De proposito.

1. — Duplex distinguitur propositum: explicitum et implicitum. Dicitur *explicitum* seu formale, quo quis de futura vita cogitans statuit non amplius peccare. *Implicitum* seu virtuale est, quo quis non cogitat de vita futura, ita tamen dolet de peccatis, ut si quaereretur ex ipso, an posthac velit vitare peccata, serio annueret.

Propositum non peccandi de cetero, ad justificationis gratiam obtinendam in poenitente requiri, ea quidem necessitate medii et praecepti, qua necessaria est contritio, cujus est pars essentialis, constat ex Conc. Trid. Sess. 14 cap. 4 de Poen.

*Utrum vero hoc propositum necessario debeat esse explicitum, an solum implicitum sufficiat*, non conveniunt Theologi. In praxi omnino instruendi et monendi sunt Christifideles, ut in praeparatione ad confessionem actibus doloris et detestationis peccatorum elicitis propositum expressum non peccandi numquam non adjungant. Quamvis enim sententia dicens, sufficere in eo, qui per oblivionem inculpatam omisit propositum explicitum elicere, implicitum propositum, sit *valde probabilis*: tamen cum agatur de valore Sacramenti, *tutius* est faciendum, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Hinc consequenter qui certus est, quod pro-

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 445.

<sup>2)</sup> Juxta eundem s. Doctorem Lib. VI. n. 448.

positum emendandi vitam non elicit, confessionem iterare debet, quia confessio non probabiliter tantum, sed certo valida requiritur.<sup>1)</sup> Ceterum in praxi fere semper, deficiente proposito explicito, etiam deficiet detestatio peccatorum explicita seu formalis; quia fieri vix potest, ut detestatio peccatorum, cum talis est, qualis esse debet, poenitentem non impellat ad abhorrendum a peccatis futuris, etsi certa verborum formula non utatur, quae non requiritur; quocirca non solum ob defectum propositi expliciti, sed simul ob defectum doloris necessarii obligatio erit repetendi confessionem.

### PROPOSITIO.

*Propositum ad obtinendam peccatorum remissionem debet esse firmum, efficax et universale.*

2. — Requiritur I. *firmum* propositum, in eo consistens, quod poenitens habeat voluntatem determinatam non recidendi et ita sit dispositus, ut nullius mali timore et nullius boni cupidine peccatum admittere velit. Secus enim peccata non vere retractaret nec sincere ad Deum se converteret.

Notandum a) contra Jansenistas et Rigoristas, quod relapsus non semper est signum infirmi propositi; nam propositum respicit voluntatem praesentem, quae licet seria sit, postea tamen mutari potest. Ita sancti Doctores,<sup>2)</sup> nec non Rituale Romanum.<sup>3)</sup> Alioquin poenitens, quoties recideret, toties teneretur repetere confessiones tamquam invalidas, quod est contra praxim et communem

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 450. Ita etiam Amort: Tr. 12 §. 8; Voit: De poenit. n. 511, et inter recentiores Scavini: Lib. III. n. 292. Ed. 13. Mediolani 1882. Kenrick: Vol. II. Tr. 17 cap. 3 n. 26. Praecessit jam s. Carolus Borromaeus qui in sua Instr. pro confessariis cap. 11 tradit, iterandam esse confessionem, si (quis) nullo penitus cum dolore de peccatis suis nullove deliberato emendandi proposito confessus sit etc.

<sup>2)</sup> S. Thomas: „Quod aliquis postea peccat, non excludit, quod prima poenitentia vera fuerit. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat. Numquam enim veritas prioris actus

excluditur per actum contrarium subsequentem.“ 3. q. 84 a. 10 ad 4. Simili prorsus modo loquuntur s. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 14 p. 1 d. 4; s. Alph., qui in op. Praxis Conf., cap. 1 n. 20 scribit: „*Neque relapsus sunt certa indicia, nullas fuisse confessiones factas, praecipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet, sibi aliquam vim fecerit.*“ Item Lib. VI. n. 451 versus finem.

<sup>3)</sup> De Sacr. Poenit. dicens: „*In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent.*“ Ubi supponit, quamvis relabantur, eos recte confiteri.

sensum fidelium. Verumtamen, si poenitens post confessionem nulla vi sibi illata et statim, eodemque modo relabatur, tunc signum vel saltem suspicionem praebet, quod firmo proposito caruerit; qui enim firmiter peccatum vitare proponit, non adeo facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit. <sup>1)</sup>

b) Nec timor relabendi ob expertam fragilitatem est indicium indubium propositi infirmi; profecto enim seria voluntas non peccandi cum huiusmodi timore consistere potest. <sup>2)</sup> Adhortandus vero est poenitens pavidus, ut sibi humiliter diffidens plenam in Deo fiduciam ponat, qui dat non tantum velle, sed etiam perficere.

Requiritur II. propositum *efficax* seu inclinans ad efficiendum, quod proponitur. Ideoque poenitens paratus esse debet non tantum vitare peccatum, sed etiam adhibere media necessaria ad peccatum vitandum, et praesertim avellere occasiones proximas.

Requiritur III. propositum *universale* seu se extendens ad omnia peccata mortalia, non solum patrata, sed etiam quae patrari possunt. Quamvis enim sufficiat dolor, qui respicit tantum peccata commissa, non tamen sufficit propositum vitandi peccata hactenus patrata, sed opus est voluntate absoluta vitandi omnia mortalia. Etenim non potest vera cum Deo reconciliatio et amicitia institui absque plena cujusvis peccati mortalis aversione. Unde Concilium Trid. Sess. 14. cap. 4 loquens de contritione restricte dicit: *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, non alio; loquens vero de proposito generaliter ait: *cum proposito non peccandi de cetero*, nempe nullum prorsus mortale peccatum deinceps committendi. <sup>3)</sup>

3. — Quod attinet propositum de *peccatis venialibus*, pariter *firmum* et *efficax*, non tamen necessario universale esse debet; quia venialia consistere possunt cum gratia et amicitia Dei, ut saepius dictum est. Requiritur et sufficit ad valorem Sacramenti, ut poenitens de uno saltem veniali doleat, idque vitare firmiter et efficaciter proponat; — sufficit, ut de multitudine et frequentia venialium doleat, eamque minuere serio velit; — sufficit, ut doleat de venialibus deliberatis, et ab iis omnibus vel ab aliquo genere venialium e. g. mendaciis, impatientiis abstinere proponat; —

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. 459.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 451.

<sup>2)</sup> Idem n. 451.

sufficit quoad venialia semideliberata, ut de his doleat, eaque, in quantum fieri potest, devitare firmiter statuatur.<sup>1)</sup>

### C a s u s.

4. — *Cajus confitetur, se ab ultima confessione, quam fecerat anno elapso, pluries turpiter peccasse. Examinatus a confessario candidè profitetur, se jam per quatuor annos inhoneste cum femina vivere, post confessiones annuas mox in peccatum eodem modo esse relapsum. Tu ergo, reponit confessarius, numquam hactenus verum dolorem et propositum de tuis peccatis habuisti? Ecquidem, prosequitur poenitens, dolorem de peccatis ante confessionem semper elicui, sed expresse peccatum hoc vitare non statui, nesciens hujusmodi propositum esse necessarium. Urget confessarius, an modo habeat firmum propositum non peccandi de cetero? Respondet Cajus: Volo omnia peccata vitare, sed ab hoc vitio non possum amplius abstinere. Queritur 1. An Cajus censerì possit in praeteritis confessionibus habuisse propositum necessarium, et 2. an ejus propositum praesens sit sufficiens ad valorem Sacramenti?*

Resp. ad 1. Cajus nec explicitum neque implicitum propositum emendandi vitam habuisse convincitur, ideoque nec dolorem et detestationem veram et efficacem de peccatis commissis; cujus defectus indicium est, quod occasionem proximam peccati non reseverat et mox post confessiones relapsus erat, quin aliquo modo tentationi restiterit. Hinc sequitur, ejus confessiones fuisse invalidas ex defectu doloris et propositi veri. S. A l p h o n s u s dicit: „Si poenitens plerumque statim ceciderit, post duos vel tres dies a confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.“<sup>2)</sup>

Ad 2. Propositum hoc non sufficit ad valorem Sacramenti, quia non est universale. Certe cum Cajus putat se non posse peccatum vitare, actu dispositus non est ad illud vitandum. Attamen non statim ideo dimittendus; sed potius erigendus spe divinae gratiae, cui si cooperetur, poterit abstinere peccato. Quodsi vim sibi inferre et nominatim occasionem proximam, cum possit, abscindere nolit, tamquam indispositus ad Sacramentum absolvi non poterit.

## II. De Confessione.

Circa confessionem sacramentalem spectari debent: 1. ejus notio et necessitas, 2. ejus conditiones, 3. ejus integritas, 4. causae ab integritate excusantes, 5. iteratio confessionis et 6. confessio generalis.

### §. 118.

#### Notio et necessitas confessionis sacramentalis.

1. — *Confessio sacramentalis (quam Graeci exomologesim appellant) est accusatio peccatorum post baptismum commissorum a poenitente sacerdoti facta ad obtinendam absolutionem. Hinc 1. non*

<sup>1)</sup> S. A l p h. Lib. VI. n. 449 versus finem.

<sup>2)</sup> Praxis Confess. cap. 1 n. 20 in fine.

peragitur confessio sacramentalis, dum fit peccatorum enarratio mere historica, quia haec non est accusatio seu non profertur animo se exhibendi reum, nec refertur ad absolutionem. 2. Non est confessio sacramentalis peccatorum expositio facta ad capiendum consilium vel auxilium, ad illudendum confessario, quia deest accusatio vel saltem intentio obtinendi absolutionem. 3. Confessio sacramentalis est confessio peccatorum invalida ex quocunque defectu, cum fiat accusatio ex intentione obtinendi absolutionem. <sup>1)</sup>

Si quis primum in colloquio peccata sua historice exposuerat confessario, et mox apud eundem confessarium de illis generatim se accusat intendens absolutionem recipere, modo facit confessionem sacramentalem, quia subsistit accusatio peccatorum submissa confessario ut judici in finem absolutionis obtinendae. An vero haec statim sit sufficiens ad dandam absolutionem, infra §. 119 n. 6 videbitur.

2. — Protestantes confessionem esse *inventum humanum*, ab Innocentio III. in Conc. Lat. IV. inductum contendunt, ac modo tamquam bonam et utilem commendant, modo veluti *tyrannidem* et *animarum carnificinam* execrantur, vel ad summum ejusdem usum liberum esse volunt, utque institutionis mere ecclesiasticae. <sup>2)</sup> Hinc sit

### PROPOSITIO I.

*Confessio sacramentalis est a Christo Domino instituta, et jure divino necessaria ad salutem.*

3. — De fide est doctrina asserta, quam Concilium Trid. Sess. 14. can. 6 definivit his verbis: „*Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, — — anathema sit.*“ Probatur 1. ex verbis Christi: „*Quorum remisistis peccata etc.*“ Joan. 20, 23, quibus Dominus Apostolos ac sacerdotes constituit judices, ut actu judiciario peccata remittant vel retineant. Atqui sacerdotes hanc potestatem judicariam incognita causa exercere nequeunt; porro poenitentium causa plene et integra cognosci non potest, nisi per poenitentium confessionem. Ergo eo ipso, quod Christus tradidit Apostolis et sacerdotibus potestatem remittendi et retinendi peccata fidelium, simul *instituit confessionem peccatorum*. Sed eam quoque uti *necessariam ad salutem instituit*. Nam Apostolos et sacerdotes constituit judices

<sup>1)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 44.

<sup>2)</sup> Vid. Bellarmin: De Poen. Lib. III. cap. 2.



non solum arbitrarios seu quos pro suo arbitrio poenitentes possint adire pro venia peccatorum, sed iudices necessarios, sine quibus venia obtineri non possit; quod signanter liquet ex verbis: *quorum remiseritis, quorum retinueritis peccata*. Ergo necessaria est confessio coram sacerdote tamquam iudice necessario, ad obtinendam veniam peccatorum. <sup>1)</sup> — Probatur 2. ex perpetua Ecclesiae traditione et praxi, si ex omni quidem saeculo usque ad tempora Apostolorum exstant monumenta ecclesiastica, quae ostendunt, confessionem sacramentalem ab exordio Ecclesiae fuisse in usu, habitamque vi institutionis divinae atque ad remissionem peccatorum omnino necessariam. De his aliisque ad rem pertinentibus vid. Theologos dogmaticos. <sup>2)</sup>

Igitur confessio sacramentalis a Christo ipso est instituta ac necessaria ad salutem, et quidem *necessitate medii* in re vel in voto, omnibus post Baptismum graviter lapsis. Eodem enim modo confessio est necessaria, ac ipsum Sacramentum Poenitentiae, cujus partem essentialem confessio peccatorum constituit. Ex qua necessitate infertur *praeceptum divinum* confessionis peragendae, quia ideo Deus nobis dat vel assignat media necessaria ad salutem, ut eadem ad nostram salutem adhibeamus; hinc axioma: Quod est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate praecepti.

4. — *Praeceptum divinum confessionis obligat omnes, qui peccato mortali se macularunt; et obligat tum per se tum per accidens.*

I. Obligat *per se*: 1. in mortis articulo et in gravi vitae periculo vel probabili non amplius confitendi; quare tenentur confiteri, qui graviter decumbunt vel habent signa imminentis mortis naturalis, mulieres tenerae primum pariturae vel quae solent habere partus difficiles, damnati poena capitali, ingredienti periculosam navigationem vel conflictum.

Quod attinet *parvulos*, si jam usum rationis sunt adepti, eorum confessionem pastor animarum omnino excipere debet, etsi antea ad confessionem nondum essent admissi. Si sint plane rudes, eos breviter instruere debet in necessariis necessitate medii, dein

<sup>1)</sup> Vid. Lugo: De Poen. Disp. 15 Sect. 1 n. 6. Suarez: De Poen. Disp. 17 Sect. 2. Vasquez: In 3. q. 90 a. 1 dub. 2.

<sup>2)</sup> Praeprimis Bellarmin: De Sac. Poenit. Lib. III. cap. 5—11. Vid. etiam Schwane: Dogmengeschichte der patristischen Zeit. S. 1054 etc. Münster 1869.

interrogationibus eos in confitendo juvare, ad contritionem verbis eorum captui accommodatis disponere, actus fidei, spei et caritatis cum dolore de peccatis cum ipsis breviter elicere, eosque levi satisfactione imposita absolvere. In dubio, an parvulus sufficienti usu rationis polleat vel peccatum commiserit, sub conditione est absolvendus.<sup>1)</sup> De viatico parvulis ministrando supra §. 98 n. 10.

Obligat 2. saepius in vita, videlicet saltem semel in anno; sic enim praeceptum divinum confessionis determinavit Ecclesia, cui Christus reliquit tempus obligationis determinandum. Praeterea hoc praeceptum obligare potest peccatorem mortalem etiam infra annum ad confessionem, si non perfecte conteratur; ne videlicet diu maneat in statu peccati mortalis. Ita s. Alphonsus.<sup>2)</sup> Vid. supra §. 115 n. 3.

II. Obligat *per accidens*: 1. quando recipienda est Eucharistia, si eam sumpturus versetur in peccato mortali; 2. quando requiritur status gratiae e. g. ad Sacramenta administranda vel recipienda, quae dicuntur vivorum, nec elici potest actus contritionis perfectae; 3. quando urget gravis tentatio, quae alias superari nequeat, vel confessio omnino necessaria judicatur ad relapsum praecavendum; 4. quando haereticus in sinum Ecclesiae catholicae rediit.

## PROPOSITIO II.

*Confessio sacramentalis etiam necessaria est de jure ecclesiastico, saltem semel in anno, omnibus fidelibus adultis.*

5. — Lex de confessione annua constituta est anno 1215 in Concilio Later. IV. can. 21 his verbis: „*Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere; — alioquin vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.*“

<sup>1)</sup> S. Alph.: Praxis confess., cap. 7 n. 91.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 663. Catechismus Rom. P. II cap. 5 q. 53 monet: *Sed nulla res fidelibus adeo curae esse debet, quam ut frequenti peccatorum confessione animam studeant expiare; etenim, quum aliquis mortifero scelere urgetur, nihil*

*ei magis salutare esse potest ob multa, quae impendent, vitae pericula, quam statim peccata sua confiteri.*“ Concilium Prov. Westmonasteriensis a. 1852 Decret. XIX n. 4 haec habet: „*Medicinalis hujus Sacramenti ratio postulat, ut quanto citius post letalis peccati vulnus recipiatur.*“

Et Concilium Trid. Sess. 14. can. 8 eum anathemate percutit, qui dixerit, ad confessionem non teneri *omnes et singulos utriusque sexus Christifideles juxta magni Concilii Later. constitutionem semel in anno.*

6. — **Explanatio.** 1. Ex Decreto Concilii Later. ad confessionem obligantur omnes *baptizati* peccatores, etiam haeretici, schismatici, excommunicati, nisi eos impotentia excuset; etiam pueri, *postquam ad annos discretionis pervenerint*, id est, si discernere bonum et malum sciant; quod non ex aetate solum, sed praecipue ex educatione et indole judicandum est. Hinc animarum pastores tenentur pueros sensim ad confessionem praeparare; et graviter errant confessarii, qui pueros sibi commissos numquam ante primae communionis aetatem absolvere volunt.<sup>1)</sup>

2. Confiteri ex decreto Later. quisque debet *omnia sua peccata*, nempe mortalia; quia Ecclesia praecipiendo confessionem, praecipit eam, quae facienda est juxta Christi institutionem; Christus autem non praecipit, nisi confessionem mortalium. Attamen recte et utiliter venialia in confessione dicuntur. Concil. Trid. Sess. 14. cap. 5 de Poen.

Hinc communiter cum s. Alphonso<sup>2)</sup> docent, eum qui mortaliter per annum non peccavit, stricte non teneri ad confessionem. Etenim Ecclesia suo praeepto determinavit solum quoad tempus confessionis peragendae praeeptum divinum, quod non obligat ad confessionem venialium. Ita in theoria, cujus nec in catechesibus neque in concionibus mentio fiat, si quidem in praxi omnes omnino fideles urgendi sunt, ut saltem singulis annis peragant confessionem sacramentalem. Quam facile enim quisque in re tanti momenti cum detrimento animae suae decipi potest! Et quid de iis censes, qui licet non mortaliter peccasse putaverint, tamen ad ss. Eucharistiae Sacramentum suscipiendum ommissa per annum vel amplius confessione sacramentali accedere auderent?

Sed *an ille, qui initio anni tantum venialia confessus est et postea labitur in mortale, tenetur denuo confiteri?* Tenetur, quia praeeptum est, confiteri peccata mortalia, obligans per integrum annum.<sup>3)</sup>

3. Ex praeepto Concilii Trid. quisque *fideliter confiteatur*, quocirca non satisfit huic praeepto per confessionem invalidam,

<sup>1)</sup> Talem abusum (qui tamen apud nos non obtinet) Pius IX. reprobavit.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 667.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 669.

et tanto minus sacrilegam, quod ultro confirmatur ex prop. 54 ab Alexandro VII. damnata: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* Sane, confessio nulla non est vera et valida confessio.

Dicitur: *solus* confiteatur, ad indicandum confessionem esse debere secretam, non publicam.

4. Additur: *proprio sacerdote*, sub quo intelligitur non tantum parochus, sed etiam episcopus dioecesanus, ipsius Vicarius et Summus Pontifex, qui maxime sunt sacerdotes proprii, altioreque jurisdictionem quam parochi in poenitentes habent; ac praeterea omnis sacerdos ab Ordinario approbatus ex universali consuetudine. Hinc satisfaciunt praecepto confitentes cuicumque sacerdoti jurisdictione instructo: quod definierunt Alexander IV. saeculo 13 contra Gulielmum a s. Amore parisiensem, Joannes XXII. saec. 14 contra Joannem Poliacum parisiensem, et Clemens VIII. saec. 16 contra nonnullos parochos dioecesis Atrebatensis in Belgio.<sup>1)</sup> Et ita etiam declaravit S. C. de Prop. Fide 2. Julii 1827 pro locis Missionum.

5. Tandem ex praescripto Concilii Later. confessio fieri debet *saltem semel in anno*; qui annus juxta communem consuetudinem computatur a Paschate ad Pascha.

Qui praecepto confessionis annuae quacunque de causa non satisfacit, tenetur *quamprimum* confiteri; quia terminus non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem appositus est, quod jam ex verbis: *saltem* semel in anno, conjicere licet. Proinde confessionem differens toties peccat graviter, quoties oblatam confitendi occasionem culpabiliter praetermittit.<sup>2)</sup>

\* S. Chrysostomus: Hom. 14 in Matth. (de necessitate confessionis ad Dei iram fugiendam). S. Ambrosius: De Poenitentia Lib. II. cap. 6 et 7 (cohortatio ad dolenda et confitenda peccata). S. Augustinus: Serm. 20 (al. 3 ex Sirmond.) (confessio peccatorum ad veniam impetrandam necessaria, conversio non procrastinanda). Serm. 392 (al. 40 in hom. 50) (necessitas Poenitentiae, „quia non sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei“). Serm. 393 (al. 41 ex hom. 50) (monitio ad poenitentiam, nam „qui ad ultimum vitae steterit, nescit, si sacerdoti peccata confiteri poterit“). S. Gregorius M.: Lib. II Homil. 26 in Evang. n. 6 (confessionis necessitas). S. Bonaventura: Compendium Theologiae veritatis Lib. VI cap. 25 (confessionis necessitas).

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. Notif. 18 Manuale totius juris canonici Tom. II. n. 19. S. Alph. H. A. Tr. 12 n. 35. n. 1571—1573. Ed. 3. Pictavii 1872.  
Th. m. Lib. VI. n. 564. Craisson: <sup>2)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 12 n. 36.

S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. VI n. 662–674 (de praecepto divino confessionis). — Suarez: De sacr. Poenitentiae Disp. 35 (de praecepto divino confessionis). Disp. 36 (de praecepto eccles. annuae confessionis). Lugo: De Sacr. Poenit. Disp. 15 Sect. 1 (confessio necessaria ex Christi institutione). Sect. 6 et 7 (ex praecepto ecclesiastico).

### C a s u s.

7. — *Sixtus ex diuturna consuetudine addictus est peccato turpi, ideo a confessario jubetur brevi tempore, ad summum post unum mensem iterum confiteri, ob periculum recidendi in idem peccatum. Annuit poenitens, attamen non nisi anno elapso redit ad confessionem peragendam. Quaeritur 1. An confessarius potuerit poenitenti hanc obligationem confitendi injungere? Et 2. An Sixtus valide fuerit absolutus, cum firmum propositum iterum confitendi non habuisse videatur?*

Resp. ad 1. Per se, nempe ex praecepto Ecclesiae obligatio quidem est tantum ad annuam confessionem; per accidens tamen obligatio esse potest pluries in anno confitendi coll. n. 3, prouti in hoc casu, nempe si confessio iudicaretur medium necessarium ad relapsum praecavendum.<sup>1)</sup> Potuit igitur confessarius Sixtum obligare, ut rursus confiteretur. Consultum autem plerumque erit, magis verbis persuasoriis quam rigorosa jussione adigere poenitentes ad frequentanda Sacramenta: quia non semper securius fit, quod rigore praescribitur, quam quod amanter monetur; praeterea raro continget, quod frequentia Sacramentorum sit absolute necessaria et stricte praecipienda ad peccatum vitandum.

Ad 2. Ex eo, quod Sixtus verbo non stetit, non necessario conjicitur, quod in actu confessionis caruerit firmo proposito, medium confessionis adhibendi ad relapsum praecavendum. Potuit enim seriam voluntatem postea mutare. Recole dicta §. 117 n. 2.

8. — *Silvester confitetur in paschate sola venialia, omittens mortale, cujus non recordatur. Sed post unum mensem facta confessione reminiscitur illius peccati. Quaeritur: An vi praecepti ecclesiastici teneatur denuo confiteri?*

Resp. Affirmant plures, „quia ille, qui confitetur sola venialia, non facit id, quod praescribitur ab Ecclesia, sed aliquid, quod non praecipitur. Nam praeceptum est confiteri peccata mortalia.“<sup>2)</sup> Sed *probabilius* mihi negandum videtur, quia ille, qui peccati mortalis inculpabiliter oblitus sola venialia confessus est, implicite etiam mortale, quod (juxta verba Conc. Tr.) in eadem confessione includebatur, confessus est, adimplevit etiam finem praecepti, qui est reconciliatio cum Deo, siquidem indirecte absolutus et revera liberatus est a peccato mortali; ideoque quantum potuit, praecepto Ecclesiae satisfecit. Restat quidem obligatio expresse confitendi illud mortale, ast haec obligatio est ex praecepto divino, quod non urget, ut statim fiat confessio, sed tempore debito, tunc nempe, quando rursus instat aliqua obligatio confitendi, ut communiter docent. Aliter res se habet de eo, qui sciens et volens peccatum mortale in confessione annua reticuit; hic enim peccatum non inclusit, sed expresse exclusit, sacrilege confessus est, nec finem praecepti implevit; ideoque nullo modo Ecclesiae praecepto satisfecit: tenetur igitur rursus confiteri, quamprimum poterit.

<sup>1)</sup> La Croix: Lib. VI. P. II  
n. 2022.

<sup>2)</sup> Ita Lugo: Disp. 15 Sect. 7  
n. 174.

*Sed forte Silvester debet peccatum ex oblivione omissum statim confiteri, ne si differat confessionem, iterum ejusdem obliviscatur? Dico cum s. Alphonso,<sup>1)</sup> non esse obligationem confitendi propter solum periculum oblivionis peccatorum.*

9. — *Pipinus confitetur peccata mortalia, quorum nunc recordatur; et serius recordatur alterius peccati mortalis. Dubitatur, an debeat illud confiteri eodem anno, ut impleat confessionem praecedentem?*

Resp. Sententia communis<sup>2)</sup> negat, quia Ecclesia solum praecipit, ut semel in anno satisfiat praecepto Christi; sed per illam priorem confessionem jam satisfactum est Christi praecepto, quod exigit confessionem omnium mortalium, quae tunc memoriae occurrunt, diligenti examine praemisso, ut explicat Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5 circa initium.

## §. 119.

### Dotes confessionis.

#### PROPOSITIO.

*Confessio sacramentalis quinque praesertim conditionibus instructa esse debet; exigitur enim, ut sit vocalis, secreta, fidelis, integra et dolorosa.*

1. — Confessio I. vocalis debet esse, nempe ipsa voce fieri, non scripto, neque aliis signis; hic enim est usus communis Ecclesiae valde rationabilis,<sup>3)</sup> graviter obligans.

Hic autem modus confitendi non est de essentia Sacramenti; et si suppetit justa et gravis causa, nempe impotentia physica vel moralis, etiam nutibus, gestibus aut scripto confessio fieri poterit, ex Benedict. XI. Extrav. *Inter cunctas* de privil. „*Nisi articulus necessitatis occurrat, sacerdoti facienda est oris confessio.*“ Hinc si poenitens e. g. ob impedimentum linguae, angorem gutturis, verecundiam vehementissimam, non possit sine valde gravi difficultate peccata sua voce explicare, tunc sufficit peccata commissa in scripto legenda exhibere confessario, et iisdem a confessario perlectis addere voce: *De omnibus his peccatis me accuso.*<sup>4)</sup> Imo qui aliter non potest ut e. g. mutus, tenetur confiteri nutibus, gestibus aut scripto, non solum in periculo mortis, sed etiam tempore praecepti

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 665.

<sup>2)</sup> Vid. Lugo l. c. n. 165.

<sup>3)</sup> Ita d. Thomas: „*Ex institutione Ecclesiae tenetur homo, qui potest, ut verbo confiteatur, non solum propter hoc, ut ore confitens magis erubescat, et qui ore peccavit, ore purgetur; sed*

*etiam, quia semper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus est communior usus. Unde et in manifestatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communius et expressius suos conceptus significare consueverunt.*“ Quodl. I q. 6 a. 1.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 429 et 493.

paschalis, cum sine magno incommodo sic fieri possit; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, quae non sunt notabiliter difficilia. Ita merito s. Alphonsus<sup>1)</sup> cum d. Thoma, qui dicit: „Quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri.“<sup>2)</sup> Seclusa necessitate totam confessionem nutu vel scripto faciens mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur.<sup>3)</sup>

Invalida foret confessio per literas vel nuntium facta confessario absentem, ex Decr. Clementis VIII. 20. Junii 1602 v. §. 132 n. 1.

2. — Confessio II. debet esse secreta seu soli sacerdoti fieri debet ad ejus aures, quare auricularis dicitur, non quidem ex necessitate Sacramenti, sed ex usu rationabili Ecclesiae. Quamvis enim Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam scelerum et sui humiliationem delicta sua publice confiteri possit: id tamen non est divino mandato praeceptum; nec consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim occulta, publica essent confessione aperienda. Sic Concil. Trid. Sess. 14. cap. 5.<sup>4)</sup>

De quaestione, an confessio per interpretem fieri possit vel fieri debeat, vid. infra §. 165.

3. — Confessio III. debet esse fidelis seu sincera et verax, ita ut poenitens confiteatur peccata, sicut conscientia nunc dictat esse commissa, ac proferat certa ut certa, dubia ut dubia; alioquin deciperetur iudex.

Hinc a) grave est peccatum mendacii et sacrilegii, nullaque absolutio, si poenitens mentitur quoad materiam necessariam Sacramenti, ut dum peccatum mortale, quod se commisisse cognoscit, inficiatur vel ita tegit, ut a confessario non intelligatur; vel certum mortale confitetur tamquam dubium, vel numerum mortalium auget, nisi fiat ex simplicitate, qua excusantur quandoque rudes, qui putant melius esse plus dicere quam minus. b) Non est grave peccatum nec irritum Sacramentum, quando mendacium versatur circa materiam liberam Sacramenti, ut si poenitens neget

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 479 et 493.

<sup>2)</sup> In Lib. IV. Dist. 17 q. 3. a. 4 quaest. 3.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 493.

<sup>4)</sup> Neque in primitiva Ecclesia confessio publica erat praecepta, nisi

quoad certa publica crimina, et tamquam pars quaedam satisfactionis pro peccatis solvendae; quae propter confessioni publicae semper praemittabatur confessio secreta et sacramentalis, qua sacerdos iudicaret, quatenus delicta publica essent declaranda.

vel falso sibi imponat peccatum veniale, modo det aliam materiam pro Sacramento conficiendo, vel si neget mortalia alias jam confessa et absoluta, nisi confessarius tamquam iudex vel medicus de his aliquid interroget ut necessarium ad cognoscendum poenitentis statum, atque ad impertiendam vel differendam absolutionem. Pariter veniale est, leviter mentiri circa res non pertinentes ad Sacramentum e. g. si historiam falsam quis narret.<sup>1)</sup>

4. — Confessio IV. debet esse *integra duplici sensu*: 1. quatenus *omnia* peccata mortalia sunt aperienda; de qua integritate mox infra §. 120, dein 2. quatenus *uni eidemque sacerdoti* omnia mortalia declarari debent, quia unum peccatum mortale non remittitur sine alio,<sup>2)</sup> §. 108 n. 1. Non tamen officit integritati, si quis accuset mortalia prius confessario ignoto, et deinde ordinario venialia tantum, quia venialia non sunt materia necessaria. In praxi tamen advertendum, ex quo motivo poenitens ita agat, an non circumeat, ut confessarium ordinarium decipiat, ab eo pius et sanctus habeatur, frequenter per hebdomadem communicandi licentiam obrepat, et liberius peccet.<sup>3)</sup>

Confessio V. debet esse *dolorosa*, id est cum animi dolore et proposito debito conjuncta, parendi confessario decernenti tamquam iudici, monenti tamquam doctori, remedia praescribenti tamquam medico, praecipienti auctoritate patris.

5. — Praeter praefatas confessionis condiciones etiam aliae assignari solent, praesertim 1 ut sit *pura*, nempe sola intentione obtinendi veniam peccatorum,<sup>2)</sup> 2. ut sit *simplex*, clara et nuda peccatorum accusatio sine admixtione rerum ad confessionem non spectantium, 3. ut sit *discreta*, verbis honestis utens, devitans manifestationem peccatorum vel defectuum aliorum absque necessitate.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 495—497.  
H. A. Tr. 16 n. 28.

<sup>2)</sup> De confessione non dividenda  
s. Bonaventura: In IV. Sent.  
Dist. 21 P. II a. 1 q. 1.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 471.

<sup>4)</sup> Bene cl. Rigler: Pastoralis  
liturgica P. II. §. 211 Not. 6: „Ob eam  
causam prudens confessarius maxime  
cavebit, ne ipse fidelium intentionem in  
frequentando Sacramento Poenitentiae

*impuram reddat e. g. praebendo eis hae  
occasione opes etc., vel devinciendo sibi  
affectum praecipue mulierum, ut magis  
Lazarum quaerant quam Christum;  
magis fabulari, placere, laudari malint,  
quam vulnera sua detegere, in sua per-  
versitate cognosci et corrigi.“*

<sup>5)</sup> Ad rem idem praeclarus auctor:  
„Nihil iniquius, quam ad excusandas pro-  
prias iras, invidias, injustitias, eos crimi-  
nari, in quos superbia suam ipsius culpam  
et turpitudinem conjicere attentat.“



Essentiales dotes confessionis sunt contritio et integritas. De priori jam supra §. 116 sat superque dictum est; de posteriore mox sermo fiet. Interim de re praehabita sit

### Exemplum insigne.

6. — In Actis b. Clementis Mariae Hofbauer († 1820 Vindobonae) super virtutibus sequentia leguntur: Ipsi aliquando narratum est, sacerdotem quemdam in Germania tunc temporis valde illustrem quandoque cum juvenibus literarum studiosis deambulantiem audire eos, *quaedam* facta ex propria vita narrantes, et tali narratione contentum dicere: *Sufficit, jam confessus es.* Beatus Servus Dei hac relatione percepta valde contristatus est et dixit, *innovationem esse, non confessionem.* — An merito? Certissime haec non erat confessio sacramentalis, sed mere historica vitae enarratio, quia peccatorum manifestatio non fiebat animo se accusandi et remissionem obtinendi per absolutionem sacramentalem, v. §. 118 n. 1; et praeterea deficiebat contritio, deficiebat integritas, duae conditiones ad confessionis valorem essentialiter requisitae. Proindeque absolutio sine gravi sacrilegii reatu dari nequibat.

Si vero ille sacerdos juvenem vel hominem quemcunque confiteri forte nolentem per interrogationes allexisset ad totam vitae anteactae rationem pandendam, omniaque delicta gravia fideliter aperienda; et si deinceps eum induxisset, ut de peccatis narratis generaliter se accusaret ad absolutionem sacramentalem obtinendam (e. g. *accuso me de his omnibus, quae tibi jam enarravi*): accusatio haec jam rationem confessionis sacramentalis habuisset, utpote facta sacerdoti tamquam iudici in relatione ad absolutionem. Sed confessio, ut sit valida, debet esse integra et dolorosa. Quod attinet *integritatem*, si sacerdos haberet distinctam notitiam omnium peccatorum prius fideliter narratorum (quod in hoc casu utique obtinebit), opus non fuisset eadem rursus singillatim explicare; quia tunc per confessionem summariam omnia illa in memoriam sacerdotis tamquam iudicis sacramentalis revocantur et consequenter iudicio ipsius sacramentali clavibusque Ecclesiae subijciuntur; secus autem, si de iis tantum in confuso recordaretur. <sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 501 Dub. 1, coll. cum H. A. Tr. 16 n. 44.

Quoad *contritionem* debuisset poenitens actum debiti doloris et propositi non peccandi de cetero elicere; quo facto et satisfactione salutari injuncta sacerdos ille poenitenti humiliter et (ut decet) flexis genibus absolutionem petenti et exspectanti absolutionem impertiri potuisset. Et hunc in modum prae laudatus b. *Clemens Maria* ipse aliquando mira prudentia egit cum viro quodam catholico, qui aeternae salutis oblitus confessionem sacramentalem facere detrectaverat; ut pariter legitur in Actis Beatificationis.

\* S. Joannes Chrys.: Homil. 10 et 41 in Matthaeum (de confessione dolorosa et fidei). S. Gregorius M.: Lib. 8 Moral. in Job cap. 20 n. 36—38 (peccatorum confessionem comitari debet compunctio). Lib. 22 Moral. cap. 15 n. 30—34 (confessio humilis et vera seu fidelis). S. Petrus Damiani: Serm. 58 de S. Andrea Apostolo (in quo plura de modo confitendi). S. Bernardus: Serm. 40 de diversis (de septem gradibus confessionis). Serm. 104 de diversis (de quatuor impedimentis confessionis). Serm. 16 in Cantica (de cordis contritione et tribus dotibus confessionis, quod debet esse humilis, simplex et fidelis). S. Bonaventura: Pharetrae Lib. II cap. 19 (multa ex ss. Patribus). Diaetae salutis Tit. II cap. 3 (confessio debet esse festina non tarda, humilis et verecunda, aperta non palliata, vera non ficta, integra non dimidia, flebilis et dolorosa, obediens et prompta). S. Thomas: Suppl. 3. P. Summae Theol. q. 9 a. 2—4. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 479, 493—497.

## §. 120.

### De integritate confessionis.

Ad essentiam confessionis sacramentalis maxime pertinet ejusdem *integritas*, quae duplex discernitur: materialis et formalis.

*Integritas materialis* confessionis est accusatio omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa et nondum directe vi clavium remissa sunt. Haec enim peccata sunt materia necessaria Sacramenti et confessionis; quare ubi haec exponuntur omnia, recte appellatur confessio materialiter integra i. e. totalitatem seu integritatem totius materiae complectens. Talis integritas procuratur per diligens conscientiae examen.

*Integritas formalis* confessionis est accusatio omnium peccatorum mortalium, quae poenitens hic et nunc spectatis circumstantiis moraliter potest confiteri.

*Integritas formalis* est necessaria necessitate Sacramenti; *integritas materialis* est necessaria tantum necessitate praeccepti.

## §. 121.

## De integritate materiali confessionis.

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Integritas materialis in Sacramento Poenitentiae ex praecepto divino *per se* et *regulariter* necessaria est ad remissionem peccatorum. Est de fide, ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5 et can. 7. Probat 1) ex s. scriptura Joan. 20. 23, nempe ex judiciali postestate in peccata exercenda. Quomodo enim valeat sacerdos ut iudex a Christo Domino in tribunali Poenitentiae constitutus iudicium ferre de tota causa, in qua remissionem pronuntiet, et juxta aequitatem statuere poenas, nisi tota causa per omnium et singulorum peccatorum mortalium expositionem declaretur? Probat 2) ex perpetua Ecclesiae praxi. Dixi: *per se* et *regulariter*; etenim si obstet impedimentum physice vel moraliter invincibile, per accidens sufficit integritas formalis, de qua mox infra.

Ex necessitate integritatis materialis poenitentes omnia peccata mortalia secundum numerum et species, nec non circumstantias speciem mutantem confiteri tenentur. Quam veritatem in singulis punctis penitus inspiciamus oportet.

2. — **Punctum I.** Tenentur poenitentes *omnia peccata mortalia* in confessione recensere, *etiam occultissima*, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta. Ita Concilium Trid. Sess. 14. cap. 5 et can. 7.

Sed quaeritur 1. *An sit obligatio confitendi peccata mortalia dubie commissa?* Resp. *Neg.*, si praehabito diligenti examine dubium perseveret; quia juxta Concilium Trid. recenseri debent peccata mortalia, *quorum quis conscientiam habet*; atqui habere peccati conscientiam, significat habere notitiam certam peccati; vel saltem in dubio, an lex existat et obliget, libertas est in possessione. In praxi autem omnino suadendum fidelibus, ut peccata mortalia, quocumque modo dubia sint, sincere exponant, quia id magis absterret a peccatis et juvat simul ad conscientiae tranquillitatem, nisi *a)* sint scrupulosi, vel *b)* sint valde timoratae conscientiae; isti enim moraliter certo credere possunt, se non deliquisse, quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus. <sup>1)</sup> Cf. Lib. I. §. 131 n. 4.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 473—476.

Quaeritur 2. *An sit obligatio confitendi peccata mortalia certo commissa, in dubio, num jam in confessione sint declarata?* Resp. *Aff.*, quia lex divina, praecipiens confessionem mortalium est certa, cui non satisfit per impletionem dubiam. Idem valet, si *probabilis* tantum est confessio peccati mortalis certo commisi; quia sicut lex certa est, ita pariter certa esse debet legis impletio.<sup>1)</sup> Vid. Lib. I. §. 81 n. 2. Excipe, nisi praesumptio stet pro confessione jam integre peracta, v. infra §. 123 n. 3.

Quaeritur 3. *An qui confessus est aliquod peccatum mortale ut dubium, teneatur postea illud in confessione repetere, quando uti certum cognoscit?* Resp. *Aff.* juxta sententiam communissimam et veram; quia ex Conc. Trid. quisque tenetur peccatum declarare, cujus conscientiam habet; atqui poenitens habet nunc conscientiam i. e. notitiam certam peccati commisi, ergo illud confiteri debet. Nec dicas, peccatum jam fuisse accusatum quoad substantiam; nam essenziale discrimen subsistit inter peccatum dubium et peccatum certum, debetque aliud judicium ferri aliaque satisfactio imponi, si peccatum asseritur ut certum, quam si veluti dubium proponitur.<sup>2)</sup>

3. — **Punctum II.** *Poenitentes numerum et species peccatorum mortalium* indicare debent. Ait enim Concilium Trid. Sess. 14. cap. 5, *confitenda esse singula peccata, peccata non in genere duntaxat, sed in specie ac singillatim*, i. e. numerice et specificè. Quibus modis numerus et species peccatorum dignoscantur, satis expositum habetur Lib. I. §§. 127 et 128. Hinc sequentia observanda:

1. Quoad species peccatorum. Qui scit se peccasse mortaliter, sed nescit *speciem genericam* peccati, dicere debet in genere se peccasse mortaliter, non tamen distincte recordari peccati a se patrati. Qui scit *speciem genericam* peccati e. g. se deliquisse contra castitatem, sed ignorat *speciem individualem* seu infimam, quae proprie *species* dicitur, an e. g. peccatum fuerit simplex fornicatio, an incestus etc., saltem *speciem genericam* manifestare tenetur e. g. se contra castitatem graviter deliquisse.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 477.

<sup>2)</sup> Idem n. 478 addens: „Qui autem confitetur peccatum, quod nec ipse nec confessarius sciebat esse mortale, et postea novit esse mortale ex genere

suo, non tenetur illud iterum confiteri; quia in praesentia nihil essentialiter novi ipsi occurrit, et ille confessus est peccatum, uti in sua conscientia erat tunc et nunc est.“

2. *Quoad numerum* peccatorum. Qui non recordatur numeri certi, indicare debet numerum probabiliorem seu qui magis accedit ad veritatem, addendo particulam *circiter*; <sup>1)</sup> qui nec verosimilem peccatorum numerum exhibere potest, indicet consuetudinis malae durationem, et quoties hoc tempore *circiter* in mense, hebdomade, die idem peccatum commiserit, vel num plus minusve frequenter in die vel hebdomade vel mense lapsus sit, ut saltem in confuso apprehendatur numerus peccatorum. <sup>2)</sup> Poenitens postea cognoscens, se in assignando numero errasse, non tenetur iterum confiteri, nisi notabiliter major sit cognitus numerus. <sup>3)</sup> Quod si bona fide numerum majorem dixisset, a repetenda confessione excusatur; quia numerus minor in majore inclusus et remissus fuit.

4. — **Punctum III.** Poenitentes etiam *circumstantias, quae mutant speciem peccati*, confiteri tenentur. Constat ex Concilio Trid. Sess. 14. cap. 5 et can. 7. Hinc e. g. qui rem turpem habuit cum muliere conjugata vel consanguinea vel affini, hujusmodi circumstantiam in confessione exprimere debet.

Quaestio est: *An circumstantiae peccatorum mortalium notabiliter aggravantes in eadem specie sint necessario confitendae?* Valde probabilius et communius negant Theologi, inter quos s. Thomas, <sup>4)</sup> s. Bonaventura, <sup>5)</sup> s. Antoninus, <sup>6)</sup> s. Alphonsus. <sup>7)</sup> Ratio 1. est, quia Concilium Trid. l. c. non alias dicit circumstantias esse explicandas, nisi eas, *quae peccati speciem mutant*, et subjungit, *nihil aliud a poenitentibus exigi.* <sup>8)</sup> Porro 2., quia alias poenitentes

<sup>1)</sup> Per particulam *circiter* vel *plus minus*, intelligi potest excessus modicus super numerum illum, cui particula praefata superadditur, non item excessus notabilis. Quousque autem se extendat illud *circiter* vel *plus minus*, aestimandum est respective ad numerum, cui adjungitur, ita ut quo major fuerit numerus, tanto major excessus sub illa particula intelligi possit, e. g. qui dicit se *ter circiter* blasphemasse, certe intelligi potest fortassis 2 tantum, aut etiam 4; qui dicit 10, intelligi potest 8 vel 12. Vid. S. Alph. n. 466. Elbel: Conf. VII n. 189.

<sup>2)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 103.

<sup>3)</sup> Idem Lib. VI. n. 466.

<sup>4)</sup> In IV Sent. Dist. 16 q. 3 a. 2.

Theologus *Sotus* stans pro contraria sententia putat, quod Doctor Angelicus sententiam suam mutasset, si vitam usque ad finem Summae Theol. produxisset. Cui s. Alphonsus apte reponit: *Haec tamen propheta est P. Soti, non vero sententia d. Thomae.*

<sup>5)</sup> In IV Sent. Dist. 17 p. 3 a. 2 q. 3.

<sup>6)</sup> 3. P. Tit. 14 c. 19 §. 7, et Tit. 17 cap. 17 §. 5.

<sup>7)</sup> Exactissime Lib. VI. n. 468.

<sup>8)</sup> Certo si confitendae essent circumstantiae intra eandem speciem solum aggravantes, Concilium de iisdem mentionem fecisset; proposuit enim in principio Sessionis 14. *exactiorem et pleniorum definitionem* de Poenitentiae Sacramento tradere.

et confessarii semper inter angustias fluctuant, dubitantes de integritate confessionis, cum admodum difficile sit discernere, quatenus sint circumstantiae notabiliter aggravantes. Denique 3., quia lex confitendi circumstantias aggravantes est saltem valde dubia: atqui nemo tenetur legem dubiam observare.

*Objicies:* In Sacramenti materia est tutius eligendum Lib. I. §. 80 n. 2; ideoque, cum tutius sit confiteri circumstantias mere aggravantes, omnino eas confiteri necesse est, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. *Resp.*, quod hoc procedit, dum agitur de valore Sacramenti; at vero ad valorem Sacramenti sufficit confessio formaliter integra, quae jam habetur in casu nostro.<sup>1)</sup>

Aliquando tamen adest obligatio confitendi hujusmodi circumstantias, nempe ubi inducunt censuram vel reservationem, aut quando confessarius de illis interrogat ad necessariam poenitentis directionem. Hinc e. g. fur quamvis per se teneatur solum confiteri, utrum materia furti gravis vel levis fuerit, plerumque tamen tenebitur quantitatem et qualitatem furti explicare, ut confessarius recte se gerat circa officium et modum restitutionis injungendum, atque circa absolutionem impertiendam.<sup>2)</sup> Imo ordinarie expedit, ut circumstantiae notabiliores in confessione aperiantur; quod quippe ad majorem animi pacem et humilitatem, simul atque ad uberiores fructus ex Sacramento percipiendum confert.

5. — **Principium II.** Ad integritatem materialem confessionis procurandam exigitur *examen scientiae*, veluti medium ad finem. Quod examen serio et diligenter institui debet, propter gravitatem finis, ad quem tendit. Confirmatur ex Concilio Trid. quod Sess. 14. cap. 5 et can. 7 dicit, omnia peccata mortalia esse confitenda, quorum post *diligentem sui discussionem* conscientia habeatur, — quorum memoria *cum debita et diligenti praemeditatione* habeatur; — et vult ut *diligentius nos excutiamus et conscientiae nostrae sinus omnes et latebras exploremus.*<sup>3)</sup>

Et tanta quidem requiritur et sufficit diligentia in hoc salutis opere, quanta adhiberi solet a prudentibus et timoratis in negotiis arduis et magni momenti; habito respectu ad capacitatem poenitentis, ad tempus quo hic confessus est, ad peccandi consuetudinem et alias circumstantias. Non praecipitur est discussio

<sup>1)</sup> S. Alph. l. c.

<sup>2)</sup> Ex praedictis rationibus *Catechismus Romanus* P. II cap. 5 q. 47 docere videtur, circa mortalia explicandas esse circumstantias, quae pra-

vitatem valde augent vel minuunt, quae ergo theologiam tantum speciem mutant.

<sup>3)</sup> De diligenti conscientiae examine egregie s. Jo. Chrys. in Homil. 41. in Matthaeum agit.

diligentissima et exactissima, quae anxietates pareret et Sacramentum ipsum contra Christi voluntatem nimis grave et onerosum redderet. Quare diligentia illa morali adhibita poenitens non tenetur de vita anteacta ulterius cogitare.<sup>1)</sup>

Non est necesse, peccata scriptis mandare, ne memoriae excidant, quia nemo per medium extraordinarium tenetur confessionis integritatem procurare; id consuli potest illis, qui ad generalem confessionem se praeparant; prohibendum autem scrupulosis.<sup>2)</sup>

\* S. A l p h o n s u s : Theologia moralis Lib. VI n. 465—478.

### C a s u s .

6. — *Cornelius 1. confitetur, quod ter est fornicatus, nihil dicens, an ter cum eadem vel cum tribus feminis peccaverit; 2. furtum grave recenter commissum tamquam multo jam tempore patratum accusat; 3. addit, se contra tertium Decalogi praeceptum deliquisse. Quaeritur: An integritati confessionis satisfecerit?*

Resp. ad 1. *Aff. per se* loquendo, quia numerus personarum, cum quibus peccatum aliquis commisit, non est necessarius indicandus; peccatum enim speciem non mutat ex numero personarum. Dixi: *per se*, etenim exprimenda esset circumstantia personae, quae speciem mutet, ut e. g. si fuerit conjugata, consanguinea, voto castitatis ligata.

Ad 2. Sunt, qui dicunt, non satisfieri integritati confessionis, dum peccatum recens veluti antiquum accusatur; quia determinatio temporis expressa in confessione omnino mutat actum clavibus subjectum.<sup>3)</sup> Quae ratio forte rem non evincit, quia haec circumstantia videtur esse accidentaliter et extrinseca peccato mortali; et confirmari potest ex eo, quod in confessione generali non necessaria sunt distinguenda peccata ab ultima confessione commissa ab aliis peccatis prius patratibus et jam accusatis. Certo autem talis confessio est contra fidelitatem, quia peccatum non declaratur, sicuti est in conscientia.

Ad 3. *Neg.*, nam debuit explicare, an omitendo sacrum vel peragendo opera servilia, vel utroque modo, atque deinceps quoties violaverit tertium Decalogi praeceptum.

### §. 122.

#### De integritate formali confessionis.

1. — **Principium:** *Quando integritati materiali confessionis obstat impedimentum, prorsus non vel valde difficulter vincibile: tunc sufficit integritas formalis ad valorem Sacramenti, manente tamen obligatione supplendi defectum, cum impedimentum fuerit sublatum.* Ita semper tenuit Ecclesia universalis. Ratio I<sup>mi</sup> est, quia infinitae Dei bonitati et sapientiae repugnat, ad essentiam hujus tam necessarij Sacramenti requirere aliquid impossibile, ut saepe est integritas mate-

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 471, 1.

<sup>2)</sup> Idem n. 471, 3.

<sup>3)</sup> Gury: P. II. n. 488, cum Tamburini etc.

rialis; ergo ad hoc Sacramentum valide et fructuose suscipiendum sufficere debet etiam formalis integritas. Ratio II<sup>di</sup> est, quia licet peccata, quae ob aliquod impedimentum non sunt exposita, vere sint remissa, nempe *indirecte* cum ceteris confessis (v. §. 111 n. 1), et non amplius redeant: tamen ex praecepto Christi, ut §. 121 vidimus, omnia et singula peccata mortalia sunt confitenda, ut sic *directe* subjiciantur clavibus Ecclesiae et *directe* absolvantur; quod confirmatur ex prop. 11 ab Alexandro VII. damnata: *Peccata in confessione omissa aut oblita, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exponere.* Debent ergo peccata omissa exponi in proxima confessione, saltem tunc, quando rursus est obligatio confitendi. <sup>1)</sup>

Reliqua autem peccata prius jam particulariter declarata non sunt necessario cum omissis postea confitenda, quia jam per se et *directe* fuerunt remissa; etenim peccata semel clavibus subjecta et vi illarum *directe* remissa nemo tenetur iterato confiteri.

Causae impediētes, quae ab integritate materiali confessionis excusant, sunt: 1. *ignorantia* et *oblivio inculpata*, 2. *impotentia* physica et moralis. Sunt namque causae eadem impediētes, quae generatim a lege excusant, v. Lib. I. §. 63.

#### A. Ignorantia et oblivio inculpabilis.

2. -- Videlicet a confessionis integritate materiali excusatur 1. qui invincibiliter ignorat, hunc vel illum actum, cujus quidem memoriam habet, esse peccaminosum, vel nescit peccata mortalia secundum numerum et species esse confitenda; et eo magis, qui extreme simplex vel semifatuus vix unum alterumve peccatum confiteri valet; — 2. qui praemisso diligenti examine peccati patrati plane non reminiscitur, vel peccati quidem memoriam habuit, sed sub ipsa confessione obliviscitur. Constat ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5, quatenus dicit: „*reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.*“ Verum hi postea non quidem totam confessionem repetere, cum valida fuerit, sed peccata inculpabiliter omissa, quoad possunt, confiteri tenentur, ut n. 1 dictum est, quando iterum fit confessio sive libera sive ex praecepto.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 479. H. A. Disp. 1 q. 4 c. 5 *Dico secundo.* Elbel: Tr. 16 n. 35. Mazzotta: Tr. 6 De Sac. Poen. Conf. VI n. 163.



Nota 1. invalidam esse confessionem non integram ex ignorantia vel negligentia in examine conscientiae mortaliter culpabili, puta, quando quis merito videatur modum rite confitendi nescire vel peccata commissa ne recordari quidem voluisse.<sup>1)</sup>

Nota 2. non esse obligationem confitendi propter solum periculum oblivionis peccatorum, licet omnibus consulenda sit frequentia confessionis; quia praeceptum est solum confitendi peccata, quae tunc, quando confessio facienda est, occurrunt memoriae praemisso examine.<sup>2)</sup>

### B. Impotentia physica et moralis.

3. — Excusat ab integritate materiali confessionis 1. *impotentia physica* seu omnimoda impossibilitas confitendi omnia peccata, quae adesse censetur: a) *in mutis*, b) *in omnino surdis*, c) *in ignavis idiomatis*, quo utitur confessarius, d) *in moribundis* usu linguae destitutis. De quorum confessione et absolutione specialiter notanda exponuntur §§. 165 et 166.

Excusat 2. *impotentia moralis*, quae in rebus humanis physicae aequivalet, nempe gravissimum et extrinsecum damnum sive spirituale sive temporale imminens poenitenti vel confessario vel tertio, quando adest gravis causa hic et nunc confitendi. Hinc ab integritate materiali exceptionem faciunt: a) *periculum vitae*, quod aut confessario aut poenitenti imminet, e. g. si adveniant hostes, si multi in periculo naufragii vel contagii versentur; — b) *penuria temporis* v. g. si milites statim ad pugnam pergere debent; si infirmus uno alterove peccato dicto deficit, vel est grave periculum deficiendi; si multi moribundi sunt in hospitali, nec potest confessarius omnium confessiones integras excipere, nisi aliqui Sacramento priventur; si adfertur viaticum et confessarius advertit confessiones infirmi fuisse nullas, infirmus autem non potest integre confiteri nisi cum periculo sine absolutione decedendi; si urget necessitas communicandi vel celebrandi, et non suppetit tempus ad confessionem materialiter integram faciendam; — c) *periculum revelationis*, si sacerdos nequit integre con-

<sup>1)</sup> Vid. *Cat. Rom.* P. II cap. 5 q. 49. S. Alph. Lib. VI. n. 471 ex Busenbaum.

<sup>2)</sup> Idem: Lib. VI. n. 665, cum Lugo: De Poen. Disp. 15. Sect. 3. n. 41.

fiteri, quin peccata in confessione audita manifestet, et sic sigillum sacramentale violet.<sup>1)</sup>

Aliquando in summo plurium periculo e. g. tempore naufragii, conflictus, quo singuli audiri nequeant, omnes simul, dicto uno peccato, quod minus infamat, vel generatim dicendo se peccasse contra Dei praecepta, vel (si aliter fieri nequeat) exhibito aliquo generali signo contritionis et confessionis, unica formae prolatione absolvi possunt, nempe: Ego vos absolvo a peccatis vestris.<sup>2)</sup>

Hic pariter advertendum, peccata gravia, quae ex justa causa fuerunt celata, postea necessario esse exponenda, si fieri possit.

An sit obligatio confitendi peccatum, quod explicari nequit sine manifestatione complicitis, vide infra §. 152 n. 4.

4. — Nota 1. minime *magnus poenitentium concursus* e. g. die magnae alicujus festivitatis vel indulgentiae est causa sufficiens faciendi confessionem non materialiter integram, ex prop. 59 ab Innocentio XI. damnata, quia casus non urget et subest periculum absolvendi indispositos. Nec exceptio admitti potest, si ob *proximitatem confessionis* alii facile suspicarentur, poenitentem multis esse *culpulis gravatum.*<sup>3)</sup>

Nota 2. Non excusat *verecundia et difficultas poenitentis* in peccatis suis accusandis; quia illa est onus proveniens ex ipsis peccatis et Sacramento intrinsecum, ut qui non erubuit peccare in conspectu Dei, in conspectu hominis se confundat. Praeterea si magna naturae corruptae repugnantia ab integritate materiali confessionis excusaret: plerique fideles eximerentur a confitendis mortalibus, ideoque ex maxima parte rueret divina haec institutio. Denique *ipsa hujusmodi confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur,* ut Conc. Trid. Sess. 15. cap. 5 observat.

\* S. A l p h o n s u s: Theologia moralis Lib. VI. n. 479, 484.

### C a s u s.

5. — *Cajetanus agricola confitetur peccata sua etiam mortalia, sed non addit numerum. Confessarius monet, ut eum exprimat. Miratur Cajetanus et ait, se hactenus ita esse confessum, quin unquam jussus fuerit exprimere numerum peccatorum. Quaeritur: An confessiones praeteritae fuerint invalidae, et an iterandae?*

<sup>1)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 484 — 488, ubi etiam aliae raro occurrentes exceptiones adnotantur.

<sup>2)</sup> Idem n. 486. G u r y: P. II. n. 498.

<sup>3)</sup> S. A l p h. Lib. VI. n. 485.

Resp. cum distinctione: *aut* Cajetanus ita egit ex ignorantia prorsus invincibili vel saltem non graviter culpabili, *aut* ex malitia vel ignorantia graviter culpabili. Si Imum obtinet, confessiones fuerunt validae, dummodo necessarium dolorem et propositum habuerit; quia silentium prorsus inculpabile vel leviter culpabile circa numerum peccatorum letalium non vitiat ipsum confessionis valorem. Attamen tenetur Cajetanus in praesentiarum integritatem materiale supplere ideoque numerum peccatorum in praeteritis confessionibus omissum, quoad potest, fideliter declarare. Si Idum obtinet, confessiones praeteritae fuerunt nullae, imo sacrilegae ob defectum graviter culpabilem integritatis materialis; quapropter Cajetanus illas, quantum fieri potest, integre repetere simul atque de sacrilegiis commissis se accusare, atque dolorem et propositum elicere tenetur.

6. — *Cornelius per plures annos in confuso tantum confessus est peccata luxuriae. Postea ex concione audita rectum confitendi modum edoctus, nihilominus speciem et numerum peccatorum declarare omisit. Arguitur idcirco a confessario et omnes confessiones praeteritas repetere jubetur. An recte?*

Resp. 1. Confessiones, quas bona fide Cornelius peregit, respectu integritatis erant validae: quia ipse ob ignorantiam invincibilem excusabatur ab integritate materiali, et accusando peccata, prouti potuit, praestitit integritatem formalem, quae sufficiens est ad valorem et essentiam Sacramenti. At vero invalidae, imo sacrilegae forte erant illae confessiones ob defectum doloris et propositi; cum dicatur, Cornelium per plures annos peccata luxuriae esse confessum. „*Advertendum*, dicit s. Alphonsus, <sup>1)</sup> *rem valde difficilem esse, quod peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes cum vero proposito ad confessionem accedant.*“ Recole dicta §. 117 n. 2. Si solum deficiebat integritas materialis confessionis quoad speciem et numerum peccatorum luxuriae, confessarius Cornelium tantum ad supplendum hunc defectum adigere debuit; si deficiebat simul propositum firmum et efficax (quod inquirendum erat), recte confessarius eum ad repetendas confessiones adegit.

2. Confessiones subsequentes erant invalidae et sacrilegae, si agnovit se mortaliter peccare reticendo speciem et numerum peccatorum, aut certe dubitaverit, an non reticendo committeret sacrilegium; ideo has omnes cum debito dolore et proposito integre renovare tenetur. Secus dicendum foret, si existimaverit se non graviter peccare reticendo speciem et numerum peccatorum; quo casu nec quidquam praeter omnia repetere deberet. <sup>2)</sup>

### §. 123.

#### Confessio invalida et iteranda.

1. — Confessio redditur invalida per defectum alicujus conditionis essentialiter requisitae sive ex parte confessarii sive ex parte poenitentis.

I. Ex parte confessarii invalida fit confessio: 1. si ipse non fuit praeditus potestate Ordinis, vel Ordinis quidem, sed non jurisdictionis; 2. si formam absolutionis omnino omisit vel sub-

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 451.

Poenit. Conf. V n. 126 et Conf. VI

<sup>2)</sup> Vid. de simili casu Elbel: De n. 154.

stantialiter corruptit; 3. si non habuit intentionem absolvendi; 4. si prorsus nullum peccatum intellexit, quia accusatio apud iudicem nulla est, quando is illam non intelligit.

Non obstat valori confessionis, si confessarius ante absolutionem oblitus sit peccatorum, sive quia confessio fuit proluxa vel per plures dies continuata (e. g. confessio generalis) sive ob aliam causam, modo saltem in confuso recordetur status poenitentis; quia super materiam certam et sufficienter perceptam absolvit.<sup>1)</sup>

II. Ex parte poenitentis invalida fit confessio: 1. si ignorat scitu necessaria necessitate medii; 2. si nec formaliter integre est confessus; 3. si non habuit dolorem necessarium (esto ex ignorantia vel oblivione inculpabili), vel non habuit propositum firmum; 4. quotiescunque in ipsa confessione mortaliter peccat sive ob defectum examinis sive ob defectum veracitatis etc.

Examinemus modo, *quando* et *quomodo* confessio sit iteranda, per duo sequentia

#### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Confessio sacramentalis certo invalida repeti debet.* Ratio est, quia ex voluntate Christi omnia peccata mortalia ita sunt subjienda clavibus, ut vi absolutionis directe remittantur: atqui per confessionem invalidam nullum omnino fuit dimissum peccatum; ergo est denuo facienda, quacunque de causa contigerit, eam destitutam fuisse valore.

Poenitens, qui consulto adit confessarium linguae ignarum vel surdum, vel ita refert peccata, ut non intelligantur, confessionem nullam facit, quia ipso actu peccat; ideoque confessionem iterare debet. Valet confessio *bona fide* confessario *surdastro* facta, si aliquot peccata ille intellexerit, et tantum repentenda sunt peccata, quae non fuerunt audita.<sup>2)</sup> Et si poenitens finita confessione advertit, confessarium *ob distractionem aliamve causam aliquod peccatum non percepisse*, hoc repetere debet; nesciens, quodnam sit hoc peccatum, non tenetur ad confessionem integram, quae proluxior fuerit, repetendam, quia Deus non videtur cum tanto onere obligare ad integritatem materialem.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 502, qui hoc etiam concedit, etsi confessarius tantum poenitentiae injunctae recorderetur.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 499.

<sup>3)</sup> Idem H. A. Tr. 16 n. 42.

Confessio valida, quae solum integritate materiali caruit, non est necessario iteranda, sed in eo, in quo defecit, supplenda; quia nemo tenetur peccata jam directe remissa iterato confiteri. Cf. §. 122 n. 1.

3. — Quaeritur: *An repetenda sit confessio in dubio de ejus valore?* Resp. 1. si dubitetur, an actus essentialis positi sint, scilicet an dolor elicitus cum proposito, an confessio formaliter integra facta, an absolutio data: tunc confessio repeti debet, nisi ex circumstantiis vel indiciis peculiaribus praesumptio stet pro praestitis essentialibus; quia sicubi non constat, actus, quos lex requirit, reapse positos fuisse, *lex est in possessione.*<sup>1)</sup> 2. Si autem actus essentialis certo positi sunt, et *dubitatur tantum de aliquo accessorio* e. g. an dolor elicitus fuerit vere internus, propositum sufficienter firmum, accusatio legitima, absolutio data cum debita intentione: tunc confessio non necessario repeti debet, nisi ex circumstantiis accedat praesumptio legitima, illos actus non fuisse recte positos; quia *in dubio standum est pro valore actus.*<sup>2)</sup>

**Conclusio practica.** Confessarius in dubio de valore confessionis a poenitente peractae sedulo attendere debet ejusdem conditionem et ordinarie in ipso contingentia, ex quibus ut pluri-

<sup>1)</sup> Ad rem Gobat: Theol. experim. Tract. VI n. 434: „*Dubietas confessionis oritur ex quocunque defectu substantiali; qui omnibus consideratis dubitat, utrum vel praemisit dolorem propositumque essentialiter requisita vel manifestaverit omnia mortalia tenetur stante, perseverante dubio de aliquo ex his punctis, iterare confessionem omnium mortalium prius expositorum. Ita omnes, quia scilicet praeeptum est in possessione.*“

<sup>2)</sup> S. Alphonsus: Lib. VI. n. 505 cum sententia communi docet, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter constet, eas fuisse invalidas; supponens actum fuisse *substantialiter integrum* positum, seu nullum defectum *substantialem* fuisse admissum; nam alias s. Doctor, ubi dubitatur, an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis aut

jurisdictionis (H. A. Tr. 15 n. 34), propositi expliciti (Lib. VI. n. 450), requirit repetitionem confessionis. Ergo juxta s. Alphonsum, si omnia *substantialia* ad confessionem requisita certo posita sunt, et tantum de modo sufficienti dubitatur, confessio non est repetenda, quia in tali dubio standum est pro valore actus; nisi moraliter constet, substantialia non fuisse recte posita, ideoque confessionem fuisse invalidam. Cumque *praesumptio* efficiat quandam certitudinem moralem late acceptam, hinc s. Doctor H. A. Tr. 16 n. 46 eandem regulam sapienter sic explicat, *non teneri poenitentes ad repetendas confessiones, quoties praesumptio et per consequens possessio stat pro illarum valore, nisi de nullitate constet.* Exempla Lib. VI. n. 477 (de confessione), n. 459 (de dispositione), n. 18 (de intentione ministri), n. 573 (de jurisdictione), n. 597 (de absoluteione a reservatis).

mum praesumptio prudens habebitur, confessionem fuisse aut validam ideoque non iterandam, aut invalidam atque repetendam. Nimirum :

1. Poenitens dubitans, an peccatum mortale jam sit confessus, si hactenus diligens ac fidelis fuerit in peccatis confitendis, non tenetur illud confiteri, „cum eo casu ex communiter contingentibus possit moraliter certo credere, se illud jam esse confessum“. Quod etiam valet de illo, qui ex consuetudine mala ad constantem vitae probitatem conversus postea dubitat, num in confessione generali vel particulari diligenter facta omiserit peccatum vel circumstantiam necessariam.<sup>1)</sup> Contrarium censi debet de eo, qui est conscientiae parum timoratae et peccata omittere consuevit; quia praesumptio contra ipsum militat.

2. Qui dubitat, num in confessione praecedente dolorem elicuerit, si sit tenerae conscientiae et ordinarie id facere soleat, prudenter judicare potest, se actum doloris elicuisse; eoque minus eum angi oportet, si solum de sufficientia doloris dubitat, quem se certo elicuisse recordatur. Secus, si quis perfunctorie ad Sacramentum se praeparare et vix ecclesiam ingressus ad confessionale properare soleat, ut cito absolvatur.<sup>2)</sup>

3. Qui vere et sincere doluit de peccatis commissis et postea dubitat, an non actum explicitum propositi omiserit, non est adigendus ad confessionem repetendam, quia fideles vere contriti communiter etiam propositum elicere solent.

4. Quoad recidivum, si aliquamdiu post confessionem strenue contra tentationes pugnaverit: confessarius judicabit validam fuisse confessionem; secus si paulo post confessionem seu data prima occasione lapsus fuerit, nulla vi sibi illata.<sup>3)</sup>

4. — **Principium II.** *Iteranda confessio si 1. instituat<sup>ur</sup> apud novum confessarium, fieri debet plene et distincte* i. e. poenitens omnia peccata mortalia in confessione invalida explicata iterum quoad numerum et speciem clavibus Ecclesiae subicere, imo et omnes confessiones subsequentes, in quibus confessionis illius sacrilegae

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 477. H. A. Tr. 16 n. 33.

<sup>2)</sup> Voit: P. II n. 503. Elbel: De Poen. Conf. III. n. 74. Reuter: Neoconfess. P. III n. 190. Gobat, Sporer etc.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI n. 505. Causa relapsus in debili proposito maxima ex parte reponenda est, merito Lehkuhl dicit.

consciis defectum ejus supplere non curaverat, repetere, simul atque addere tenetur, quoties in illo statu sacrilego confessus sit aliaqua Sacramenta suscepit; — 2. *si fiat apud eundem confessarium, adhuc memorem peccatorum accusatorum vel status poenitentis saltem in confuso; tunc necesse non est, singillatim omnia iterare,* sed sufficit, ut poenitens se accuset de defectu et sacrilegio in priore confessione admissio, simulque declaret, quoties sacrilege Sacramenta perceperit, et summam confiteatur peccata jam ante accusata e. g. *accuso me de peccatis jam declaratis,* e. g. ab hoc triennio commissis, ex quo per annum e. g. vigesies solitus sum confiteri et communicare. — Ratio praedicti discriminis repetenda est ex vi muneris, quo fungi debet confessarius. Est quippe iudex sacramentalis. Jam vero, qui numquam audivit delicta specialia rei, iudicem agere non valet; bene vero ille, qui jam audivit singula delicta et postea eorum saltem in confuso recordatur, ita ut rei conditio et status ipsi pateat.<sup>1)</sup> Quodsi confessarius nec peccatorum nec status poenitentis notitiam ullam habeat, confessio ex integro repetenda erit.

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 498—505. Homo Apostolicus Tract. 16 n. 42—46. — Reuter: Neo-Confessarius P. III cap. 2 n. 189—190. Elbel: De Sac. Poenit. Conf. X n. 250 et seq.

## §. 124.

### Confessio generalis.

1. — Confessio generalis est repetitio confessionum priorum, et vel totam poenitentis vitam anteactam vel partem vitae proxime anteactae complectitur.<sup>2)</sup> Haec aliis necessaria, aliis utilis, aliis noxia est.

1. Confessio generalis iis necessaria et praecipienda est, quorum confessiones praecedentes fuerunt invalidae aut sacrilegae coll. §. 123.

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 502. Elbel: De Poen. Conf. X n. 252 et 253. In illa summaria peccatorum recordatione confessarius colligit singulas confessiones sacramentales prius exceptas, atque ex eis iudicium sacramentale moraliter unum facit.

<sup>2)</sup> Confessionis generalis antiquis-

sima exstant documenta: Socrates: Hist. eccl. Lib. V. c. 19. Vid. s. Arid. apud Greg. Tur. in anal. Mabillon. S. Anselmus in epist. 66 monet archiepiscopum Cantuariae Hierosolymam profecturum, ut generalem omnium ab infantia peccatorum confessionem praemittat.

2. Confessio generalis noxia et prohibenda est scrupulosis et nimis timoratis, qui confessione generali totius vitae semel vel iterum peracta numquam contenti sunt, sed continuo eam absque ratione prudenti iterare cupiunt.

3. Confessio generalis omnibus utilis et suadenda est, quibus spectata eorum conditione causa esse potest majoris tranquillitatis et pacis, profundioris humilitatis, serioris detestationis de peccatis, augescentis fervoris. In specie iis saluberrima erit, qui gravi dubio anguntur de nullitate confessionum, ad conscientiae tranquillitatem, porro qui peculiarem vitae statum e. g. religiosum, clericalem, matrimonialem ingrediuntur, denique qui perfectioni studere cupiunt. Communiter confessio generalis utilis esse et facile permitti omnibus potest, qui numquam eam deposuerunt.

Personis piis et devotis etiam confessio annualis saltem circa defectus notabiliores vel a tempore ultimae confessionis generalis permitti vel consuli potest, valde enim ad vitam spiritualem confert.

Ne facile omittat confessarius, infirmis periculose decumbentibus confessionem generalem suggerere, saltem summariam, eos interrogando, an nihil de praeterita vita conscientiam angat, an semper integre confessi fuerint, contritionem elicuerint, an non in occasione proxima vixerint etc.; esse potest et solet, ut nunc a multis sacrilegiis liberentur.

Qui in peccatis luxuriae vixerunt, iis una tantum vice permittenda est confessio generalis, ne sordes saepius movendo phantasiam rerum turpium speciebus impleant et se in vetus impudicitiae lutum involvant; satius est, ut peracta semel seria harum rerum confessione non amplius loquantur de iis, nisi in genere tantum et cum discretione. Non expedit talibus suadere confessionem generalem, antequam impetus illius vitii est repressus; nisi tamen aliunde esset obligatio.<sup>1)</sup>

2. — Quoad modum excipiendi confessionem generalem sequentia observanda sunt:

1. Si poenitens talem confessionem deponere in animo habet, confessarius eum interroget, qua de causa, an alias jam generaliter confessus sit, quo tempore, et quoties; ut appareat, an necessaria sit vel expediat haec confessio. Qui aliquando confessionem gene-

<sup>1)</sup> Reuter: Neo-Confessarius P. III cap. 2 n. 191.



ralem rite peregit, eum ex hoc tantum tempore audire sufficiet; nisi quid esset, quod magis gravaret, et quod vellet ad solatium addere.

2. Inquirat confessarius, an poenitens jamjam sit dispositus. Si non sufficienter praeparatus videatur aut poenitentium multitudo premat: expedit eum tunc demum admittere, postquam aut dispositus fuerit aut tempus commodius suppetet; *generatim melius erit data instructione confessionem differre*, et poenitenti suadere preces ad petendum lumē Spiritus sancti, ad impetrandam gratiam contritionis perfectae eliciendae, ac in futurum se emendandi. Quodsi confessio generalis *necessaria* cognoscatur et poenitens alio tempore non facile redire possit, statim interrogationibus juvandus et pro viribus disponendus est; quod etiam valet, si nihil dixerit de confessione generali peragenda.

3. Quamquam poenitens per se non teneatur, peccata ab ultima confessione patrata distinguere ab aliis jam prius accusatis, tamen ita confiteri praestat, ut praesens poenitentis status melius cognoscatur et sciatur, utrum in eo non habeatur casus reservatus vel consuetudo prava vel ocasio proxima removenda.<sup>1)</sup> Dein confessarius benigne eum inducat ad peccata sua sincere declaranda secundum numerum, speciem etc., eumque adjuvet interrogando per ordinem praeceptorum Dei et Ecclesiae, peccatorum capitalium et obligationum status, de omnibus quae committere solent poenitentes talis conditionis, de sacrilegiis forte commissis et eorum numero. Saepe numerus peccatorum tantum probabilis exigi potest. Finita confessione interroget poenitentem, num ipsi adhuc occurrat, quod angat conscientiam. Quodsi nihil superesse videatur, eum adhortari oportet, ne in vitam praeteritam curiosius indagare pergat; si autem ultro peccati gravis, quod non dixit, recordetur, in proxima confessione id exponat.

Postremo confessarius maxima cura poenitentem ad verum dolorem firmumque propositum concipiendum vel renovandum apta adhortatione elevare, et ad fiduciam in Deum erigere satagat, remedia convenientia praescribat, securim ad radices peccatorum

<sup>1)</sup> S. Alphonsus: „Quaeritur 3. *an in confessione sint necessario distinguenda peccata confessa a non confessis.* Resp. *negative*, modo hoc non sit

necessarium ob occasionem proximam, quae removenda foret, aut ob casum reservatum aut ob aliam circumstantiam.“ H. A. Tr. 16 n. 4.

ponendo, satisfactionis opera per aliquot dies vel hebdomades, si expedire visum fuerit, injungat.

\* S. Franciscus Sal.: Philothea P. I cap. 6—21. *Instructio pastoralis* pro dioecesi Eystettensi 1877, pag. 262—265. Zenner: *Instructio practica confessarii* §§. 346—348. Ed. 6. Viennae 1857. Schüch: *Handbuch der Pastoraltheologie*, 8. Aufl. 1889. §§. 318—320. Pruner: *Pastoraltheologie* B. I. S. 278—284. Paderborn 1900.

### III. De satisfactione.

Praemissa satisfactionis indole et materia, deinceps de ejus injunctioe, impletione et immutatione loquemur.

#### §. 125.

#### Satisfactionis indoles et materia.

1. — Per Sacramentum Poenitentiae non semper tota poena temporalis simul cum culpa et aeterna poena a Deo remittitur; sed poena temporalis redimenda est per merita Christi laboriosis nostris operibus vel a sacerdote injunctis vel sponte susceptis, nec non flagellis temporalibus a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 9. Et in hac castigatione, quam de nobis ipsis sumimus, satisfactio consistit, quae proinde duplex est: 1. *sacramentalis*, quam imponit sacerdos, 2. *non sacramentalis*, quam ipse poenitens assumit vel acceptat a Deo immissam.

Utraque dividitur a) in *vindicativam*, quae tendit ad punienda peccata, et b) in *medicinalem*, quae datur vel assumitur ad praecavenda peccata.

Satisfactio *sacramentalis*, de qua tantum nobis sermo, non solum ex opere operantis, sed etiam *ex opere operato* sortitur suum effectum, nempe remissionem poenae temporalis; quia est pars Sacramenti. Ideo etiam perfectior est quam alia, vimque majorem habet.<sup>1)</sup>

Per verba sacerdotis absolventis: „*quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem . . .*“, omnia bona opera poenitentis, etsi non imposita a confessario, elevantur ad meritum et effectum satisfactionis sacramentalis, ideoque majorem vim expiationis accipiunt.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 506. Lugo: De Sac. Poen. Disp. 25 Sect. 2 n. 16. Suarez: De Poen. Sac. Disp. 38 Sect. 2 n. 2. La Croix: Lib. VI. P. II n. 1236, et alii omnes.

<sup>2)</sup> S. Thom.: Quodl. 3 n. 28. S. Alph. Lib. VI. n. 507, et alii communius.

2. — Ad satisfaciendum pro peccatis *ex condigno* eadem conditiones requiruntur, quae *ad meritum*, quia per satisfactionem poenae redimuntur per modum meriti; praeterea necesse est, ut opus sit *poenale*; ergo requiritur, ut opus sit *liberum, honestum, supernaturale, fiat in statu gratiae, sit poenale, et a Deo acceptetur*. Duas tantum conditiones posteriores considerabimus, reliquae facile patent.

*Opus satisfactorium debet esse poenale*, quia est actus iustitiae vindicativae, qua poenitens in se vindicat et punit injuriam Deo illatam. Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8 can. 13 et can. 15. Omne autem opus bonum in statu naturae lapsae est per se laboriosum et affligens carnem, ideoque poenale aptumque ad satisfactionem.<sup>1)</sup>

Opus *a Deo in satisfactionem acceptari* debet, quae tamen acceptatio vi divinae promissionis nobis, dum in statu viae sumus, certa est, ut testatur Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8 dicens: *ab illo (Christo) offeruntur (opera) Patri, et per illum acceptantur a Patre. Dixi: dum in statu viae sumus*, quia extra statum viae sicut Deus non acceptat bona opera ad meritum, ita nec ad satisfactionem. Ex defectu hujus conditionis animae in purgatorio non proprie satisfaciunt pro peccatis suis, sed stricte poenas debitas solvunt seu satis patiuntur.<sup>2)</sup>

3. — *Omnia opera satisfactoria ad tria genera reducuntur*: orationem, jejunium et eleemosynam; omnino convenienter: 1. quia tria habemus bona, animae, corporis et fortunae; unde aequum est, subtrahere nobis aliquid ex iis ad reparandam injuriam Deo illatam; — 2. quia tres dantur peccatorum radices, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae; priori jejunium, alteri eleemosyna, tertiae oratio opponitur; — 3. quia peccata a nobis committuntur in Deum, in nos ipsos, et in proximum: quare

<sup>1)</sup> S. Thom.: Suppl. q. 15 n. 3. S. Alphons. Lib. VI. n. 514, et alii. Si pii et sancti in exercendis virtutum actibus nullam vel exiguam difficultatem experiantur, id efficitur vel ex patiendo consuetudine vel accensa in Deum caritate. Quare illorum bona opera non ideo nullam vel minorem vim satisfaciendi, imo regulariter majorem habent, eo quod illa opera ex

una parte sunt *per se* laboriosa et poenalia, atque ex altera parte promptius, alacrius et intensius exercentur. *Catech. Rom. P. II cap. 5 q. 69. Reuter: P. IV Tract. 5 n. 387. Antoine, et alii.*

<sup>2)</sup> S. Thom.: Suppl. q. 4 a. 3. Antoine: Theol. spec. et dogm., Tr. de Poen. c. 4 a. 3 Billuart: De Poen. Dissert. 8 a. 8, et alii.

Deum placamus oratione, nos ipsos jejunio castigamus, proximo per eleemosynam satisfacimus.<sup>1)</sup>

S. Thomas: Suppl. 3. Partis Summae Theol. q. 12—15. —  
 Suarez: De Sacr. Poenit. Disp. 37 per 10 Sectiones, Disp. 38 Sect. 1 et 2.  
 Lugo: De Sacr. Poenit. Disp. 24 per 5 Sectiones. Antoine: Theol.  
 universa, specul. et dogm. Tr. de Poen. cap. 4 a. 1—4. Billuart:  
 Compendium Theol. Tom. VI. de Sacr. Poenit. Diss. 8 a. 1, 6—8.

## §. 126.

### De impositione satisfactionis.

1. — **Principium I.** *Confessarius potest et debet satisfactionem injungere cuilibet poenitenti eam persolvere valenti.* Est doctrina fidei ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8 et can. 15, et constat ex institutione divina Matth. 16, 19 et Joan. 20, 23, qua potestatem non solvendi tantum seu absolvendi a culpa et poena aeterna, sed etiam ligandi seu alligandi et obligandi ad certa poenitentiae opera sacerdotibus esse concessam, semper docuit et tenuit Ecclesia, ut patet ex ss. Patribus, Conciliis, libris poenitentialibus et Ritualibus.<sup>2)</sup> Vi hujus potestatis confessarius non tantum potest, sed tenetur quoque poenitentiam imponere poenitenti, quia integritatem Sacramenti procurare debet; atque nullam imponendo, si confessio est de mortalibus nondum declaratis, graviter peccat.<sup>3)</sup>

Nec exceptio est tempore Jubilaei, quia, ut Leo XII. in Encycl. Jubilaei a. 1825 tradit, *non ea est vis ac natura Jubilaei, ut per ejus Indulgentiam omni solvantur homines obligatione, offensae peccatis Dei justitiae satisfaciendi; nam ad Sacramenti integritatem pertinet satisfactio.*<sup>4)</sup>

Si infirmus sit *in mortis articulo* constitutus aut *sensibus destitutus*, non imposita poenitentia absolvi potest; quamvis, ut optime s. Alphonsus<sup>5)</sup> observat, semper dum vitae tempus superest, expediat aliquam vel levissimam ei injungere e. g. osculari imaginem Crucifixi, nomina Jesu et Mariae invocare, actum caritatis elicere saltem corde, ut Sacramentum sortiatur integritatem, et moribundus aliquem saltem fructum ex satisfactione sacramentali percipiat.

<sup>1)</sup> Catech. Rom: P. II cap. 5 q. 70.  
 S. Thomas: Suppl. q. 15 a. 3.

<sup>2)</sup> Vid. Bellarmin: De Sacr. 16. n 47.  
 Poen. Lib. IV. cap. 5.

<sup>3)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 47.

<sup>4)</sup> Vid. etiam s. Alph. H. A. Tr.

<sup>5)</sup> Ibid. n. 49.

2. — *Satisfactio regulariter ante absolutionem praescribi debet, tum ut omnes partes materiales Sacramenti formae absolutionis subjiciantur, tum ut ordo iudicii servetur, qui exigit, ut reus prius satisfactionem acceptet. Ita quoque se habet praxis universalis et fieri vult Rituale Romanum. Si vero confessarius ex inadvertentia ante absolutionem non injunxerit poenitentiam, satis erit post absolutionem eam indicare, quia tunc moraliter adhuc unitur cum absolutione.*<sup>1)</sup>

Si poenitenti, qui *post absolutionem novum confitetur peccatum*, nova danda est absolutio, tunc confessarius *novam poenitentiam saltem levem ipsi praescribere debet*, quemadmodum poenitens novum etiam dolorem eliciat necesse est (v. §. 116 n. 6); quia novum est iudicium.<sup>2)</sup>

3. — **Principium II.** *Sacerdos Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, satisfactiones salubres et convenientes, non tantum medicinales, sed etiam vindicativas injungere debet.* Concilium Trid. Sess. 14. cap. 8.

Concilium 1. verbis: *quantum spiritus et prudentia suggesserit*, aperte indicat Ecclesiam noluisse certam mensuram satisfactionis pro singulis peccatis assignare, sed eam discretioni confessarii determinandam reliquisse,<sup>3)</sup> adeoque nec *canones poenitentiales*, qui olim viguerunt, circumstantiis temporum mutatis in usum revocare intendisse. Proficuum tamen esse potest, poenitentibus interdum significare poenas pro certis delictis in illis canonibus assignatas, ut scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, a peccatis magis deterreantur, et ad poenitentiam multo faciliorem acceptandam moveantur.<sup>4)</sup>

*An poenitentia publica injungi potest confitenti?* Certo 1. talis poenitentia imponi *nequit pro peccatis occultis*, ex Rituali Romano: *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponat.* *Neque 2. pro peccatis publicis praescribenda publica poenitentia, nisi necessaria sit ad scandalum publicum reparandum, quod aliter reparari nequeat e. g. ut scripto retractentur errores scripto publicati; sed tunc poenitens jam ex jure naturae*

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 514.

<sup>2)</sup> Idem n. 513.

<sup>3)</sup> Similiter *Concil. Florent.* in Decreto pro Armenis: „*Tertia* (pars) est

*satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis*“.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 530. *Catech. Rom.* P. II cap. 5 q. 74.

ad id tenetur. Saepe ad scandalı reparatıonem sufficit ipsa Sacramenti receptio vel publica vitae christianae professio.<sup>1)</sup> Recole dicta §. 56 n. 2.

4. — Dicit 2. Concilium, *pro qualitate criminum et poenitentium facultate* esse satisfactiones injungendas, videlicet tum peccatorum gravitati tum poenitentium viribus corporis et animae proportionatas. Gravis poenitentia e. g. est rosarium quinque decadum vel psalmos poenitentiales vel Litanias Sanctorum recitare, audire Missam, jejunare.<sup>2)</sup>

Exigit ulterius Concilium, ut satisfactiones sint *salutares*, quae nempe ad peccata praecavenda magis conducunt. In hoc enim Sacramento magis intenditur emendatio delinquentis, quam omnimoda compensatio delicti.<sup>3)</sup>

Deinde *convenientes* vult Concilium esse satisfactiones, nimirum sexui, aetati, statui, dispositioni poenitentium accomodatas. Quare absit, ut imponantur jejunia pueris vel operariis et opificibus continuo labore defatigatis, multae preces vel peregrinationes hominibus valde occupatis etc.

Potest confessarius imponere poenitenti *opus bonum aliunde praeceptum*; si enim opus bonum praeceptum juxta Conc. Trid. Sess. 6. cap. 10 et 16 vim habet, augendi gratiam, eo magis poenam temporalem expiare valet; id tamen non faciendum, nisi spectata poenitentis fragilitate.<sup>4)</sup> Nullum dubium, quin *preces pro defunctis* per modum poenitentiae praescribi possint;<sup>5)</sup> item opus internum e. g. actus virtutum theologicarum, oratio mentalis seu meditatio, quae tamen non omnibus convenit, cessatio a Communionem, sed raro tantum et pro devotis.<sup>6)</sup>

Non sunt injungendae poenitentiae perpetuae aut *valde onerosae*, ut e. g. ingredi religionem, et tanto minus inire matrimonium, quod omnimodam requirit libertatem (hoc tamen ex gravissima causa consuli potest); nec injungenda *vota perpetua*, imo licet

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 512.

<sup>2)</sup> Voit: P. II. n. 624.

<sup>3)</sup> S. Thomas: „In satisfactione principaliter requiritur emendatio in futurum, quam recompensatio praeteritorum.“ Suppl. q. 12 a. 3 ad 4. S. Alphonsus: „In hoc Sacramento potius attenditur emendatio, quam satisfactio.“ H. A. Tr. 16 n. 50.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 513, *Dub. 1.*

<sup>5)</sup> Catechismus Rom. P. II cap 5 q. 74 monet injungendas orationes, *praesertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt*; est enim, inquit Lugo: Disp. 25 Sect. 4 n. 61, elemosyna acceptissima, et illi rursus pro poenitente orabunt.

<sup>6)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 514.

poenitens vellet vovere e. g. de non relabendo, ipsi non permit-  
tatur nisi ad tempus, ut videatur, quomodo illud observet; hujus-  
modi enim poenitentiae non solent congruere poenitentium im-  
becillitati. Quod attinet poenitentiam *sub conditione relapsus* e. g.  
ut quoties relabatur in ebrietatem, eleemosynam elargiatur, haec  
non nisi ad tempus e. g. ad mensem aut ad aliam confessionem  
imponi potest, ob timorem, ne opera imposita negligantur, ideoque  
peccata multiplicentur; ac praeterea addi debet aliud opus facien-  
dum, ut integrum fiat Sacramentum.<sup>1)</sup>

5. — Tandem 3. satisfactiones ex Concilii doctrina *tam vin-  
dicativae quam medicinales* esse debent („non solum ad novae vitae  
custodiam, sed etiam ad praeteritorum vindictam et castigatio-  
nem“). Satisfactio *vindicativa* esse potest omne opus bonum coll.  
§. 125 n. 2. Satisfactio medicinalis ita comparata sit, ut „medeatur  
peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos  
contrariis virtutum actionibus tollat.“ Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8.

6. — Cum satisfactio non tantum qualitati criminum, sed  
etiam facultati poenitentium debeat congruere, ac praeterea salu-  
taris et conveniens esse, ut modo expositum est: hinc confessarius  
quandoque justo leviorem vel levissimam poenitentiam imponere  
potest. Hujusmodi casus sunt: 1. si poenitens est mentis impos,  
aut infirmus et valde debilis, aut jamjam morti proximus, de quo  
supra n. 1; — 2. si poenitens valde contritus invenitur aut multas  
actiones poenales jam perfecit, nisi poenitentia major sit neces-  
saria ad medicinam; — 3. tempore Indulgentiae plenariae lucran-  
dae, praesertim Jubilaei; — 4. si prudenter timetur, quod poeni-  
tens majorem poenitentiam non implebit aut ob graviorem poeni-  
tentiam a confessione avertetur. *Numquam confessarius poenitenti  
imponat poenitentiam, quam non vult acceptare aut non potest implere;*  
defectus, si contingat, suppleri potest per Indulgentias vel sup-  
plebitur in purgatorio, ait s. Thomas.<sup>2)</sup> Prudens s. Thomae  
de Villanova est consilium: „*Poenitentiam facilem unam in-  
junxeris, acriorem consulueris.*“<sup>3)</sup> Imponat confessarius poenitenti  
*preces, quibus Indulgentiae conjunctae sunt*, ad facilius redimendas  
poenas temporales, v. infra §. 182. Cavendus igitur excessus a

1) S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 52.

2) Sapienter pro moresuo hoc argu-  
mentum pertractat s. Ecclesiae Doctor  
Alphonsus: Lib. VI. n. 508—510.

3) Opusc. 65 §. 4.

nonnullis Rigoristis olim praetensus. Vere dicit La Croix, experientia testante benignas poenitentias plus prodesse quam rigidas, eo quod per benignas magis alliciuntur fideles ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae.<sup>1)</sup>

Specialia notanda de modo, quo se confessarius gerere debeat in poenitentia praesertim medicinali injungenda, videbis infra §. 151.

\* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. VI. n. 506—514. — Suarez: De Sacramento Poenitentiae Disp. 38 Sect. 3—6. Lugo: De Sacr. Poenitentiae Disp. 25 Sect. 4. La Croix: Theol. mor. Lib. VI. n. 1232—1272. Mazzotta: Theol. mor. Tr. VI. Disp. 1 Quaest. 5 cap. 1. Haringer: Anleitung zur Verwaltung des Buss sacramentes, 2. Aufl. 1851. §§. 29—32. Berardi: Praxis confessariorum, Vol. 2. Faventiae 1884.

## §. 127.

### De impletione poenitentiae.

1. Praenotandus duplex error: 1. *Novatores* saeculi 16. cum dixerint, nos justitiae divinae operibus nostris satisfacere nec debere nec posse, atque Ecclesiae denegaverint potestatem imponendi satisfactionem poenitentibus, consequenter obligationem, de qua nobis sermo est, rejecerunt.

*Jansenistae* contendunt, satisfactionem a confessario injunctam necessario ante Communionem, imo ante absolutionem esse peragendam; <sup>2)</sup> quibus *Petrus de Osma* praecessit.

### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Poenitens tenetur acceptare et implere poenitentiam a confessario assignatam.* Ratio est, quia sicut confessarius satisfactionem imponere, ita poenitens acceptare et implere debet, ut integrum fiat Sacramentum. Et Concilium Lateranense IV. cap. *Omnis utriusque sexus* praecipit, ut quisquis fidelis impleat poenitentiam a suo sacerdote impositam. <sup>3)</sup> Graviter peccat, qui sine justa causa recusat poenitentiam gravem pro culpis gravibus indictam; venialiter tantum, si levem omittit poenitentiam pro peccatis venialibus aut mortalibus jam confessis injunctam, <sup>4)</sup> item negligens gravem sub expressa obligatione levi, et levem in confessione mortalium (saltem *probabilis*).

<sup>1)</sup> Lib. VI. P. II n. 1255, Idem auctor de quantitate poenitentiae copiose disserit *ibidem* n. 1251—1262.

<sup>2)</sup> Arnaldus: De freq. communionem p. 2 c. 7—19. Hughens in thesibus 29. Nov. 1685. Opstraet: De convers. peccat. q. 2 c. 2 et 3. Quesnel etc.

<sup>3)</sup> Hinc merito temeraria censetur opinio quorundam dicentium, *poenitentem posse recusare poenitentiam, ut in purgatorio satisficiat.* S. Alph. Lib. VI. n. 516.

<sup>4)</sup> Idem H. A. Tr. 16 n. 55 et 56.



Quodsi poenitentia videatur confitenti justo gravior vel irrationabilis, ipsi licebit difficultatem confessario humiliter proponere; confessario illam moderari nolente poenitens absolute non accepta alium poterit adire confessarium.<sup>1)</sup> Ceterum confessarius poenitenti opus faciendum non assignet, quod ille facere detrectat, juxta dicta §. 126 n. 6, attendens dictum *Gersonis*, tutius esse cum moderata poenitentia, quae sponte suscipitur, mittere poenitentem in purgatorium, quam cum rigidiore non implenda in infernum.<sup>2)</sup>

Nemo potest per alium satisfactionem sacramentalem perficere, quia satisfactio pertinet ad materiam Sacramenti; atqui materia Sacramenti sunt actus ipsius poenitentis. Hinc Alexander VII. merito hanc damnavit propos. n. 1: *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

3. — **Principium II.** *Non est necesse, ut satisfactio ante absolutionem vel Communionem impleatur.* Sixtus IV. anno 1479 in Bulla *Liceat ea* sententiam Petri de Osma: *Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia ipsis injuncta*, tamquam haereticam proscripsit. Alexander VIII. die 7. Dec. 1690 damnavit prop. 16 dicentem: *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.* Et ejusdem tenoris sunt propos. 17 et 18 ab eodem Summo Pontifice damnatae; quo etiam spectat propos. 22 diris devota: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.* Eundem errorem Clemens XI. in propos. 87 Quesnelli, et Pius VI. in propos. 35 Synodi Pistoriensis condemnarunt. Ratio theologica est, quia satisfactio est duntaxat integralis pars Sacramenti; et sine illa stat tota essentia Sacramenti.<sup>3)</sup>

Potest tamen confessarius, si prudenter judicet poenitentem non esse rite dispositum, absolute dilata poenitentiam imponere, eumque dimittere, ut melius disponatur; poenitentia, quam interim

<sup>1)</sup> S. Alph. l. c. n. 55.

<sup>2)</sup> Apud s. Alphonsum Lib. VI. n. 509.

<sup>3)</sup> Quae ex disciplina antiqua Ecclesiae contraria videntur, intelligenda

sunt de absolutione canonica (non sacramentali), qua poenitentes post peractam publicam poenitentiam Ecclesiae reconciliati sunt. Plura penes Antoine: Theol. spec. et dogm. Tr. de Sac. Poenit. cap. IV a. 6.

persolvit, effectum non habet ex opere operato, sicut et confessio, nisi eo instanti, quo absolute accedente perficitur Sacramentum.<sup>1)</sup>

4. — Quoad *tempus praestandi satisfactionem impositam* observa: 1. si illud a confessario fuit determinatum, eodem impleri debet; et hoc praetermisso adhuc urget obligatio, nisi confessarius tantum ad certum diem obligare videatur; — 2. si tempus non fuit determinatum, perfici debet, quamprimum commode fieri poterit. Si poenitentia gravis per tempus notabile differtur, grave peccatum committitur.<sup>2)</sup>

5. — **Principium III.** *Qui poenitentiam post lapsum in peccatum mortale implet, obligationi satisfacit, attamen non consequitur fructum seu effectum satisfactionis.* Ratio 1<sup>mi</sup> est, quia poenitens faciendo id, quod iussus est facere, substantiam actus praeepti ponit; modus autem faciendi (in gratia et caritate) non cadit sub praeepto; ex dictis Lib. I. §. 61 n. 4. Ratio 2<sup>di</sup> est, quia homo existens in peccato mortali non potest satisfacere de condigno pro poena temporali, secundum dicta §. 125 n. 2. Et *probabilius* censet s. Alphonsus<sup>3)</sup> cum aliis, non deesse peccatum veniale, dum poenitens satisfaciendo in statu peccati mortalis impedimentum ponit effectui partiali Sacramenti. Dicunt plures,<sup>4)</sup> quod, dum is qui in peccato mortali poenitentiam persolverat, ad gratiam Dei redit (obice remoto), poenitentia illa consequitur effectum satisfactionis (i. e. remissionem poenae temporalis), qui propter impedimentum agentis suspensus erat, ex opere operato. Quae sententia *valde probabilis* est ob virtutem clavium.

Qui in poenitentiae impletione venialiter peccat e. g. distracte preces injunctas persolvit, non privatur fructu satisfactionis

<sup>1)</sup> La Croix: Lib. VI. P. II n. 1236. Scavini et alii.

<sup>2)</sup> S. Alphonsus: H. A. Tr. 16 n. 57 haec habet: „peccat, qui diutius eam differt v. g. per *annum* et etiam per *sex menses*, non vero qui per mensem eam differt, modo poenitentia non sit medicinalis, et modo in posterum posset eam adimplere.“

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 523.

<sup>4)</sup> Suarez: De Poen. Disp. 38

Sect. 8 n. 5. Lugo: De Poen. Disp. 25 Sect. 3 n. 39 et seq. Laymann: Theol. mor. Lib. V. Tr. VI c. 15 n. 15. La Croix: Lib. VI. P. II n. 1245, et alii antiquiores, qui ab his auctoribus citantur; praeterea Antoine, Salmant., Wigandt, Reuter, Mazzotta etc., quibus accedere videtur ipse s. Alphonsus: Lib. VI. n. 523, contra alios paucos ex d. Thoma: Suppl. q. 14 a. 3, qui tamen explicari potest de opere operantis.

ex opere operato; quia veniale peccatum componi potest cum gratia sanctificante, nec impedit remissionem poenae temporalis aliis peccatis remissis debitaе.<sup>1)</sup>

6. — Quaeritur: *An poenitens injunctae poenitentiae oblitus teneatur repetere confessionem, ut aliam poenitentiam recipiat?* Resp. Negant communiter,<sup>2)</sup> etiamsi poenitentiae culpabiliter esset oblitus, quia in tali casu poenitentia reddita est impossibilis; attamen poenitens in proxima confessione accusare debet negligentiam, si quae occurrerit. Expedi autem, ut in locum poenitentiae, cujus est oblitus, aliud opus faciat. Quodsi poenitens censeat, confessarium adhuc memorem esse injunctae poenitentiae, ipsum adire debet, modo non difficile sit, eum denuo adire, ad cognoscendam poenitentiam, ut sic integrum fiat Sacramentum; tunc enim impletio satisfactionis moraliter possibilis est.<sup>3)</sup>

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 515—527. Suarez: De Sacramento Poenit. Disp. 38 Sect. 7—9. Lugo: De Sacr. Poenitentiae Disp. 25 Sect. 5. La Croix: Theol. mor. Lib. VI P. II n. 1273—1291. Mazzotta: Theol. mor. Tr. VI Disp. 1 Quaest. 5 c. 2. Reuter: Theol. mor. P. IV Tr. V n. 399—404.

## §. 128.

### De commutatione poenitentiae.

1. — Satisfactio imposita in tribunali poenitentiae non potest ab ipso poenitente mutari, neque in evidentem meliorem; quia nulla satisfactio fit sacramentalis, nisi a ministro Sacramenti injuncta, et quia reo non competit mutare sententiam judicis.

Potest satisfactio a confessario in aliam commutari, si ad bonum animae id expedire videatur; excepta poenitentia, quae ob casus reservatos a superiore est dictata, quia inferior sententiam superioris mutare nequit, nisi tamen gravis causa adsit et non facile ad superiorem recurri possit: tunc enim consensus superioris praesumi potest.<sup>4)</sup>

Et si poenitens eidem confessario confiteatur, opus non est confessionem repetere, dummodo confessarius saltem in confuso recordetur status ipsius. Quodsi poenitens alii confessario con-

<sup>1)</sup> La Croix: Lib. VI. P. II n. 1247.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph.: H. A. Tr. 16 n. 59.

<sup>3)</sup> Idem Lib. VI. n. 520.

<sup>4)</sup> Idem n. 529, *Dub. 2.*

fiteatur, adhuc multi *probabiliter* dicunt, eum non esse obligatum ad repetendam confessionem, cum non agatur de iudicio ferendo super peccatis, sed de poenitentis impotentia ad implendam satisfactionem.<sup>1)</sup> Consultius tamen est, ut poenitens summariam faciat confessionem, ita ut confessarius statum poenitentis saltem in confuso cognoscat.

2. — Poenitentiae commutatio fieri nequit extra confessionem, quia mutare non minus quam imponere satisfactionem, est actus sacramentalis. Potest autem confessarius, qui poenitentiam imposuit, eandem adhuc statim post absolutionem immutare, antequam poenitens discedat; quia tunc moraliter unum censetur iudicium sacramentale.<sup>2)</sup>

Facta commutatione semper potest poenitens eligere primam poenitentiam, quia commutatio in ejus favorem peracta est.<sup>3)</sup>

## §. 129.

### Recollectio brevis.

*Ex sancti Gregorii M. Libro VI. in primum Regum c. 2, n. 33.*

„Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter poenitente, videlicet *conversio mentis, confessio oris, vindicta peccati*. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? Peccatum, quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem sunt, qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde et salubriter confiteri volentibus scriptura insinuat, dicens: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Rom. 10, 10. Quid est credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonae voluntatis, fructum habet bonae conversionis. Hic certe jam ad salutem confiteatur, quia plus loquendo de vulnere ejicit quam conversione compunxit. Tertia ergo species, id est vindicta (satisfactio), quasi medicina necessaria est, ut apostema reatus, quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sane-

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 529, *Dub. 1.*

<sup>2)</sup> Idem: H. A. Tr. 16 n. 61.

<sup>3)</sup> Idem n. 529, *Dub. 3.*

tur.<sup>1)</sup> Signum, ergo verae confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione poenitentiae. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista male conversos Judaeos ad se confluentes increpans, ait: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus poenitentiae.* Matth. 3, 7. In fructu ergo, non in foliis aut ramis poenitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud, nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt; quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus poenitentiae subsequatur.“

### B. De forma Sacramenti Poenitentiae.

Proferemus 1. formam essentialem, 2. ritum absolutionis, et 3. conditiones absolutionis sacramentalis.

#### §. 130.

#### Forma essentialis Sacramenti Poenitentiae.

1. — Sacramenti Poenitentiae forma, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis posita est: *Ego te absolvo etc.*, quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentialiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae. Sic docet Concilium Trid. Sess. 14. cap. 3.

2. — Observandum 1. De essentia formae absque dubio sunt verba: *Ego te absolvo* vel *te absolvo*, quum pronomen *ego* in verbo *absolvo* includatur; ostendunt quippe haec verba virtutem clavium et totum Sacramenti effectum; ut explicat d. Thomas.<sup>2)</sup>

2. Quoad verba adnexa: *a peccatis tuis*, a) alii, et plurimi quidem, illa ad essentialiam et valorem Sacramenti requiri negant, ex s. Thoma<sup>3)</sup> et Catechismo Romano,<sup>4)</sup> in quo dicitur: *Est autem*

<sup>1)</sup> In potestate clavium contineri, ut sacerdotes poenitentibus afflictionem, nempe satisfactionem pro peccatis imponant, apertissime idem s. Doctor eloquitur in eod. op. Lib. III. in 1 Reg. c. 5 n. 13 (Ed. Maur.) sic dicens: „*Quae tamen afflictio poenitentiae ad delenda peccata tunc demum*

*idonea est, cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis.*“

<sup>2)</sup> 3. q. 84 a. 3.

<sup>3)</sup> l. c.

<sup>4)</sup> P. II cap. 5 q. 14.

*forma: Ego te absolvo*; satis enim illa verba per confessionem poenitentis et actionem sacerdotis absolventis indicari videntur; b) alii autem praedicta verba essentialia esse affirmant; cum enim Christus dixerit: *Quorum remiseritis peccata*, explicanda est absolutio a peccatis. Prima sententia est quidem *probabilior*, in praxi tamen non recedendum a secunda; quia in Sacramentis conficiendis tutius est eligendum.<sup>1)</sup>

3. Omissio pronominis *te*, si dicatur: *absolvo a peccatis tuis*, probabilius non invalidam reddit absolutionem, cum subjectum sufficienter determinetur per verbum *tuis*. Attamen in praxi tutius sequendum.<sup>2)</sup> Certo nulla est absolutio, si sacerdos tantum dicat: *absolvo*, quia hoc solum verbum in nullum subjectum cadit et non fundit sensum determinatum.

4. Verba: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen*, certo non sunt de essentia formae, cum Christus in hujus Sacramenti institutione nullam fecerit mentionem de invocatione ss. Trinitatis; convenienter autem adduntur, ut significetur, sacerdotem auctoritate et virtute Dei a peccatis absolvere.<sup>3)</sup>

3. — Absolutio potest ab uno sacerdote pluribus dari simul in casu necessitatis, dicendo: *Ego vos absolvo a peccatis vestris*. Sic e. g. multi milites simul absolvuntur ante proelium. Et tunc tot sunt Sacramenta, quot homines absolvuntur edentes aliquo modo confessionem et contritionem.<sup>4)</sup>

## §. 131.

### Ritus absolutionis sacramentalis.

1. — Pia est consuetudo, ut confessarius *ante confessionem*, dum poenitentem benedicit, oret: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite (seu digne) confitearis omnia peccata tua, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

2. — Preces, quae antecedunt et subsequuntur formam essentialem, nec non methodum illis utendi, sic exhibet Rituale Romanum:

„Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit:

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 430, Dub. 2.

<sup>2)</sup> Idem l. c. Dub. 1.

<sup>3)</sup> S. Thom. 3. q. 84 a. 4 ad 3.

<sup>4)</sup> Lugo: Dist. 13 Sect. 7. La Croix: Lib. VI. P. 2 n. 645, et alii omnes.

*Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam aeternam. Amen.*

Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit:

*Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.*

*Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Si poenitens sit laicus, omittitur verbum, *suspensionis.*

*Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, <sup>et</sup> quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.*

In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest, *Misereatur etc.*, et satis erit dicere: *Dominus noster Jesus Christus etc.* usque ad illud: *Passio Domini nostri etc.*“

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

3. — His subdi debent sequentia: S. R. C. interrogata, an in forma absolutionis ante verba: *Ego te absolvo etc.* omittendum sit verbum *Deinde*, in nonnullis editionibus rubro caractere impressum, die 11. Martii 1837 (2764) respondere censuit: *Nihil esse innovandum.*

Absolutio a censuris per verba: *et ego . te absolvo ab omni vinculo excommunicationis . in quantum possum et tu indiges*, danda est omni poenitenti, etiamsi non constet, eum censuras incurrisse, ad cautelam.

Absolutio a censuris semper praemitti debet absolutioni a peccatis. Valida autem est absolutio poenitentis (si in bona fide sit) a peccatis non praemissa absolutione a censuris, quia prohibitio Ecclesiae non reddit irritum Sacramentum, ad quod requisita essentialia concurrunt; attamen confessarius sic agens graviter peccat. <sup>1)</sup>

4. — Confessarius per verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, valide potest poenitentem tam a censuris quam a peccatis absolvere; quia verba praefata involvunt absolutionem a quocunque vinculo ex peccatis orto, et nihil obstat, quominus confessarius

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 430, Dub. 4.

intentionem dirigat ad absolutionem tum censurarum tum peccatorum. Hoc autem, cum sit contra Ecclesiae usum, fieri nequit sine peccato veniali.<sup>1)</sup>

§. 132.

**Absolutionis conditiones, absolutio directa et indirecta.**

1. — Ad validitatem absolutionis sacramentalis requiritur, ut a sacerdote proferatur *voce in poenitentem praesentem*. Fieri debet 1. *voce*, non scripto, nutu aliove signo; etenim forma Poenitentiae juxta Conc. Florent. et Trid. consistit in *verbis*, quibus sacerdos poenitentem alloquitur. Non tamen necesse est, ut verba absolutionis a poenitentibus vel aliis audiantur; imo consultum est, illa verba submisse proferre, ne forte, si quis sine absolutione dimittatur, id ab adstantibus percipiatur. Fieri debet 2. in poenitentem *praesentem*, quia forma materiae praesenti applicari debet, et Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2 dicit, peccatores tamquam reos *ante hoc tribunal sisti* debere.

Invalida est confessio facta sacerdoti absentem per literas vel internuntium si simul absolutio datur absentem. Sed illicita et invalida pariter est absolutio, quae scripto vel per internuntium datur absentem, licet confessio facta sit sacerdoti praesenti. Item illicita et invalida est absolutio impertita praesenti, si confessio facta est absentem e. g. per literas, nisi tamen poenitens coram sacerdote iterum se in praesentia accuset de peccatis per literas jam expositis ex causa aliqua gravissima; et sacerdos, dum poenitens se accusat, distinctam peccatorum habeat notitiam.<sup>2)</sup>

Pro valore absolutionis sufficit poenitentis praesentia moralis i. e. illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui

<sup>1)</sup> S. Alph. l. c.

<sup>2)</sup> Reuter: Neo-Confessarius P. I. n. 31. Clemens VIII. in Const. edita die 20. Junii 1602 tamquam falsam et temerariam damnavit propositionem: *Licere per literas seu internuntium confessario absentem sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*. Et prohibuit, ne illa unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquo modo deducatur. Ex hac absoluta prohibitionem merito deducitur, non tantum illicitam. sed etiam invalidam esse

confessionem absentem factam, et absolutionem absentem datam; secus enim urgente saltem necessitate gravissima posset in praxim deduci. Porro Decretum Clementis VIII. accipiendum est non modo *collective*, scilicet quando tum confessio facta tum absolutio data est in absentem, sed etiam *divisim*, quando confessio fit absentem, licet absolutio detur praesenti, et e converso, ut declaravit Paulus V. die 14. Julii 1605. Plura Palmieri: Tract. de Poenit. pag. 141—143. Romae 1879.



possunt et solent.<sup>1)</sup> Generatim vero pro absolutione major debet esse propinquitas, quam pro audienda Missa vel concione sufficit. In necessitate, si quis non nisi a longe absolvi possit, absolutio sub conditione danda est.

Hinc *a)* si poenitens a confessario nondum absolutus recederet, absolvi deberet, si nondum abesset e conspectu confessarii vel certo versaretur inter vicinos homines paucis passibus; revocandus autem esset, dum commode fieri posset; *b)* si confessario ob causam quamcunque impossibile foret cubiculum infirmi ingredi, eum a janua absolvere deberet; *c)* sub conditione foret absolvendus, qui videretur e tecto ruere, in flumen demergi, in incendio periclitari.

2. — Saepe sermo occurrit de absolutione *directa* et *indirecta*. Utriusque discrimen facile patescit ex dictis §. 111 de peccatis directe et indirecte remissis. Videlicet *absolutio directa* est ea, qua remittuntur peccata per se, eo quod expresse et distincte sunt declarata, atque jurisdictioni confessarii subjecta seu non reservata. *Absolutio indirecta* est, qua remittitur peccatum non per se, eo quod aut ex ignorantia inculpabili seu impotentia non est expresse accusatum, aut jurisdictioni sacerdotis non subjectum seu reservatum; sed remittitur concomitanter cum aliis expresse accusatis, in quae sacerdos jurisdictionem habet, dummodo adsit dolor et propositum sufficiens ad remissionem etiam illius peccati omissi vel reservati; quia nullum peccatum per Sacramentum remittitur, nisi simul remittatur omne peccatum mortale §. 108 n. 1. De absolutione indirecta *peccatorum omissorum* v. §. 122, de absolutione indirecta *reservatorum* §. 145 n. 3.

### §. 133.

#### **Ineffabilis sacerdotis absolventis potestas.**

*Ex opere s. Joannis Chrysostomi: De Sacerdotio, Lib. III.*

„Qui terram incolunt, in eaque commorantur, — potestatem acceperunt, quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: *Quaecunque ligaveritis in terra, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis in terra, erunt soluta et in coelo* Matth. 18, 18. Habent quidem ii, qui in terra imperant,

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 429. Nonnulli eam si poenitens non sit extra aspectum extendunt ad 20 passus, praesertim confessarii.

potestatem ligandi, verum corpora solum: hoc autem vinculum ipsam attingit animam, coelosque transcendit: ac quaecunque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat; servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem coelestium potestatem? nam *quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur, et quorum retinueritis, retenta sunt* Joan. 20, 23. Quae major hac potestas fuerit? *Omne iudicium dedit Pater Filio* Joan. 5, 22, videoque ipsum omne traditum a Filio esse. Ac si enim jam in coelos translati essent, atque humanam naturam exuperassent, a nostris affectibus liberati, ita in tantum imperium eVecti sunt. Ad haec, si imperator subditorum cuiquam hunc honorem contulerit, ut quos libuerit possit in carcerem conijcere, indeque eruere, ille admirandus et conspicuus apud omnes habetur; at is qui a Deo tanto majorem potestatem accepit, quanto coelum terra pretiosius est, et quanto animae corporibus, ita exiguum nonnullis videtur honorem accepisse, ut cogitari possit, quempiam hoc sibi concreditum donum despiciere. Apage insaniam: insania enim manifesta est, tantum principatum despiciere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus.<sup>1)</sup>

Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judaeorum sacerdotibus licebat (Levit. 14): et tamen nosti, quanta tunc esset pro sacerdotali dignitate concertatio. Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt; ita ut qui ipsos contemnunt, longe sceleratiores et graviore supplicio digniores sint ipso Dathan et sociis ejus.“<sup>2)</sup>

### C. De ministro Sacramenti Poenitentiae.

Supposita veritate, quod solus sacerdos est hujus Sacramenti minister, de approbatione brevius, copiosius vero de jurisdictione ad valide administrandum Poenitentiae Sacramentum necessaria disseremus.

#### §. 134.

#### Potestas clavium.

1. — Solum sacerdotem rite ordinatum esse Sacramenti Poenitentiae ministrum, ex fide constat, et definitum est in Concilio Trid. Sess. 14. can. 10.

<sup>1)</sup> Op. et Lib. cit. cap. 5.

<sup>2)</sup> Ibid. cap. 6.

Potestas remittendi peccata et poenas per absolutionem sacramentalem aptissime *potestas clavium* appellatur. Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. Sicuti enim per claves aperitur et clauditur janua: ita per illam potestatem remissione peccatorum coelum clausum aperitur, infernus apertus clauditur.

Specialius sola potestas remittendi poenas temporales peccatis debitas coram Deo, per Indulgentias, potestas clavium appellatur.

Eminenter potestas omnis, quam Christus Petro ejusque successoribus contulit, in foro interno et externo, dicitur potestas clavium.

2. — Requiritur autem ad valide administrandum Sacramentum in ministro praeter potestatem Ordinis etiam potestas jurisdictionis; porro ad jurisdictionem delegatam requiritur approbatio episcopi tamquam specialis et praevia conditio.

## §. 135.

### Approbatio et jurisdictio.

#### A. De approbationis notione et necessitate.

1. — *Approbatio est juridicum episcopi iudicium de idoneitate alicujus sacerdotis ad excipiendas confessiones.* Sub idoneitate tam scientia et prudentia necessaria quam vitae probitas sacerdotis comprehenditur.

Approbatio ex Concilio Trid. Sess. 23. cap. 15 necessaria est omnibus confessariis, qui non habent parochiale beneficium, non tantum ut licita, sed etiam ut valida sit absolutio. Dari debet ab episcopo loci, in quo quis confessiones excipit, non ab episcopo poenitentis, vi Bullae Innocentii XII. *Cum sicut* 19. April. 1700, quam Benedictus XIV. per Constit. *Apostolica indulta* 5. Aug. 1744 confirmavit.

Regulares approbationem pro confessione *suorum* simul cum jurisdictione accipiunt a superioribus sui monasterii vel Ordinis; pro confessionibus autem *saecularium* eam accipere debent ab episcopo loci, ubi confessiones excipiendae sunt, ex Const. Benedicti XIV. supra citata.

Ad concedendam approbationem non essentialiter exigitur examen; aliunde enim episcopo constare potest de sacerdotis aptitudine ad ministrandum Poenitentiae Sacramentum. Peccat

episcopus, si sacerdoti idoneo absque causa sufficiente approbationem negat.

Liberum est episcopo, sacerdotes approbatos sive saeculares sive regulares iterum examinare, vel approbationem datam revocare aut restringere; quod deducitur ex Constit. Benedicti XIV. *Apostolica*; sane tota res est episcopo commissa. Quod etiam valet, quamvis revocatio facta sit sine justa causa, voluntati enim superioris facultas absolvendi subdita est. Hinc damnata est ab Alexandro VII. haec sub n. 13 propositio: *Praecepto annuae confessionis satisfacit, qui confitetur regulari episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.*

Approbatio non est ipsius jurisdictionis collatio; haberi potest approbatio sine jurisdictione, ut si episcopus non obstante judicio de idoneitate sacerdotem non deputeret ad audiendas confessiones. In praxi tamen eodem actu sacerdotibus approbatio et jurisdictio ab episcopis conferri solent. Hinc jurisdictio usu communi etiam approbatio dicitur.

## B. De jurisdictionis indole et necessitate.

2. — *Jurisdictio generatim est potestas regendi subditos.* Jurisdictio *ecclesiastica* est potestas regendi subditos ad salutem aeternam. Duplex est: 1. *fori externi*, quae est potestas ferendi leges, in iis dispensandi, poenas injungendi, controversias circa doctrinam vel disciplinam decidendi etc., — 2. *fori interni*, quae est potestas ministrandi Sacramenta vel Sacramentalia, et est a) vel *fori extra-poenitentialis*, quae extra tribunal poenitentiae exercetur, vel b) *fori poenitentialis*, quae in administrando Sacramento Poenitentiae usurpatur. Et haec posterior *jurisdictio*, de qua sola nobis sermo est faciendus, definiri potest *potestas, qua sacerdos ut iudex in poenitentem tamquam subditum sententiam remissionis vel retentionis peccatorum ferre valet.*<sup>1)</sup>

3. — Nonnulli Theologi sub finem saeculi decimi octavi, inter quos praecipue Aloisius Litta, canonicus Mediolanensis, tradiderunt, confessarioꝝ omnes vi Ordinis sine ulla potestate jurisdictionis posse exercere actum judicialem in tribunali poenitentiae, adeoque absolvere ab omnibus peccatis, etiam reservatis, nempe per *compromissum*, quo poenitens sponte se subjicit sacerdoti et sibi arbitrum constituit cum potestate sententiam proferendi.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Craisson: Man. juris can. Tom. I. n. 249 et seq.

<sup>2)</sup> Card. Soglia: Instit. juris publ. §. 33.

Quam sententiam adoptans *Synodus Pistoriensis* asseruit, conveniens quidem, non tamen necessarium esse, ut absolvendi potestas accepta per Ordinationem exerceatur super subditos, ideoque non necessariam esse jurisdictionem. Contra quos tenenda:

### PROPOSITIO.

*In ministro Poenitentiae praeter potestatem Ordinis requiritur potestas jurisdictionis ad valide dispensandum Poenitentiae Sacramentum.*

4. — Est doctrina certa et fidei proxima, ita ut contraria sit falsa, temeraria, erronea, et Concilio Tridentino contraria. Talis enim est nota, quam Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* inussit propositioni 37 Synodi Pistoriensis. Jam vero Concilium Trid. Sess. 14. cap. 7 enuntiavit: „*Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*“. Quibus verbis simul indicatur ratio, ob quam confessario necessaria est jurisdictio ad valide absolvendos poenitentes. Nimirum absolutio sacramentalis est actus judicialis, qui non nisi in subditos exerceri potest; atqui subditi non assignantur per s. Ordinis collationem, ergo per rectores Ecclesiae assignari debent, quae assignatio fit jurisdictionis concessione.

Itaque sacerdos per s. Ordinem accepit quidem potestatem clavium seu solvendi et ligandi potestatem; attamen ut eam in actum redigat, opus habet jurisdictione, qua ipsi attribuuntur subditi.<sup>1)</sup> Quemadmodum *clavis materialis* non potest aperire nisi seram *propriam*: ita *claves spirituales* in Ordinatione traditae non habent effectum, nisi applicentur in subjectum *proprium* seu in subditum, in quem jurisdictio datur.<sup>2)</sup> Hinc jurisdictio est veluti conditio necessaria, qua potestas absolvendi in Sacramento Ordinis a Deo collata in usum deducatur. Confertur extra Sacramentum,

<sup>1)</sup> P a l m i e r i: „Perinde est dicere, Ecclesiam conferre sacerdoti potestatem jurisdictionis, et Ecclesiam esse, quae subditos in foro interno assignat sacerdoti.“ Tract. de Poen. pag. 176.

<sup>2)</sup> S. T h o m a s: „Clavis materialis

non potest aperire nisi seram propriam, nec aliqua virtus activa potest agere, nisi in propriam materiam: materia autem propria potestatis Ordinis efficitur aliquis per jurisdictionem; et ideo non potest aliquis uti in eum, in quem jurisdictio non datur.“ Suppl. q. 20 a. 1 ad 2.

sed divinam habet originem et institutionem, et est spiritualis ac supernaturalis.

Tam necessaria est sacerdoti jurisdictionis potestas, ut absque illa nec venialia peccata remittere possit. Ex Decreto Innocentii VI. die 12. Febr. 1679.

5. — Jurisdictio, ut satis liquet, respicit *subditos*; ergo in hos tantum exerceri potest. Porro fideles pro legibus quidem, votis et juramentis non fiunt subditi, nisi *domicilium* vel *quasi domicilium* habeant (coll Lib. I. §. 66 n. 7); ast pro absolutione peccatorum et censurarum etiam peregrini fiunt subditi eo ipso, quod in sacro tribunali se sistunt episcopo loci vel sacerdoti jurisdictionem ab illo habenti; idque ex consensu universali, quem Eugenius IV. approbavit.<sup>1)</sup> Quapropter nihil impedit, quominus confessarius jurisdictione pro aliquo loco donatus confessiones peregrinorum eo advenientium excipere valeat.

6. — Ex doctrina praestituta deducitur, fictionem inanem et absurdam esse commentum de *compromisso* n. 3 commemorato. Etenim a) potestas jurisdictionis a Deo descendit independenter a fidelium arbitrio, nec fideles potestatem, quam nullatenus habent, sacerdotibus committere valent; b) subiectio unius potestatem alterius necessario jam supponit; igitur fideles, dum per confessionem sacerdoti se subjiciunt, in sacerdote potestatem ferendi sententiam non possunt non supponere.

\* De indole et necessitate potestatis jurisdictionis ad absolutionem validam prae aliis egregie tractat Palmieri: Tract. de Poenitentia Thes. XVI. pag. 171—178. Romae 1879.

## §. 136.

### Jurisdictio ordinaria et delegata.

1. — Jurisdictio ordinaria ea est, quae alicui competit jure proprio, id est ratione muneris seu officii adnexam habentis curam animarum. Delegata dicitur, quae non habetur jure proprio seu ratione officii, sed ex commissione superioris ordinariam habentis.

#### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Jurisdictionem ordinariam habent 1. Papa, et Poenitentiarius Major in universam Ecclesiam; 2. Legati in

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib VI. n. 589; vid. etiam n. 588, 569 et 548. Lugo: De Poenit. Disp. 20 Sect. 5 n. 70 et 72. Suarez: De Poenit. Disp. 30 Sect. 1 n. 4, aliique permulti citati in op. *Vindiciae Alphons.* Tom. II. pag. 161—164. Ed. 2. Bruxellis 1874.

suas provincias; 3. episcopi et eorum vicarii generales,<sup>1)</sup> sede vacante vicarii capitulares in dioecesanos; 4. parochi in suos subditos; 5. superiores regularium in confratres Ordinis sui, nempe Generales in totum Ordinem, Provinciales in provinciam, Abbates exempti in monasteria sibi subjecta, superiores locales (Priores, Quardiani, Rectores) in subditos sibi commissos.

Summus Pontifex jurisdictionem immediate habet a Christo Domino, a quo confertur ipsi statim ac canonice est electus. A Papa jurisdictione in episcopos, ab his in parochos aliosque sacerdotes descendit;<sup>2)</sup> item a Papa in Ordinum Generales, et per eos ad alios superiores et sacerdotes regulares derivatur. Dicit Concilium Vaticanum Sess. 4. cap. 2: „*Ex hac Sede (Apostolica) venerandae communionis jura in omnes dimanant.*“

Summus Pontifex in universa Ecclesia, episcopus in tota dioecesi sibi credita, *immediatam potestatem in oves suas* possident,<sup>3)</sup> quocirca Romanus Pontifex potest etiam invito episcopo confessarios delegare; et episcopus invito parochi jurisdictionem communicare confessariis, atque invitis parochis omnium confessiones excipere, similiterque ille, cui episcopus commisit.<sup>4)</sup>

3. — **Principium II.** *Jurisdictio ad excipiendas confessiones delegari potest ab omnibus, qui ordinaria gaudent;* sed parochus tantum sacerdoti ab episcopo approbato eam delegare potest; cumque post Concil. Trid. episcopus simul cum approbatione conferre soleat jurisdictionem sacerdotibus, ideo facultas delegandi in parochi nullum exercitium habet. Porro jurisdictione vel *directe* vel *indirecte* delegatur.

<sup>1)</sup> Vicarius generalis jurisdictionem ordinariam habet ex jure, cum unum tribunal cum episcopo faciat. S. Alph. Lib. VI. n. 558.

<sup>2)</sup> Jurisdictionem episcopis *immediate a Romano Pontifice* (mediate a Christo) conferri per actum, quo Papa eis regendas dioeceses committit, mihi indubium videtur. Vid. Bouix: De episcopo Tom. I. pag. 55 et seq. Craisson: Manuale totius juris canonici Ed. 3. Pictavii 1872 n. 868—872. Praecipue Salmeron: Doctrina de jurisdictione episcopalis origine et ratione ed. ab Andries Moguntiae 1871.

<sup>3)</sup> S. Thom. Suppl. q. 8 a. 5 ad 3.

<sup>4)</sup> Idem: Quaest. quodlib. XII. a. 19 Sect. 3. S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 81 in fine.

Rejiciendum omnino commentum nonnullorum contententium, episcopos non esse immediatos pastores fidelium sibi commissorum, sed ad parochos solos pertinere, jure divino, illorum curam immediatam, ita ut episcopis nihil aliud fere remaneat, quam invigilare, ut sacerdotes suum munus expleant, et eorundem negligentiam supplere. Vid. Craisson: Manuale totius juris canonici Tom. I. n. 873.

1. Directe jurisdictione delegatur, quando sacerdoti <sup>a)</sup> immediate confertur absolvendi facultas ab Ordinario vel <sup>b)</sup> ex consuetudine vel <sup>c)</sup> ex jure communi.

a) Ab Ordinario delegatio fieri potest aut *expresse*, verbo sive scripto, aut *tacite*, nempe signis externis, quae consensum praesentem indicant, ut e. g. si sacerdos, quem constat non habere jurisdictionem, confessiones excipiat sciente et non contradicente episcopo. Non autem sufficit jurisdictione praesumpta, dum sacerdos judicat, quod si superior sciret, eam certo concederet.<sup>1)</sup>

b) *Ex consuetudine* delegatio derivari potest, quatenus consuetudo absolvendi esse potest indicium consensus ab episcopo praestiti, si illam resciat et non reclamet; veluti cum finitimi pastores diversarum dioecesium in audiendis confessionibus se juvent mutuis subsidiis.<sup>2)</sup>

c) *Ex jure communi* jurisdictione delegata conceditur cuilibet sacerdoti in articulo, et etiam in periculo mortis, ita ut absolvere possit ab omnibus peccatis et censuris, etiam reservatis. Constat ex Rituali Romano: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscunque censuris et peccatis absolvere*. Idemque habetur in Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7, ubi ratio additur, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*. Nec excipiuntur sacerdotes haeretici, schismatici, excommunicati vitandi, degradati; prout docet s. Alphonsus<sup>3)</sup> cum sententia communissima, quae confirmatur ex Rituali Romano, quod absolute dicit, tunc posse *quemlibet sacerdotem* absolvere, atque ex declaratione Innocentii XI.<sup>4)</sup> et Pii VII.<sup>5)</sup> Ast quoad sacerdotem haereticum vel

<sup>1)</sup> S. Alph.: H. A. Tr. 16 n. 83.

<sup>2)</sup> Elbel: De Sacr. Poen. Conf. XI n. 299. Benedictus XIV Instit. 86 n. 7. *Instr. Eystett.* pag. 177. — Nonnulli episcopi jurisdictionem expresse delegant sacerdotibus conterminarum dioecesium. Sic episcopus Monasterii iis omnibus, qui a vicinis parochis suae dioecesis requiruntur, concessit ut in eorundem paroeciis confessiones excipere et verbum divinum praedicare valeant, dummodo ipsorum habitatio ultra 15 Kilometra a dictis paroeciis non distet. Iisdem idem episcopus auctoritate apostolica dedit potestatem, in supra dictis paroeciis

Benedictionem Apostolicam in mortis articulo impertiendi.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 560, et q. 19 inter recentius reformatas.

<sup>4)</sup> Card. Albitius (apud s. Alph. l. c.) refert, quod hic Summus Pontifex edixit, non amplius esse dubitandum, quin poenitens in articulo mortis absolvi queat ab haeretico, schismatico etc., deficiente alio sacerdote.

<sup>5)</sup> Qui testante episcopo Bouvier: Tr. de Poenit. cap. 6 §. 6 episcopis Galliae die 1. Aprilis 1794 declaravit, *non esse improbandam rationem, quam inierunt nonnulli Galliae praesules, qui in articulo vel periculo*



schismaticum abesse debet periculum seductionis, scandalum et approbatio haeresis vel schismatis. — Periculum mortis est illud rerum discrimen, in quo et superesse et occumbere posse. utrumque est graviter probabile, atque adesse censetur in morbo valde gravi, in partu difficili, in proelio, in periculosa navigatione, aliisque similibus adjunctis.

*An vero simplex sacerdos absolvere potest moribundum, quando confessarius approbatus adest vel adesse potest?* Negant doctores multi et graves, quia tota ratio cessat, ob quam facultas absolventi in hujusmodi casu datur. Attamen S. Congr. Inq. 29. Julii 1891, hac de re interrogata, respondit: „Non sunt inquietandi, qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; nec qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter sive cum censura, per sacerdotem non habentem jurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam jurisdictionem.“ Hoc decreto tuta in praxi facta est opinio validitatem absolutionis in casu *affirmans*; nam si jurisdictio Tridentina concessione non contineatur, Ecclesia certo supplet.<sup>1)</sup> — Sed sacerdos ad confessiones non approbatus licite non absolvit, quia Rituale Romanum restrictionem addit: *si approbatus desit confessarius.*<sup>2)</sup> Excipe, si approbatus nolit aut non possit audire confessionem; si infirmus non possit sine magna repugnantia et difficultate approbato confiteri; si approbatus superveniat, incepta jam confessione.<sup>3)</sup>

2. Indirecte jurisdictio delegatur, quando poenitenti conceditur facultas eligendi confessarium, qua concessione indirecte et mediate committitur jurisdictio confessario electo a poenitente. Confessarius vero eligendus debet esse approbatus.

Privilegium eligendi confessarium habent a) ex jure communi cap. fin. *de poen. et remiss.* episcopi, quamvis nondum consecrati, modo confirmati; item Praelati inferiores exempti ab episcopis,

*mortis Poenitentiae Sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis ac etiam parochis intrusis recipi posse permiserunt; deficiente quovis alio catholico sacerdote.*

<sup>1)</sup> Ita Marc: Th. mor. II. n. 1753. Génicot, Pruner.

<sup>2)</sup> Argumentum pro invaliditate absolutionis ex verbis Ritualis deduci nequit, cum non possit supponi, illum textum Congregationi fuisse ignotum.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 562 et 563. H. A. Tr. 16 n. 94.

auditores Rotae, aliique Praelati Curiae Romanae, et superiores regulares, etiam locales; — *b*) ex consuetudine reges et principes dominio supremo gaudentes, item domestici Romani Pontificis, et Cardinales, qui Romae degentes etiam domesticis possunt confessarium eligere; — *c*) ex concessione speciali Summi Pontificis, signanter tempore Jubilaei, quo conceditur saecularibus et regulariibus facultas eligendi confessarium quemcunque approbatum ab Ordinario loci, et monialibus stricte dictis eligendi confessarium ex approbatis ad confessiones monialium in illo loco, quamvis pro aliis monasteriis.<sup>1)</sup> Vid *de Jubilaeo* §. 177 n. 4.

4. — **Principium III.** Jurisdictione ordinaria praediti possunt ubique subditos suos absolvere; non vero qui delegata tantum jurisdictione instructi sunt. Hinc episcopus et parochus fideles sibi commissos extra dioecesim ubique valide absolvere queunt. Confirmatur ex declaratione S. C. Concilii die 3. Dec. 1707 emissa.<sup>2)</sup>

Verum ex privilegio etiam confessarii episcoporum, Cardinalium et principum possunt confessiones eorum ubique excipere sine approbatione episcopi loci, in quo morantur.<sup>3)</sup>

5. — Quaeritur, quis possit absolvere navigantes in mari? Extra periculum mortis, in quo quivis sacerdos simplex absolvendi potestatem habet, ut supra habitum est, valide et licite absolvere potest approbatus a proprio suo Ordinario omnes secum navigantes, etsi navis itinere perdurante aliquamdiu consistat in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis. Ita Congr. S. Off., approbante et confirmante Leone XIII., die 4. Apr. 1900.

## §. 137.

### Jurdictio ab Ecclesia suppleta.

1. — Ecclesia non potest defectum eorum supplere, quae non subsunt ipsius voluntati et dispositioni, prout defectum materiae vel formae in Sacramentis; attamen potest et ex gravi

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 565. H. A. Tr. 16 n. 85.

<sup>2)</sup> Ad dubium: An curati unius dioecesis vocati a parochis alienae dioeceseos possint in illa audire confessiones tam suorum quam alienorum? S. C. Conc. die et anno cit. rescripsit: *Affirmative quoad subditos*,

*negative quoad reliquos.* In Posmaniensi.

<sup>3)</sup> Sed episcopi et Cardinales, *si confessarios sibi subditos non secum ducunt*, nequeunt confiteri nisi sacerdoti approbato ab Ordinario loci, quo migrant S. Alph. Lib. VI. n. 565. H. A. Tr. 16 n. 85.

ratione etiam solet supplere jurisdictionem in Sacramento Poenitentiae, quia jurisdictionis ab ipsius voluntate pendet. Sed quaeritur, *quando* hoc fiat.

2. — **Quaestio I.** *An ecclesia suppleat in confessario defectum jurisdictionis a poenitentibus invincibiliter ignoratum?*

Praenotari oportet: 1. *Error* putantium confessarium esse instructum jurisdictione, est aut *communis* inter fideles alicujus loci, ubi fit confessio; aut *privatus* tantum unius aut paucorum. 2. Sacerdos jurisdictione destitutus potest habere *titulum coloratum* vel solum *existimatum* (seu putativum). Porro titulus respectu jurisdictionis ad absolvendum est collatio beneficii curati vel muneris poenitentialis sacerdoti facta ab auctoritate competente Ecclesiae. Titulus coloratus audit titulus ab Ordinario *vere* datus, prout titulus parochi, confessarii, sed in se *nullus* ob aliquem defectum e. g. simoniacam beneficii collationem, vel jam *amissus*, per revocationem superioris vel lapsum temporis, ad quod jurisdictionis est data, et talis nullitas vel amissio communiter ignoratur. Titulus existimatus dicitur titulus, qui adesse a fidelibus putatur, verum nullatenus a competente auctoritate ecclesiastica collatus, sed a sacerdote usurpatus est sive propria sive alterius v. c. gubernii civilis auctoritate; et qui tali titulo utitur, *invasor*, *intrusus* appellatur. His praemissis

Dico 1. Certa est omnium theologorum doctrina, Ecclesiam supplere jurisdictionem, quando error communis est conjunctus cum titulo colorato. Etenim ex benigna interpretatione rationaliter praesumitur eo casu pia mater Ecclesia ad commune fidelium bonum supplere jurisdictionem, cum id possit.<sup>1)</sup> Sed peccat, qui sciens nullitatem tituli absolvit, quia agit contra prohibitionem Ecclesiae, et eam quasi cogit ad dandam jurisdictionem in commodum poenitentium.<sup>2)</sup>

Hinc valide absolvit parochus, qui ab Ordinario revera, sed invalide, obstante aliquo occulto impedimento canonico, obtinuit beneficium. Item capellanus aliusve confessarius, cujus jurisdictionis ab Ordinario ad tempus e. g. ad triennium delegata interim exspiravit vel occulte est revocata, et talis amissio communiter ignoratur.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 572.

<sup>2)</sup> La Croix: Lib. VI. P. I n. 114, et alii omnes.

<sup>3)</sup> Mazzotta: Tr. VI. Disp. 2

q. I §. III. Sanchez: De matrim. Disp. 22 n. 58 et 61. Instr. Eystett. a. 1877 pag. 177. Zenner: Instr. pract. confessarii §. 39. Ed 6. Vindob. 1857.

Dico 2. Ecclesia non supplet jurisdictionem, si adsit error communis sine titulo colorato, sed tantum cum titulo existimato; si nimirum sacerdos communiter putatur parochus vel confessarius legitimus, qui tamen absque auctoritate Ordinarii est *intrusus* in parochiam vel confessionalem; quod colligitur ex literis Apost. Pii VII. *Ubi primum* 3. Junii 1816. Ceterum fideles, qui bona fide penes intrusum confessi sunt, ad repetendas confessiones non sunt adigendi, ut in iisdem lit. Apost. habetur; nam absolvuntur in posteriori confessione, qua in universum includi intelliguntur peccata prius penes intrusum accusata; imo si bona fide et attriti ad s. Communionem accedant, per hoc Sacramentum justificantur, juxta dicta §. 89 n. 3.<sup>1)</sup>

3. — **Quaestio II.** *An Ecclesia suppleat jurisdictionem confessario absolventi cum jurisdictione tantum probabili?*

Casus est, si confessarius probabiliter existimat, se habere jurisdictionem absolvendi ab hoc vel illo peccato, hunc vel illum poenitentem, hic non esse incursum reservationem, ipsius jurisdictionem nondum cessasse etc.

Resp. Quamvis Ecclesia in hujusmodi casu ob bonum animarum bene censi possit defectum jurisdictionis, si quis subsit, supplere: non tamen licitum est, cum jurisdictione solum probabili absolvere, nisi quando adest gravis causa (necessitatis vel utilitatis), item quando jurisdictio certa facile obtineri nequit; quia non videtur Ecclesia velle merae libertati sacerdotum conivere. Hujusmodi causa est confessio annua facienda, Indulgentia singularis lucranda, timor, ne secus poenitens sacrilege confiteatur vel confessionem ad longum tempus differat etc.<sup>2)</sup>

Scavini: „Quando datur jurisdictio sive in perpetuum sive ad tempus determinatum et a superiore revocatur, valent actus jurisdictionis, donec haec revocatio cognoscatur a communitate; hoc scilicet postulat publicum bonum.“ Lib. III. n. 480.

<sup>1)</sup> Quae ex literis Ap. Pii VII. commemoratis (ad electum Archiep. Hieropolitanum) ad nos spectant, haec sunt: „*Ne vero fidelium conscientiae perturbentur ac vexentur ob eam causam, quod suas confessiones ediderint penes intrusos, in quibus nulla erat jurisdictio, ea ratio tenenda est, ut*

*qui bona fide egerunt atque in eadem simplicitate perseverant, ad repetendas confessiones ex gravissima theologorum sententia non adigantur; videntur enim id praestitisse, quod a poenitentibus sacrosancta exigit Trid. Syn. Sess. 14. cap. 5, adeoque eorum peccata semel jam excussa, cum iis diligenter cogitantibus et nihil dubitantibus in posteriori confessione non occurrant, in illa jam habita confessione intelliguntur includi*“ Collect. Lacens. Tom. II. pag. 550.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 573, cum aliis contra alios.

Ast cum jurisdictione dubia absolvere non licet, nisi aliqua necessitas urgeat e. g. communicandi, et alius sacerdos non adsit; et tunc absolutio sub conditione: si possum, danda est.<sup>1)</sup>

Nota. Jurisdictio *dubia* est, quando obtinet dubium facti i. e. dubium versatur circa factum concessae jurisdictionis. Jurisdictio dicitur *probabilis*, quando obtinet dubium juris i. e. dubium non versatur circa factum concessae jurisdictionis, quod factum indubium supponitur, sed circa jurisdictionis valorem, extensionem vel extinctionem.

### §. 138.

#### Restrictio jurisdictionis.

Jurisdictio ad absolutionem valide impendendam necessaria a superioribus ad inferiores veluti per gradus descendit, ita ut inferior potestas fundetur in superiore, et ab ea tota dependeat. Hinc consequens est, quod superiores jurisdictionem inferiorum restringere vel etiam penitus adimere possunt. *Omnia res per quas-cunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, est regula juris. Revera jurisdictio ad Sacramentum Poenitentiae administrandum requisita diversis modis in Ecclesia restringi consuevit: 1. ad certum locum, 2. ad definitum tempus, 3. ad certas personas, et 4. ad certa peccata. Solus Summus Pontifex jurisdictionem habet nullis limitibus circumscriptam, quia plenitudo potestatis est in eo, „qui Papa merito appellatur, tamquam unus primus et summus pater spiritualis omnium patrum, imo omnium fidelium, et hierarcha praecipuus, Pontifex summus, Christi vicarius, fons et origo, regula cunctorum principatum ecclesiasticorum; a quo tamquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiae membra“.<sup>2)</sup>

### §. 139.

#### I. De restrictione jurisdictionis quoad locum et tempus.

1. — *Ratione loci*. Jurisdictio ordinaria in proprios subditos pastorem quovis locorum sequitur; quocirca episcopus et parochus subditos suos etiam extra dioecesim absolvere possunt, §. 136 n. 4, non vero capellani etc.

Parochus jurisdictionem ordinariam tantum in parochia sua habet, juxta Decr. S. C. C. mense Augusti 1600, attamen in ecclesia sua etiam parochianos alterius parochiae absolvere potest absque

<sup>1)</sup> Idem n. 571.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura: Breviloq. P. VI cap. 12.

licentia speciali, ut S. C. C. die 25. Junii 1639 declaravit. <sup>1)</sup> Praeterea per consuetudinem fere universalem vel etiam per patentes litteras parochus, imo etiam (saltem apud nos) quivis alius sacerdos ad certum dioeceseos locum jurisdictione instructus, simul delegata pollet jurisdictione, in aliena parochia inter limites dioeceseos sita valide, et cum parochi licentia expressa vel praesumpta etiam licite poenitentes absolvendi. <sup>2)</sup>

2. — *Ratione temporis.* Ordinaria jurisdictione (episcopi, parochi) durat, quamdiu munus geritur, cui adnexum est; delegata (e. g. capellani) toto tempore, pro quo est concessa, nisi citius revocetur. Jurisdictione delegata *specialis*, nempe data pro aliqua persona particulari, expirat morte delegantis vel ejus cessatione ab officio, nisi aliud in concessione exprimat, vel confessio jam fuerit incepta. <sup>3)</sup>

Non expirat delegatio generalis a *Papa* proveniens, per ipsius mortem, nisi data sit cum clausula: *ad arbitrium concedentis* vel *ad beneplacitum nostrum*, quandoquidem ex juris adagio voluntas morte finitur. Nec exstinguitur delegatio generalis ab *episcopo* proveniens, per ipsius mortem, nisi vel a successore revocetur aut praefixum tempus elabatur; atque ideo episcopo defuncto vel cessante a suo officio adhuc confessarii omnes antea deputati jurisdictionem integre tenent ad confessiones audiendas usque ad tempus ab illo episcopo definitum. <sup>4)</sup>

3. — *Excommunicatus* vel *suspensus nominatim* et publice denuntiatus seu *vitandus* jurisdictione privatur, ita ut secluso mortis periculo (§. 136 n. 3) nec licite neque valide absolvere possit. *Excommunicatus* vel *suspensus toleratus* non privatur jurisdictione ideoque valide absolvit, quamvis illicite, nisi sit requisitus. <sup>5)</sup>

### §. 140.

## II. Restrictio jurisdictionis ratione personarum, nempe regularium et monialium.

### a) Respectu regularium.

1. — Sacerdotes regulares proprie dicti seu qui vota solemnia emittunt, jurisdictionem ad confessiones *suorum* valide excipiendas

<sup>1)</sup> Craisson: Manuale totius juris canonici Tom. II. n. 1351. Ed. 3.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 544.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 559.

<sup>4)</sup> Idem l. c.

<sup>5)</sup> Idem Lib. VII n. 167—170, et n. 314.

accipiunt a superioribus monasteriorum, in quos per suos praepositos a Papa diffunditur.<sup>1)</sup>

Ad excipiendas *saecularium* confessiones post Concilium Trid. Sess. 23. cap. 15 quilibet regularis opus habet approbatione episcopi loci; cum qua simul confertur necessaria jurisdictione ad saeculares valide absolvendos. Unde sequitur 1. quod irrita ac nulla est absolutio sacramentalis cuiquam saeculari impertita a sacerdote regulari, cui concessa non fuerit approbatio ab Ordinario loci; et 2. quod ejusmodi jurisdictione ab Ordinario concessa auferri nequit a superioribus regularibus, quamvis ejusdem usus possit juste interdici; quare valide sed illicite absolveret religiosus, qui contra superiorum inhibitionem confessiones exciperet. Constat ex Declaratione S. Congr. Epp. et Reg. sequenti:

Propositis enim dubiis: I. An religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipiat confessiones saecularium? II. An superiores regulares jurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium, etiam ex informata conscientia? Et quatenus affirmative, III. An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enuntiata? IV. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus, sit valida? Et quatenus negative, V. An qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat? — S. Congr. die 2. Martii 1866 respondit ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative, ita tamen, ut religiosus suspensus illicite, non vero invalide confessiones excipiat*. Ad III. *Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis*. Ad IV. *Affirmative*. Ad V. *Provisum in praecedentibus*.<sup>2)</sup>

Possunt autem regulares, sine episcopi approbatione, famulos vel alios saeculares, qui sunt *velut de familia*, id est, diu noctuque in monasterio vel collegio remanent ibique nutriuntur, ita ut sint *continui commensales et vivant sub obedientia religiosorum*, valide absolvere, ex Const. Clementis X. *Superna* §. 4. Non possunt sine episcopi approbatione absolvere alumnos convictores, quia non sunt de familia, ut famuli; pecuniam enim tribuunt etc. Sed quia hodie pluribus Ordinibus e. g. Benedictinis, Theatinis etc. privilegium competit *familiaritatis* pro ipsorum convictoribus, concludunt alii ex communicatione privilegiorum ceteros Ordines jam idem privilegium consequi, alii vero negant hoc privilegium communicari, quia laedit jus parochi et episcopi.

2. — Sacerdotes sive regulares sive saeculares non possunt valide religiosos absolvere, qui sine consensu superiorum suorum

<sup>1)</sup> Vid. Elbel: De Poen. Conf. XI n. 301.

<sup>2)</sup> Vide Acta S. Sedis Vol. I. pag. 678—684.

nequeunt extra suum Ordinem confiteri. Imo etiam in monasterio tantum designatus a suo superiore confessiones excipere potest.

Degentes extra monasterium vel iter agentes, si Ordinis socium non habent, a quovis alio sacerdote vel regulari vel saeculari valide absolvi possunt, exceptis reservatis, nisi antea a proprio superiore facultatem obtinuerit.

Praeterea superiores locales (Prior, Quardianus etc.) possunt, nisi Constitutiones et Statuta cujusvis Ordinis obstent, regularibus sui Conventus facultatem concedere, sacerdoti extraneo, sive regulari alterius Ordinis sive saeculari, confitendi peccata, dummodo sacerdos *saecularis* sit ab Ordinario loci approbatus; quodsi non sit, invalida erit absolutio. Constat ex Declaratione S. C. Epp. et Reg. sequenti:

Prior Conventus N. Ordinis Eremit. s. Augustini ob exortas nonnullas quaestiones super jurisdictione, sequentia dubia S. Congregationi Epp. et Reg. solvenda proposuit: Quidam Regularis utens facultate obtenta a Priore sui Conventus, confitetur sacerdoti saeculari, et quidem approbato: 1. Quaeritur, an valide? Et quatenus affirmative, 2. Utrum Prior possit jure subditis suis hanc facultatem concedere, nec ne? — S. Congr. die 3. Junii 1861 respondere censuit: *In Ordine Eremitarum Sancti Augustini affirmative ad utrumque, dummodo sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci; pro aliis Ordinibus standum eorum Constitutionibus et statutis.*<sup>1)</sup>

### b) Respectu monialium.

3. — Quo sanctimonialium sublimior est gloria, eo etiam majorem curam exigit.<sup>2)</sup> Hinc est, quod non omnis sacerdos, qui ab Ordinario ad Sacramentum Poenitentiae administrandum deputatus est, monialium confessiones excipere valet, sed ille tantum, qui specialem approbationem et jurisdictionem hunc in finem ab episcopo loci obtinuit. Imo confessarius approbatus pro uno monasterio nequit valide excipere confessiones monialium alterius

<sup>1)</sup> Acta S. Sedis Vol. I. pag. 672—678. — Alii sententiam contrariam, nempe regularem posse valide confiteri etiam simplici sacerdoti, et a s. Alphonso (Lib. VI. n. 575) communissimam ac veriore appellatam defendunt, quia pro confessariis regularium sufficit deputatio etiam implicita Superioris, et lex Tridentina approbationem Ordinarii loci ad confessiones

saecularium, non vero regularium requirit. Declaratio vero S. C. Epp. et Reg. supra citata non obstat, quia est extensiva legis Tridentinae, hinc non videtur universaliter obligare sine formali promulgatione. Génicot II. n. 337. Marc II. n. 1763. Noldin: De Sacr. n. 353.

<sup>2)</sup> Ita s. Cyprianus: De bono Virginitatis.



cujusdam monasterii, nisi in genere pro monialibus sit approbatus. Ita Gregorius XV. in Const. *Inscrutabili* 5. Feb. 1622, Clemens X. in Const. *Superna* 21. Junii 1670, Leo XIII. in Const. *Conditae* 8. Nov. 1900.

Confessarius eligendus est ab episcopo loci pro monialibus sibi subditis; pro monialibus exemptis praesentetur a propriis superioribus, approbatus ab episcopo. S. C. Epp. et Reg. 20. Sept. 1588. Benedictus XIII. in Const. *Pastoralis* 27. Martii 1726.

Monialium confessarius pro triennio tantum approbatus est, quo elapso non amplius potest earum confessiones audire absque licentia S. Sedis, quam pro secundo triennio S. Congregatio Epp. et Reg., pro tertio vero et sequentibus solus S. Pontifex sub certis conditionibus concedit. Ita S. C. Epp. et Reg. 24. Feb. 1872; 16. Feb. 1877. Si confessarius elapso triennio absque prorogatione muneris confessiones audiat, ejus absolutiones, quippe jurisdictione carentis, *invalidae* sunt. Quodsi elapso triennio ab episcopo absque licentia S. Sedis confessarii munus prorogatur, ejus absolutiones non *invalidae* sed *illicitae* sunt. S. C. Epp. et Reg. 20. Julii 1875.<sup>1)</sup>

Prohibitum est, ne eligantur in confessarios monialium Vicarii generales, parochi, si cura animarum notabiliter laederetur, regulares, canonici poenitentarii; nisi episcopus justis ex causis expedire censuerit.<sup>2)</sup>

4. — Praeter confessarium ordinarium monialibus exhiberi debet confessarius extraordinarius, ab Ordinario loci specialiter approbatus, bis aut ter in anno, ex Concilio Trid. Sess. 25. cap. 10,<sup>3)</sup> imo quater etiam, juxta Const. Benedicti XIV. *Pastoralis curae* 5. Aug. 1748.<sup>4)</sup> Et eo tempore ordinarius nullius monialis, neque abbatissae neque novitiarum audiat confessiones, ut idem Summus Pontifex edicit, qui etiam vult, ut confessario extraordinario omnes moniales se praesentent, licet non teneantur, si nolint, ipsi confiteri, ad audienda monita salutaria.

<sup>1)</sup> Noldin: De Sacramentis n. 357.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 577.

<sup>3)</sup> Ubi dicitur: „Praeter ordinarium autem confessarium alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis aut

ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.“

<sup>4)</sup> Usu venit, quod id singulis quatuor temporum hebdomadibus fit, et praeterea tempore Exercitiorum annuorum. — Nihil prohibet, quominus plures confessarii extraordinarii praeficiantur.

Electio confessarii extraordinarii ad eum spectat, cujus est ordinarium eligere, ergo ad episcopum pro monialibus subditis, ad superiores respectivos pro exemptis. Quodsi pro exemptis superiores pertinaciter non offerant hujusmodi confessarium, de hoc providere debet episcopus. Et si episcopus in hac re negligens esset, *volumus*, Benedictus XIV. in Bulla *Pastoralis* inquit, *Majorem Poenitentiarium, statim ac requisitus fuerit, confessarium extraordinarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas monialium confessiones ad ipso Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis facultatibus concedere et deputare.*

Insuper ex ejusdem Summi Pontificis Constitutione confessarius particularis moniali cuilibet postulanti in articulo mortis indulgeri debet; imo etiam aliquando in vita, si monialis confessario ordinario confiteri recuset, sed tantum pro certis vicibus, ne ordinarius evadere censeatur.

Multo magis idem urget Leo XIII., qui decreto *Quemadmodum* 17. Dec. 1890 graviter *praesules superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrant. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.*

5. — Dubia ex decr. *Quemadmodum* exorta :

I. Quis sub nomine praesulis vel superioris, cujus est subditis concedere vel denegare confessarium extraordinarium, intelligitur? An ipse qui ordinarium confessarium deputavit, vel potius qui domui praeest, sive sit vir sive femina?

II. Cum ex decreto Superior, quicumque sit, nequeat confessarium extraordinarium denegare, imo nec aegre se ferre petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petenti apprehensam?

III. An praesul, qui ex dictis confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam ipsius confessarii, vel idem religiosus eligere poterit inter diversos ab Ordinario deputatos, qui hoc sibi munus impleat?

S. Congr. Epp. et Reg. 17. Aug. 1891 respondit: Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* — Ad II. *Affirmative; sed subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur, ut propriae conscientiae consulant.* — Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

## 6. — Dubia quoad confessarios peculiare:

I. An qui concessus est monialibus favor recurrenti ad confessarium extraordinarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id adigantur ita limitibus et conditionibus careat, ut ipsae eo uti queant constanter, quin unquam confessarium ordinarium adeant, et ne ab Episcopo quidem redargui et impediri aliquo modo valeant, si rationibus haud probandis aut futilibus ductae fuerint?

II. Confessarii adjuncti, si quando cognoscunt non esse probabilem causam ad ipsos recurrenti, an teneantur in conscientia ad declinandam confessionum sororum auditionem?

III. Si quaedam sorores (imo quod pejus est, major pars illarum) constanter ad aliquem a confessariis adjunctis recurrant, debetne Episcopus silere, an potius intervenire, aliquo modo procurando ut salva sit sancita Bulla *Pastoralis* maxima: „Generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur“?

IV. Et quatenus intervenire debeat, quam inire viam legitime queat?

S. Congr. Epp. et Reg. 1. Febr. 1892 respondit: Ad I. *Negative*. — Ad II. *Affirmative*. — Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. — Ad IV. Moneat Ordinarius moniales et sorores, de quibus agitur, dispositionem articuli IV Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione s. m. Benedict. XIV. incipient. *Pastoralis curae* praescriptum habetur.

7. — Moniales, quae extra conventum versantur, a simpli-  
cibus confessariis absolvi possunt, quia Constitutiones SS. Pon-  
tificum, quae exigant, ut moniales confiteantur sacerdoti pro  
ipsis specialiter approbato, intelligendae sunt de monialibus in  
monasterio degentibus. Consonat Decretum S. C. Epp. et Reg.  
22. Apr. 1872: „Moniales non claustrales, si pro suscipiendis  
sacramentis parochum parochialemque ecclesiam adire solent, lege  
illa confessarii specialiter approbandi adstringi nequeunt, sed pro  
opportunitate extra propriam domum confiteri possunt apud  
quemcunque confessarium ab Ordinario approbatum.“

8. — Confessarius monialium juxta praescriptum Clemen-  
tis XI., doctrina, prudentia, experientia ac pietate praestare, atque  
aetatis provectoris esse debet; quod iudicio episcopi relinquitur.  
Ex. Decr. S. C. Epp. et Reg. 7. Sept. 1797 cavere debet, ne  
tamquam superiorem monasterii se gerat, cum ipsi talis auctoritas  
nullo modo competat.

9. — Quaeritur, *quaenam feminae nomine monialium intelli-*  
*gantur?* Solae feminae sub regula in claustro viventes, praesertim  
quae vota solemnia profitentur, non vero aliae quae clausuram  
servare non tenentur, ut e. g. sorores misericordiae. Attamen, ut

merito Craisson<sup>1)</sup> observat, statutis particularibus denominatio extendi potest, siquidem episcopus jurisdictionem confessariorum limitare valet, non solum quoad locum et tempus, sed etiam quoad genus personarum, ut Benedictus XIII. a. 1726 declaravit.

Porro Benedictus XIV. in Const. *Pastoralis curae* 5. Aug. 1748 episcopos enixe hortatur, ut Concilii Trid. legem circa confessarios *extraordinarios* monialium cum omnibus feminarum communitatibus seu conservatoriis servent, in quibus unicus ordinarius poenitentiae minister habetur.

In pluribus dioecesibus (etiam in Lincensi) praescriptiones de confessariis monialium tam ordinariis quam extraordinariis extenduntur ad Congregationes feminarum, quae tantum vota simplicia emittunt et ad strictam clausuram non obligantur. Quae quidem disciplina sane optima, et omnino conformis est menti Apostolicae Sedis, quae ex sequentibus patescit:

1. Ad dubium, quod proposuit episcopus Tridentinus: *An confessarii ordinarii sint singulis trienniis mutandi, etsi feminae in conservatoriis degentes, cum non sint stabilitate loci impeditae, identidem, praesertim sorores caritatis hospitalibus inservientes, passim de una domo et loco in alium locum et domum transferantur?* Respondit S. C. Ep. et Reg.: *Affirmative*, die 29. Jan. 1847.

2. Animadversio S. Congr. Ep. et Reg. in Constitutiones Sororum a Praesentatione B. M. V. sub die 23. Julii 1860 n. 13 dicit: *Quoad confessarios servanda erit Constitutio Benedicti XIV. Pastoralis curae, et confessarii deputandi erunt ab Episcopis respectivis.*

3. S. Congr. Ep. et Reg. in Constitutiones Sororum a Nazareth, quae moniales claustrales non sunt, die 27. Sept. 1861 Animadversione 3 edixit: *Circa confessarium extraordinarium observandae sunt praescriptiones sacrosancti Conc. Tridentini et Constitutio Benedicti XIV., quae incipit Pastoralis curae, ideoque non semel tantum in anno praedictus confessarius advocandus erit, sed saltem bis aut ter in anno; et si opus erit, etiam pluries.*<sup>2)</sup>

10. — Restrictio jurisdictionis quoad personas novissima et proxime Romae vicens ex mandato Leonis XIII. publicata est per Decretum S. Off. 5. Julii 1899, quo „districte prohibetur, ne ullus cujusquam religiosae communitatis aut seminarii aut collegii superior, sive major sive minor, (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo ejus conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones audire ullo pacto audeat.“ Sed eadem Congr. die 23. Aug. 1899 declaravit, hoc Decreto nihil derogatum fuisse Constitutionibus apostolicis

<sup>1)</sup> Manuale etc. Tom. II. n. 1588.

<sup>2)</sup> In Comp. Gury, ed. Rom. 1873. Tom. II pag. 326 Nota.

quoad ordines religiosos. Licet ergo magistro novitiorum subditorum suorum confessiones audire, id quod permiserat Clemens VIII. 19. Martii 1623; et licet superiori eorum confessiones audire, qui sponte id petant. <sup>1)</sup>

§. 141.

**III. Restrictio jurisdictionis ratione peccatorum.**

C a s u s r e s e r v a t i.

Postremo jurisdictio confessarii inferioris limitibus circumscribitur intuitu quorundam criminum atrociorum, quorum absolutio superioribus est reservata, „ad christianam disciplinam retinendam, animarumque salutem procurandam.“ <sup>2)</sup> Etenim finis reservationis est: 1. ut poenitentes gravitatem scelerum magis edoceantur, et ab iisdem efficacius deterreantur; 2. ut a superioribus poenitentias, monita ac remedia opportuniora recipiant, siquidem expedit, ut noxae majores majori cura et prudentia tractentur. <sup>3)</sup>

Subtractio jurisdictionis seu potestatis absolvendi a certis quibusdam peccatis, salva potestate absolvendi a ceteris, communiter *reservatio casuum* appellatur. Et peccata hujusmodi *casus reservati* dicuntur.

Quae hac de materia gravissimi ponderis scienda occurrunt, sunt sequentia: 1. potestas reservandi peccata, 2. conditiones reservationis, 3. casus Summo Pontifici et episcopis reservati, 4. absolutio a reservatis.

§. 142.

**De potestate reservandi peccata.**

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Exstat ex divina institutione penes Ecclesiae praelatos potestas aliquot majoris momenti casus reservandi, non solum quoad politiam externam, sed etiam coram Deo.* Quae assertio est

<sup>1)</sup> V. Noldin: De Sacramentis n. 353.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 581. Dub. 1, n. 597.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. V. cap. 5.

de fide; ex definitione Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7 et can. 11 contra Lutheranos, atque ex propos. 44 et 45 Synodi Pistoriensis a Pio VI. rejectis. Semper in Ecclesia hujus potestatis usus viguit, quem innumera {prope documenta evincunt.<sup>1)</sup> Praeterea eadem potestas jam ex ipsa Sacramenti Poenitentiae indole conjicitur, siquidem characterem iudicii habet; atqui in iudiciis quaelibet causae majores superioribus primariis sunt reservatae.

2. — **Principium II.** *Potestas reservandi peccata competit solis Ecclesiae praelatis, qui jurisdictione fori interni et externi gaudent.* Hinc 1. Papa reservare potest casus in tota Ecclesia, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7; — 2. episcopi in suis dioecesibus, Conc. Trid. l. c. can. 11; — 3. Praelati regulares et ii, qui habent potestatem quasi episcopalem, quoad subditos suos.

Verumtamen Praelati Ordinum *sine consensu Capituli generalis pro toto Ordine, aut Capituli provincialis pro provincia*, non possunt sibi reservare ullum casum, praeter undecim a Clemente VIII. die 26. Maji 1593 designatos vel eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire judicaverint;<sup>2)</sup> nec absque Capituli generalis aut provincialis consensu aliquibus peccatis in Decreto Clementis VIII. non contentis excommunicationem adnectere reservatam, prout S. C. Epp. et Reg. die 8. Julii 1717 declaravit.<sup>3)</sup>

Religiosi exempti non subjacent reservationi episcopi, nec eorum novitii; si vero novitius inciderit in casum episcopo reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet confessario saeculari, sed poterit a confessario Ordinis, ob privilegium Ordini concessum.<sup>4)</sup>

3. — Circa reservationem ab episcopis faciendam S. Congr. Ep. et Reg. 9. Jan. 1601 locorum Ordinarios monendos statuit, — *ut paucos eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent.* In eundem modum commonuit die 26. Nov. 1602, et literas encyclicas ad episcopos dedit. Et S. Congr. Conc., cum ad eam esset delatum, quod episcopus Bellicastrensis supra modum auxisset catalogum casuum reservatorum, die 26. Januarii 1661 *decem* aut ad summum *duodecim* gravioribus exceptis episcopi arbitrio designandis, ceteros e catalogo deleri jussit.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Videri potest Morinus: De Poen. Lib. II. cap. 11 §. 13 et seq. Palmieri: Tract. de Poenit., Thesis XVII. Romae 1879.

<sup>2)</sup> Hos casus videre licet apud S. Alph. Lib. VI. n. 583.

<sup>3)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. V. cap. 5 n. 5.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 583 in fine.

<sup>5)</sup> Benedictus XIV.: De Synodo Dioec. Lib. V. cap. 5 n. 4.

## §. 143.

## Conditiones reservationis.

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Peccatum, ut censeatur reservatum, debet esse mortale, externum, opere consummatum (nisi aliud constet ex declaratione expressa reservantis), et certum.* Haec quidem ex consuetudine Ecclesiae et communi doctorum interpretatione requiruntur.

Debet 1. peccatum esse mortale, quia ex Conc. Tr. *atrociora quaedam et graviora crimina* reservantur ab Ecclesiae praelatis. Hinc parvitas materiae (dummodo haec ex fine vel circumstantiis non fiat gravis), item defectus advertentiae excusans a peccato gravi, reservationem impediunt.

2. Peccatum externum, numquam enim Ecclesia peccata mere interna reservare consuevit; <sup>1)</sup> non autem eximitur a reservatione peccatum occultum. Sub reservatione non cadit peccatum, quod quidem interne seu ex intentione peccantis est grave, externe tamen seu ex objecto est leve; quia superiores non intendunt reservare peccata, nisi graviter exterius consummata, cum non soleant reservare interna. <sup>2)</sup>

3. Peccatum opere consummatum seu completum, et insuper perfectum in specie sua; quia reservatio, quae non solum medicinalis, sed insuper poenalis est, restringi debet. Excipe; si ipsa criminis attentatio vel peccatum etiam non perfectum in specie sua, expresse reservetur. Hinc si reservationi subjacet homicidium, haec non incurritur per inflictum vulnera; si adulterium, reservatio non obtinet per copulam imperfectam, sed consummatam cum conjugata etc. Nec sodomia imperfecta v. g. maris cum femina intelligitur reservata. <sup>3)</sup>

4. Peccatum certum, ita ut omne dubium facti (an poenitens peccatum commiserit vel in eo committendo graviter peccaverit) et dubium juris (an peccatum commissum sub reservatione com-

<sup>1)</sup> Absolute loquendo reservari possunt etiam peccata *interna*, ut recte docet s. Alphonsus: Lib. VI. n. 582, Dub. 2. Et Benedictus XIV. De Syn. Dioec. Lib. V. cap. 5 n. 5 dicit:

„Peccata gravia, sed mere interna, licet reservari queant, — non est tamen in praxi receptum, ut umquam reserventur.“

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 582, Dub. 3.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 581 versus finem

prehendatur) penitus excludatur. Est enim reservatio strictae interpretationis. <sup>1)</sup>

Praeterea *impuberes* i. e. mares ante 14. et feminae ante 12. annum eximuntur a reservatione, quoad casus papales, nisi aliud in jure sit expressum; et idem a nonnullis affirmatur de casibus episcopalibus, et certe valet in dioecesi Linciensi.

2. — **Principium II.** Reservatio afficit immediate confessarium, mediate poenitentem; quia jurisdictionem sacerdotum restringit, ita ut juxta verba Concilii Trid. Sess. 14. cap. 7 *simplices sacerdotes nihil possint in casibus reservatis.* <sup>2)</sup> Inde sequitur:

1. Peregrinus, qui confitetur peccatum, quod tantum in loco confessionis est reservatum, absolvi nequit, quia reservatio respicit confessarium, qui proinde a casu reservato peregrinos tam minus quam incolas loci absolvere valet, siquidem peregrini coll. §. 135 n. 5 quoad confessionem habendi sunt tamquam incolae loci, in quo confitentur. Quod confirmatur ex decl. S. C. Epp. 17. Nov. 1616.

2. Peregrinus confitens peccatum, quod in loco domicilii, non confessionis est reservatum, absolvi potest, quia jurisdictio confessarii in hoc casu non est restricta; dummodo peregrinus non in fraudem reservationis alienam dioecesim petat, ex Bulla Clementis X. *Superna* 21. Junii 1670. Is vero juxta explicationem s. Alphonsi censetur in fraudem reservationis in alienam dioecesim migrasse, qui ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii pastoris alienam dioecesim petiit. <sup>3)</sup> Quapropter bene absolvi poterit poenitens, qui discessit ob aliquem finem honestum e. g. negotii agendi causa, vel etiam, ut minori incommodo confiteatur aut citius confessionem expediat, cum adsint plures confessarii, aut inveniatur confessarium incognitum vel prudentiorem, qui melius ipsum dirigat et consulat conscientiae paci.

Quaeritur: An ignorantia reservationis ab ea incurrenda excuset? Distinguendum est: 1. si casus sint papales cum censura, ignorantia a reservatione eximit, quia casus papales principaliter reservantur propter censuras; porro a censuris excusat ignorantia, et sublata censura ob ejus ignorantiam etiam cessat peccati reservatio. 2. Si casus sint episcopales et quidem sine censura, ignorantia certissime

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 600, Quaer. 1.

<sup>2)</sup> Vid. idem n. 581.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 589; quia *fraus* dicitur intervenire, ubi lex redditur

illusoria; eluderetur autem reservationis lex, si poenitens abscesserit ad aliquam dioecesim ex principali motivo petendi absolutionem.



non eximit a reservationem, quia juxta Concil. Trid. confessarius nihil potest in reservatis, neque episcopi permittunt, absolvere ignorantem reservationem. Si reservati sint *ratione censurae* a jure communi (per Const. *Apostolicae Sedis*, cf. §. 144), a reservationem ignorantia censurae excusat: quod tamen juxta sententiam communiorum non valet, si peccato reservato ab ipso Ordinario adnexa sit *censura*, quia propter se, non propter censuram tunc peccatum reservatur; quocirca licet censura non incuratur propter ignorantiam, peccatum tamen, cui adjungitur, reservationi subjacet.<sup>1)</sup> Ceterum si quid dubii occurrat, Ordinarius consulatur. Apud nos casibus ab Ordinario per legem dioecesanam reservatis nulla adjuncta est censura.

## §. 144.

## Casus papales et episcopales.

1. — Casus Papae reservati sunt partim *ratione sui* tantum i. e. absque censura, partim *ratione censurae*.

1. Casus Romano Pontifici absque censura reservati sunt tantum duo: *primus*, si mulier calumniose accusat vel denuntiat per se vel per alium de sollicitatione sacerdotem innocentem apud judices ecclesiasticos, ex Bulla Benedicti XIV., quae incipit *Sacramentum Poenit.*, 1. Junii 1741; — *secundus* est de eo, qui recipit munera a regularibus utriusque sexus in materia gravi,<sup>2)</sup> quousque monasterio non fiat restitutio, ex Const. Clementis VIII. *Religiosae Congregationes* 19. Junii 1594 (quae tamen Constit. non ubique est recepta), nisi munera dentur ex gratitudine, ex pietate erga consanguineos pauperes, ob praestita servitia, discrete et modeste, cum licentia superiorum localium, ut Urbanus VIII. in Bulla *Nuper* 16. Oct. 1640 declaravit.<sup>3)</sup>

2. Casus Romano Pontifici reservati cum censura continentur in Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis* 12. Oct. 1869, et dispescuntur in duas classes: a) alii sunt speciali modo ipsi reservati, ita ut nec episcopus neque alius quicumque sit, quamvis „generalem concessionem absolvendi a casibus Romano Pontifici reservatis“

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 580 et 581. scutorum (= 53 cor. vel fr. aut Vind. Alph. Tom. II. P. V. q. 12. 45 mc) excedant.  
Edit. 2.

<sup>2)</sup> Plura desuper habet s. Alph. H. A. Tr. 13 n. 8 et 9.

<sup>3)</sup> Si nempe munera valorem 10

habeant, ab illis absolvere possit (excepto tamen mortis articulo), et „absolvere praesumentes sine debita facultate, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodantur“. Ejusmodi casus sunt duodecim. b) Alii Papae simpliciter sunt reservati, a quibus absolvere potest, qui vi juris communis generalem habet facultatem absolvendi a casibus papalibus; et sunt numero duodeviginti. Vid. Constitutionem *Apostolicae Sedis*, in fine hujus Libri.

2. — Casus *episcopis* reservati sunt duplicis classis: 1. alii reservati ex jure communi, ratione censurae, qui continentur in praelaudata Const. *Apostolicae Sedis*, et tres sunt, quibus nuper ex decreto *Vigilanti* accessit quartus (§. 23 n. 4); — 2. alii ab ipsis episcopis reservati per statuta dioecesana, qui varii sunt in dioecesibus diversis.

### §. 145.

#### De absolute a reservatis.

##### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Potestatem absolvendi a peccatis reservatis habet ipse reservans, ejus successor, ejusdemque superior, nec non alius quivis ab illis delegatus.*

In specie: 1. Romanus Pontifex potest quosvis fideles ab omnibus casibus a quocunque Ecclesiae praelato reservatis, valide in utroque foro absolvere. Ratio per se patet.

2. Episcopi absolvere possunt a) a casibus sibi ipsis reservatis, b) ab omnibus casibus papalibus occultis, qui non sunt speciali modo reservati.<sup>1)</sup> Praeter hanc communem potestatem absolvendi a reservatis passim speciales et ampliores habent facultates a S. Poenitentiarum et a S. Congr. de Prop. Fide concedi solitas ad tempus determinatum.

3. Nullus sacerdos absolvere potest a reservatis, nisi sit delegatus; excepto mortis periculo et casu urgentis necessitatis, quando superior adiri nequit; de quo duplici casu mox n. 2 et 3. Et ex Const. Clementis X. *Superna* 21. Junii 1670 notandum, quod

<sup>1)</sup> Nam P i u s IX. in Const. *Apostolicae Sedis* firmam esse vult facultatem absolvendi in casibus occultis, Apostolicae Sedi reservatis, in foro conscientiae a Tridentina Synodo

Sess. 24. cap. 6 de Ref. *Liceat* concessam, iis tantum exceptis, quos Apostolicae Sedi speciali modo reservatos declaravit.

*habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis Sedi Apostolicae, non ideo a casibus episcopo reservatis possunt absolvere.*

2. — **Principium II.** *In articulo vel periculo mortis nulla est reservatio, ne hac occasione aliquis pereat, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7; quocirca quilibet sacerdos ab omnibus peccatis et censuris reservatis valide absolvit.*<sup>1)</sup>

Attamen qui in periculo mortis absolutus est a censura Papae speciali modo vel Episcopo reservata, si convaluerit, tenetur se sistere superiori, cui reservata est censura, non quidem, ut iterum absolvatur, sed ut ejus mandatum humiliter suscipiat; et ad hoc tenetur sub poena iterum incidendi in censuram ex cap. *Eos qui*, 22 de *sententia excommunic.* in 6.<sup>2)</sup> Qui in mortis periculo absolutus est a peccato reservato sine censura, nunquam ab Ecclesia obligatur postea se sistere superiori,<sup>3)</sup> item qui in dicto periculo a censura Papae simpliciter reservata absolutus est. S. C. Inq. 17. Jun. 1891.

3. — **Principium III.** *Etiam extra mortis periculum simplex confessarius quandoque a casibus reservatis absolvere potest, sed diversimode, prout casus sunt papales aut episcopales.*

#### A. Casus reservati papales.

Quoad absolutionem a casibus papalibus servanda est norma specialis per Decretum S. Officii 23. Jun. 1886 data et a Leone XIII. approbata et confirmata.

a. Numquam extra mortis articulum absolutio datur sine onere recurrendi ad Card. majorem Poenitentiarium, saltem per literas,<sup>4)</sup> pro omnibus casibus Papae reservatis, *nisi Episcopus habeat speciale Indultum*, ad obtinendam absolvendi facultatem.

b. Sed *in casibus vere urgentioribus*, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo scandali vel infamiae, vera adeoque *directa*<sup>5)</sup> absolutio per quemlibet confessarium dari potest,

<sup>1)</sup> An etiam *praesente episcopo* confessarius quivis moribundum possit absolvere a peccatis et censuris reservatis, quaeri solet. Talis casus erit rarissimus. Legi desuper possunt, quae sapienter distinguendo exponit s. Alphonsus: Lib. VI. n. 563 Dub. 1, et Lib. VII. n. 92.

<sup>2)</sup> Id quod ex ipsa Constitutione Pii IX. *Apostolicae Sedis* certo constat,

et ex Decreto s. Congr. Inquis. die 13. Jan. 1892 dato ac per Leonem XIII. die insequente confirmato.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Lib. VII. n. 91.

<sup>4)</sup> Inscriptio: Eminentissimo ac Reverendissimo D. D. Cardinali Poenitentiaro Majori. Palazzo della Cancelleria Apostolica. Roma.

<sup>5)</sup> S. Officium 19. Aug. 1891 et 30. Mart. 1892.

injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem, ejus mandata suscepturus.

Imo ex Decreto ejusdem Congr. 16. Junii 1897, approbato a S. Pontifice, etiam in casu quo nec infamia nec scandalum est in dilatione absolutionis, sed durum valde est pro poenitente, in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario licet a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere, injunctis de jure injungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

Quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiarium mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu<sup>1)</sup> licet confessario absolvere poenitentem etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam. Decr. S. Off. 9. Nov. 1898.<sup>2)</sup> Sed hoc decreto non comprehenditur casus, quo sacerdos se conferret in regionem extraneam ad confitendum peccatum S. Pontifici reservatum et ibi declararet, nec opera ministerii sui nec substantiam sibi permittere, iterum aggredi iter ad recipiendam responsionem S. Poenitentiarum, atque nimis onerosum sibi fore ad alium confessarium se conferre in propria regione, quod signanter voluit devitare iter assumens. Ita Decr. S. Off. confirm. a S. Pontifice 7. Junii 1899.<sup>3)</sup>

Decretum denique, quo norma a S. Off. quoad casus papales proposita completur, agit de recursu per epistolam. Ad dubia:

<sup>1)</sup> Verificari potest casus e. g. occasione missionis vel exercitiorum spiritualium, quae a sacerdotibus extraneis praebentur, qui abire debent quin exspectare possint responsionem S. Poenit., nec poenitens sciat scribere, vel impediatur ne scribere possit.

<sup>2)</sup> Ut onus mittendi epistolam cesset, scribendi impedimentum non debet adstringere confessarium simul et poenitentem, sed sufficit quod poenitens scribendi impar, eidem confessario, a quo vi decreti 1886 et 1897

absolutus fuerit, se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire, licet confessarius absolvens pro poenitente epistolam ad S. Sedem mittere posset. Resp. S. Off. 5. Sept. 1900, adprob. a Leo XIII. (Nunt. Rom. 1900 p. 229.)

<sup>3)</sup> Causa est, quia sacerdos ipse tacito si vult nomine ad S. Poenitentiarium infra mensem scribere et mandatis illius stare potest: id quod confessario absolventi promittere tenetur. S. Poenit. 7. Nov. 1888.

1) Utrum in casu absolutionis vi decreti S. Off. 1886 ex causa urgentiori concessae sufficiat recursus ad Episcopum facultate absolvendi a reservatis papalibus instructum? 2) Utrum sufficiat etiam in casu eodem recursus ad Vicarium generalem Episcopi, tamquam ad Ordinarium facultatum episcopalium absolvendi de jure participem? 3) Utrum generatim sufficiat recursus ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis, a quibus poenitens fuerit accidentaliter, ut supra, vi decreti S. Officii 1886 absolutus? — respondit S. Off. die 19. Dec. 1900: Ad 1 et 2: *Affirmative*, facto verbo cum Sanctissimo. Ad 3: *Negative*.<sup>1)</sup>

Nota. In nostris regionibus Episcopi gaudent specialibus Indultis quoad casus papales, ideo Confessarius in hujusmodi casibus semper ad Episcopum suum potest recurrere. Cautè tamen agat, ut sigillum confessionis illaesum maneat.

### B. Casus reservati episcopales.

Ab his casibus simplex confessarius quandoque etiam extra mortis periculum absolvere potest, sed indirecte et tunc tantum, quando obstat (impedimentum adeundi superiorem et) gravis urget causa absolvendi. Est doctrina communis. 1. *Absolvere potest* in hujusmodi circumstantiis, quia secus reservatio non esset in aedificationem, sed in destructionem. 2. *Tunc exstat impedimentum petendi facultatem a superiore*, si adiri nequeat sine scandalo aut nota infamiae vel sine magna difficultate, vel ob defectum temporis. Porro 3. *gravis causa absolvendi obtinet*, si urget necessitas celebrandi Missam, suscipiendi Eucharistiam vel Matrimonium, implendi praeceptum annuae confessionis, aut si timendum, ne poenitens diu maneat in peccato mortali etc. Tunc 4. indirecte tantum absolvere potest a reservatis, quia *extra mortis periculum sacerdotes nihil possunt in reservatis* (Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7), nec censetur Ecclesia jurisdictionem in peccata reservata supplere, cum pro necessitate praesenti sufficiat indirecta peccati reservati absolutio. Tenetur poenitens alia peccata confiteri non reservata, vel peccatum aliquod jam alias confessum, ne desit Sacramenti materia; et tunc a non reservatis directe, indirecte a reservatis absolvitur. Injungi praeterea ipsi debet obligatio, data opportunitate reservata confitendi confessario habenti facultatem (vel potius

<sup>1)</sup> Anal. eccl. Vol. 9 p. 54.

eidem confessario, postquam facultatem ab episcopo obtinuerit), ut etiam *directe* ab his absolvatur.<sup>1)</sup>

4. — Praeterea circa confessionem et absolutionem peccati reservati sequentia veniunt subdenda:

1. Non potest sacerdos facultate absolvendi a reservatis gaudens absolvere poenitentem a peccatis reservatis, et eum remittere ad alium confessarium pro absolutione a ceteris; quia non licet dimidiare confessionem §. 119 n. 4.

2. Qui bona fide confitetur peccatum reservatum confessario simplici, qui ad istud non advertens absolvit, valide absolvitur, *directe* quidem a peccatis non reservatis, *indirecte* a reservato; sed si rei conscius fit, reservatum postea confessario facultatem habenti confiteri tenetur, ut ab eo *directe* absolvatur.<sup>2)</sup>

3. Confessus simplici confessario peccatum *dubie reservatum*, a reservatione penitus liberatur, quamvis illud postea ut certum cognoscat: quia *directe* remisso peccato ablata etiam est reservatio. Tenetur tamen peccatum tamquam certum cognitum postmodum confiteri ad supplendam confessionis integritatem,<sup>3)</sup> juxta dicta §. 121 n. 2 q. 3.

4. Si poenitens confitetur sacerdoti habenti facultatem pro reservatis, et *inculpate oblitus est peccati reservati*, tunc saltem *probabiliter* tollitur reservatio, quia recte praesumitur, superiorem voluisse poenitentem ab omni vinculo, quo potest, liberare;<sup>4)</sup> sed poenitens, si postea peccati hujus recordetur, id tenetur cuicumque sacerdoti confiteri coll. §. 122 n. 2.

5. An reservatio tollitur per *confessionem invalidam*, ita ut poenitens postea a quolibet confessario possit absolvi? Tollitur, si confessio fuerit *inculpabiliter* nulla (ex defectu doloris bona fide non elicit), imo etiam *probabiliter*, si confessio fuerit *culpabiliter* nulla seu sacrilega; quia jam obtinetur finis reservationis, qui est, ut peccata deferantur superiori vel ejus delegato ad poenitentiam et monitionem suscipiendam. — Excipe *a)* si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, quia minime praesumi potest, quod superior velit reservationem auferre; et *b)* juxta s. Alphonsum, si confessio fuerit *invalida* in Jubilaeo, quia Pontifex non dat facultatem absolvendi a reservatis, nisi ut fideles Jubilaeum lucren-

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 585. Lib. VII. n. 91 et 92 in fine.

<sup>2)</sup> Idem n. 600.

<sup>4)</sup> Idem n. 597. Gousset: Tom. II.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 596.

n. 499.

tur, ac proinde non censetur velle reservationem auferre in iis, qui ob invalidam confessionem nequeunt Jubilaeum lucrari.<sup>1)</sup>

5. — **Observatio practica.** 1. Opiniones vere *probabiles*, in hoc vel illo casu valide absolvi a reservatis, tuto in praxim deduci possunt; quia, ut dictum est §. 137 n. 3, exstante opinione probabili de jurisdictione, Ecclesia hanc supplet.<sup>2)</sup>

2. Confessarius poenitentem, qui peccatum reservatum accusavit, de ejusdem peccati gravitate, quae vel ex ipsa reservationis lege constat, convenienter moneat, et si ipse facultate absolvendi non pollet, poenitenti declaret, adeundum esse alium sacerdotem facultate necessaria munitum, vel potius *suam offerat operam* (quod semper consultius erit ob timorem, ne poenitens alium adire negligat et sic in statu peccati permaneat), quatenus ipse petiturus sit facultatem absolvendi tacito nomine, et poenitentem adhortetur, ut congruis poenitentiae operibus ad consequendam absolutionem se praeparet, et deinceps eum tempore determinato reducem juxta mandatum superioris absolvat.

### C a s u s.

6. — *Peregrinus ultimo die temporis paschalis confitetur in aliena dioecesi peccatum Sodomiae, quod reservatum est in hac, ubi confitetur, non in sua dioecesi. En casus, qualis facile potest etiamque solet evenire. Quid ergo, confessarie, facies?*

Resp. Quum reservatio directe afficiat confessarium, cujus jurisdictionem restringit (v. §. 143 n. 2), ideo Peregrinum a peccato in tua dioecesi reservato absolvere non potes; — saltem *directe*, quod ideo subjungo, quia Peregrinus confitetur ultimo die temporis paschalis et implere debet Ecclesiae praeceptum; haec quippe circumstantia efficit causam gravem absolvendi, atque ideo, si non amplius suppetat tempus, ut petere possis ab episcopo facultatem absolvendi, a peccato reservato poenitentem *indirecte* absolvere poteris, injuncto onere, ut postmodum confessario alicui suae dioeceseos non quidem totam confessionem repetat, cum a peccatis ceteris non reservatis jam directe sit a te absolutus, sed idem peccatum, a quo tantum indirecte est absolutus, denuo confiteatur ad directam ejusdem absolutionem obtinendam. — Ceterum episcopi concedunt quandoque pro casibus indirectae absolutionis ex causis urgentibus facultatem directe absolvendi a reservatis; hinc observanda veniunt jura dioecesana.

7. — *Titius coepit confiteri et confessus est aliquod peccatum tunc temporis non reservatum; sed quia oportuit confessionem per aliquot dies interrumpi et*

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 598, Quaer. 3 et 4; n. 537, Quaer. 2. Marc: Tom. II. n. 1739, et alii.

<sup>2)</sup> Cf. s. Alph. Lib. VI. n. 596 in fine. Aeg. Maurus, ep. Reatinus: „Quid si a reservatis solverit is,

cujus dubia fuit jurisdictio? Si dubium erat juris, et sententia, quae pro jurisdictione tenet, sit *vere probabilis*, valet absolutio, quia Ecclesia supplet jurisdictionem in dubiis hujusmodi.“ In Const. *Apost. Sedis*, n. 169. Reate 1874.

*postea continuari, interim peccatum istud reservatum est. Quaeritur: An Confessarius simplex possit ab hoc peccato absolvere?*

Resp. *Affirm.*, quia jurisdictio semel habita prorogatur in iudice delegato incepta semel causa in ejus foro. Similis casus: si sacerdos non approbatus in articulo mortis ob defectum confessarii approbati excipit confessionem moribundi, et incepta confessione advenit confessarius approbatus, potest adhuc ille sacerdos proseguere, quia causa incepta est.<sup>1)</sup> Vide supra §. 136 n. 3 *An vero.*

### §. 146.

#### De absolute complicitate.

1. — Ne sacrum Poenitentiae tribunal contemptui exponatur, et Sacramentum, quod ad expianda peccata divina clementia institutum est, sacrilego abusu convertatur ad turpia peccata fovenda: ab Apostolica Sede omni sacerdoti tam saeculari quam regulari severissime interdictum est, *ne confessionem sacramentalem personae complicitatis excipere eamque absolvere audeat, excepto articulo mortis; sublata propterea ipsi omni jurisdictione ad hujusmodi personam absolvendam.*

Et qui nihilominus secus facere praesumpserit, incurrit excommunicationem latae sententiae Pontifici reservatam vi Const. Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae* 1. Junii 1741, et Const. Apostolici muneris 8. Feb. 1745. Haec porro excommunicatio ex Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis* 12. Oct. 1869 est speciali modo Pontifici reservata sub n. 10; imo ex Decreto S. Inquis. die 27. Junii 1866 hic casus reservatus semper excipitur in facultatibus, quibus episcopi ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis.<sup>2)</sup>

2. — **Explanatio.** 1. Nomine peccati turpis venit omne peccatum grave, externum et mutuum inter sacerdotem et aliam personam, contra sextum Decalogi praeceptum, etiamsi non sit copula consummatum, prouti tactus impudici, aut aspectus aut sermones obsceni, si ad mortale pertingant (S. C. Inq. 28. Maji 1873). Igitur non comprehenduntur a) mortalia mere interna vel non plene exterius significata; b) peccata venialia inhonestatis, sive talia sint ex parvitate materiae sive ex defectu advertentiae et consensus, nec dubie mortalia; c) neque peccatum, quod ab una

<sup>1)</sup> Lugo: Responsa moralia Lib. I. Dub. 25.

<sup>2)</sup> Episcopis petentibus facultatem

absolvendi „sacerdotem complicitate“ haec facultas peculiari indulto pro paucis tantum casibus concedi solet. Ita cl. Noldin: De Sacram. n. 380.



tantum parte committitur in alteram, quae resistit, aut non consentit ut amens, dormiens, ebria; quia tunc non est mutuum.

2. Vocabulo *complicitis* intelligitur persona non tantum muliebris sed etiam virilis sexus, quia in Bulla generatim dicitur: *Qui confessionem sacramentalem personae complicitis in peccato turpi — excipere audeat. Non requiritur, ut peccatum turpe post susceptionem Ordinum sacrorum commissum fuerit.*<sup>1)</sup>

3. *In articulo mortis* sacerdos complicem valide et licite absolvit, si alius sacerdos etsi non approbatus omnino desit, vel sine probabili infamiae periculo et scandalo advocari aut accedere nequeat. Tenetur tamen sacerdos infamiae et scandali periculum avertere, si possit e. g. sub aliquo praetextu discedendo. Quodsi sacerdos complex alium sacerdotem advocare ex industria neglexerit, vel alio praesente, licet non approbato, absolvere praesumpserit, valide quidem, (ne hac ipsa occasione quis pereat) sed illicite absolvet, poenasque non effugiet.

4. Non incurrit excommunicationem sacerdos, qui complicitis confessionem *audit* quidem, sed eum non absolvit; quia in Const. Benedicti XIV. haec poena imposita est *sacerdoti complici, qui confessionem excipit poenitentis eumque absolvit*. Sed non effugiunt excommunicationem *simulantes* absolutionem complicitis, recitando v. g. orationem quandam vel proferendo verba sacramentalia absque intentione absolvendi, S. Poenit. 1. Martii 1878; item absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, quem directe vel *indirecte* induxissent ad peccatum complicitatis reticendum. Censetur autem confessarius *directe* inducere, qui poenitentem explicite praemonet de eodem peccato tacendo, quia e. g. illud jam novit et declaratio illius esset inutilis; *indirecte*, qui conatur suadere poenitenti, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet. Decr. S. Poenit. 19. Feb. 1896.<sup>2)</sup> Denique excommunicationem incurrere absol-

<sup>1)</sup> Ad quaesitum: „An confessarius absolvere possit poenitentem, cum quo ante sacerdotium in puerili aetate turpiter egit?“ s. Poenitentiaria respondit: „Confessarium non posse absolvere complicem, nisi moraliter

certus sit, ipsum jam ab alio confessario directe et valide a peccato complicitatis absolutum fuisse.“ Die 22. Jan. 1879.

<sup>2)</sup> Acta S. Sedis Vol. 28 p. 444.

ventes complicem in re turpi cum ignorantia crassa et supina, declaravit approbante S. Pontifice S. C. Inq. 13. Jan. 1892.

Potest autem sacerdos poenitentem, qui fuit complex, postea ab aliis peccatis absolvere, nempe absolute a peccato turpi per alium confessionem impertita; sed valde indecens est, hujusmodi personam absque gravi causa non ad alium confessarium mittere.

### §. 147.

#### De sollicitatione ad turpia.

1. — Tenore Bullae Gregorii XV. *Universi gregis* die 20. Aug. 1622 editae et a Benedicto XIV. per Const. *Sacramentum Poenitentiae* die 1. Junii 1741 confirmatae 1. denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, *sollicitantes* personas, quaecunque illae sint, ad peccandum contra sextum Decalogi praeceptum in confessione, vel immediate ante sive post confessionem, aut occasione, praetextu vel simulatione confessionis, aut in loco confessionis. 2. Poenitentes sollicitati absolvi nequeunt, nisi prius obligationi denuntiandi sollicitantes satisfecerint vel saltem quamprimum se satisfacturos promittant. 3. Contra sollicitantes per Decretum Benedicti XIV. 5. Aug. 1745 statuta est perpetua inhabilitas ad Missae celebrationem; aliae poenae ad arbitrium Ordinarii sunt subtractio facultatis confessiones excipiendi in perpetuum, porro privatio beneficiorum, dignitatum et officiorum, et perpetua ad illa inhabilitas; regulares insuper privantur voce activa et passiva. Sed omnes poenae sunt ferendae sententiae.

Explicationis ergo expendemus: 1. quinam sollicitantes, 2. a quibus, et 3. quomodo sint denuntiandi.

2. — **Punctum I.** *Quinam sollicitans sit denuntiandus.*

1. Sacerdos sollicitans ad peccandum contra sextum Decalogi praeceptum, non contra aliud; porro abutens ad sollicitandum Sacramento *Poenitentiae*, non alio Sacramento. S. C. Inq. 11. Feb. 1661 n. 11 et 10. Denuntiari debet etiam sacerdos *jurisdictione carens*, ex eod. Decr. n. 5 et Instr. S. Off. 20. Feb. 1867 n. 2.

2. Nihil refert, num personae sollicitatae sint feminae, an mares; quia Bullae praefatae generaliter loquuntur de sollicitantibus personas, quaecunque illae sint.

3. Porro perinde est, sive *verbis*, sive *signis*, sive *nutibus*, sive tactu, sive per *scripturam* aut tunc aut post legendam confessarius

tentaverit poenitentem, aut *cum eo inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu* habuerit. Benedict. XIV. in Bulla *Sacramentum*. Sub illis modis certo comprehenduntur etiam res, quae statim apparent indifferentes, postea vero cognoscuntur appositae ad sollicitandum, ut e. g. si sacerdos dicat feminae, ut veniat ad se, eamque deinceps ad peccatum inducat, vel in confessione mulierem interroget, ubi habitet, et postea eam domi ad turpia provocat.

4. Denuntiari etiam debet sacerdos *poenitentis sollicitationi consentiens, quamvis statim desistens de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differendo, et non praebendo absolutionem poenitenti*. Decr. S. Inq. 11. Feb. 1661 n. 2; Inst. S. Inq. 20. Feb. 1867.

An vero denuntiandus sacerdos, qui mulieri sollicitanti *simpliciter consentit*, tacendo, annuendo? Absolute affirmant recentissimi Theologi provocantes ad Bullam Benedicti XIV. et Decreta n. 3 et 4 modo relata. Sed *probabilius* s. Alphonsus contrarium censet, nec ejus sententia per illa Sedis Apostolicae mandata probabilitate destitui videtur. Valde urgentes sunt ejus rationes: 1. quia sacerdos tunc non est sollicitans, sed sollicitatus, et 2. quia si mulier denuntiare deberet, valde periclitaretur ejus fama, atque lex nimis ardua redderetur contra Ecclesiae benignitatem. Non obstare videtur a) Bulla Benedicti XIV. sub n. 3 citata; etenim sacerdos tunc non tam active, quam passive se habet; non porrigit, ut verbis Benedicti XIV: utar, *pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum*, sed ipsi porrigitur. Neque obstare videntur b) Decreta sub n. 4 adducta, quia sacerdos, qui consentit, statimque desistens de turpi materia loqui, *illius complementum ad aliud tempus differt*, non simpliciter consentit, sed eo ipso quod complementum rei turpis ad aliud tempus differt, mulierem provocat ad turpia patranda, sicque ipse quoque est verus sollicitator; similiter ac ille est sollicitans, qui nihil dicens inhonesti in confessionali feminam vocat in cubiculum, ut rem turpem cum ipsa habeat.<sup>1)</sup>

5. Denuntiari debet sacerdos sollicitans non tantum in actu sacramentalis confessionis, sed etiam sollicitans *ante vel post con-*

<sup>1)</sup> Vid. *Vindiciae Alphonsianae* Vol. II. Quaest. 20. Ed. 2. *Casus conscient. de mandato Prosp. Lambertini* (Benedicti XIV.) *propositi ac re-*

*soluti*. Tom. IV. pag. 286—287. Monasterii 1856. *Theologia Mechlin.* Tract. de casibus reservatis pag. 104—105.

fessionem, *occasione vel praetextu* confessionis etc., e. g. qui mulierem, antequam inceperit confessionem, sollicitat; qui cognita in confessione mulieris fragilitate, postea (etsi non statim post confessionem) eam ad inhonesta provocat; qui rogatus a muliere, ut ejus confessionem audiat, eam sollicitat a confessione dissuadens, si id fiat in confessionali seu in loco ad confessionem destinato vel electo; secus si talis sollicitatio eveniat extra locum confessionis et absque confessionis praetextu.<sup>1)</sup>

6. Urget obligatio denuntiationis, etsi reus sit emendatus, vel a multo tempore sollicitatio contigerit. S. C. Inq. 11. Maji 1707. Sola morte sacerdotis sollicitantis cessat.

3. — **Punctum II.** *Quinam teneatur ad denuntiationem.*

1. Persona sollicitata ipsa tenetur, praeterea omnis qui a gravibus et fide dignis sollicitationem certo resciverit, nisi sub secreto consilio illa sit communicata. Nec ii excusantur, si sollicitationem juridice probare nequeant.<sup>2)</sup>

2. Poenitens debet confessarium deferre superioribus, quamvis sollicitationi consenserit, ex Const. Bened. XIV. *Sacramentum* §. 2; ast non tenetur consensum a se praestitum manifestare S. C. Inq. 23. Julii 1624, imo cavendum, ne ab Ordinario seu Inquisitore poenitens interrogetur, num sollicitationi consenserit, Instr. S. C. Inq. 20. Feb. 1867 §. 6.

3. Mulieres sollicitatae non tenentur ad denuntiationem, si episcopi vel eorum Vicarii vel Inquisitores in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant. Verum cessante impedimento v. g. in episcopi visitatione, obligatio denuntiationis urgenda est. Sic declaravit S. C. Inq. 22. Jan. 1727.

4. Poenitentes hac de obligatione, quae ipsis incumbit, monendi sunt, nec renuentes absolvi possunt, nisi ob justam causam denuntiationem differre debeant, eamque quo citius poterunt faciendam serio promittant. Inst. S. C. Inq. cit. §§. 3 et 5.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem a cognita obligatione confessarios seu sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia, incurrunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, ex Const. Pii IX. *Apost. Sedis*; a qua proinde censura, tali negligentia vel culpa sublata, confessarius quilibet absolvere potest.

<sup>1)</sup> Plura s. Alphons.: Lib. VI. n. 676—680.

<sup>2)</sup> Idem n. 695 et 698.

4. — **Punctum III.** *Quomodo facienda sit denuntiatio.*

1. Ab ipsa persona sollicitata facienda est Inquisitori vel Ordinario loci, in quo est poenitens, etiamsi confessarius ad aliam dioecesim pertineat; Ordinarius loci denuntiationem ad episcopum sacerdotis, qui sollicitavit, transmittere debet.

2. Fieri debet voce, vel si ita fieri nequeat, per epistolam proprio etiam nomine et cognomine cum loco habitationis subscripto. Poterit confessarius operam suam praestare, si censuerit id expedire, literas poenitentis sigillo munitas ad Ordinarium deferendo vel mittendo.

3. Si mulier nullo modo induci possit ad denuntiationem tali forma peragendam, confessarius consulat Ordinarium, qui delegare poterit aliquem ad denuntiationem accipiendam. Delegatus autem juramentum praestare debet de silentio servando et de munere sibi commissio fideliter adimplendo. Inst. S. C. Inq. 20. Feb. 1867 §§. 7 et 8.

\* Forma judicialia, qua procedendum est contra confessarios sollicitantes, praescribitur in ead. Instructione S. C. Inq. 20. Feb. 1867. Vid. *Acta S. Sedis* Vol. III. Appendix IX pag. 499 et seq.

5. — Notandum, quod confessarius aut superior audiens a muliere se sollicitatam fuisse, id non facile credat; sed prudenter perpendat rerum et personarum adjuncta. In dubio autem, an sollicitatio vera fuerit, nulla est obligatio denuntiationis, uti e. g. si obscura vel ambigua fuerint verba sacerdotis, et prava ejus intentio non manifesta.

## DISTINCTIO II.

## De administratione Sacramenti Poenitentiae.

Duo considerabimus: 1. quibus praecipuis dotibus confessarius pollere, et 2. quibus officiis fungi debeat.

**Articulus I.**

## Praecipuae confessarii dotes.

## §. 148.

**Scientia et prudentia.**

1. — Verissime s. Petrus Damiani monet: „*Audite breviter, quem oporteat ordinari ad dispensationem ministerii hujus*

(nempe Sacramenti Poenitentiae): *oportet enim non minus literatum, quam religiosum, ut zelum Dei habeat, et secundum scientiam; quum indiscreta religio magis obesse soleat, quam prodesse.*<sup>1)</sup> Ut confessarius qua *Doctor* poenitentes recte instruere et in via salutis ac perfectionis dirigere valeat, tamquam peritus *Medicus* animarum morbis apta remedia applicare sciat, tamquam *Judex* discretus iudicium ferat, sub gravi ad scientiam et prudentiam necessariam sibi comparandam tenetur: „*Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.*“ Matth. 15, 14.

2. — Quam scientiam et prudentiam confessarius sibi comparare studeat 1. humilibus et assiduis ad Deum precibus, praesertim in casibus dubiis. Jac. 1, 5. Imprimis discretio spirituum huic ministerio adeo necessaria singulare donum Spiritus sancti est. Merito s. Alphonsus observat: *Confessarius, qui orationi non incumbit, difficulter recte incedet.*<sup>2)</sup> Porro 2. studio Theologiae moralis et Asceticae, quod sacerdos numquam intermittat, quia multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente facile decidunt.<sup>3)</sup> Denique 3. prudenti peritorum consilio prudentiam cum scientia confessarius sibi acquirat. Nam „*qui sapiens est, audit consilia.*“ Prov. 12, 15. *In his, quae ad prudentiam pertinent, ait s. Thomas,*<sup>4)</sup> *maxime indiget homo ab aliquo erudiri.* Juxta monitum s. Alphonsi<sup>5)</sup> praesertim in dubiis magis implicatis aut majoris consequentiae non omittat consulere alios viros doctos et amplioris experientiae; maxime ita se gerat in directione alicujus animae, quae a Deo gratiis extraordinariis sit donata, quando ipse in hac materia est parum expertus. — Multum ideo juvant *conferentiae* seu *collationes morales* sive *pastorales*; ut si quid difficile circa casus conscientiae frequentiores occurrat, sacerdotes mutuo studio id expendere et dissolvere adlaborent.

Ceterum non parem in omnibus confessariis scientiam requiri, facile patet. Ad minimum autem quivis in doctrina morum ita versatus esse debet, ut ea, quae frequentius eveniunt, recte decernat et de aliis saltem dubitare norit; dubius enim de re quapiam difficiliori libros vel viros peritos consulere poterit ad errores in iudicio sacramentali vitandos. Qui sufficienti studio non adhibito

<sup>1)</sup> Serm. 58. (Edit. Cajetani Bassani 1783. Tom. II. pag. 311.)

<sup>2)</sup> Praxis Confess. cap. 10 n. 194.

<sup>3)</sup> S. Alph.: H. A. Tr. 16 n. 100.

<sup>4)</sup> 2. 2. q. 49 a. 8.

<sup>5)</sup> Praxis confess. cap. 10 n. 194.

soli iudicio suo confidit, nec errores vitabit neque de erroribus commissis dubitabit.

3. — Confessarius continuo prae oculis habeat Sacramenti Poenitentiae finem, qui est *bonum poenitentis*, et hoc spectato in dubiis, an sit facienda vel omittenda monitio, an conferenda vel differenda absolutio, id eligat faciendum, quod expedit bono poenitentis.

### §. 149.

#### Fortitudo et suavitas.

1. — Deus *fortiter et suaviter* universa disponit et gubernat, Sap. 8, 1. Non meliorem certe, quam hanc divinae providentiae formam sequi possunt, quicumque sunt superiores, rectores, confessarii. Sit igitur illis regiminis principium: *Fortiter et suaviter*; nimirum fortiter *in re*, suaviter *in modo*. Documentum hoc s. Ignatius suis exhibuit, omnibus autem maxime commendabile est. Fortitudinis et suavitatis conjunctio ac veluti commixtio valde necessaria est ad salutare et efficax regimen animarum, sed etiam valde difficilis est, *ars artium* est, quae non nisi multa sui abnegatione, continua vigilantia, aliorum exemplis, frequentibus precibus obtineri potest.

2. — *Fortitudo in re ipsa* observanda consistit in eo, quod confessarius sine acceptatione personarum, nec affectione neque aversione erga poenitentes ductus, quod animarum salus juxta Dei voluntatem requirit, constanter urget. Hanc servare debet confessarius in omni suo munere triplici: *a)* quatenus *doctor* est, in instruendo et monendo poenitente, si opus sit, ne dicenda taceat ex timiditate et humano respectu; praesertim in urgenda obligatione restituendi, tollendi causas, quae in proxima peccandi occasione poenitentem constituunt, quamvis illae peccatori tam carae sint quam homini oculus, manus et pes, secundum Christi monitum; — fortis sit *b)* quatenus *judex* est, in examinando conscientiae statu, in disponendo peccatorem per actus doloris et propositi, in absolutione differenda, imo et deneganda, ubi necesse fuerit; — fortitudinem servet *c)* quatenus *medicus* est, in apparandis remediis poenitenti salutiferis, quamvis amaris. Verum absit, ut confessarius fortitudinem reponat in sectando opinionum futillium rigorismo, qui a Christi et Ecclesiae spiritu alienissimus est.

Tantum in benignitate doctrinae procedat, quantum fas est secundum probatissimorum doctorum sententias; facilius hoc modo lucrabitur Deo animas confitentium.

*Suavitas in modo*, quo res poscitur, servanda est effectus caritatis, quæ fit omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaciat. Est instar chamaeleonis, poenitentis aetati, indoli, statui sese mire accomodans. Suavitatem caritatis confessarius jam ostendat in benigne suscipiendo omnes, pauperes, rudes, graves peccatores; imo quo magis animas peccatis foedatas reperiatur, eo majore caritate eas amplectatur. Suavem et benignum se exhibeat in omni, quo fungitur, munere: in instruendo, monendo, interrogando, disponendo poenitentem, in suggerendo remedia salutis, ita ut nihil durum, morosum, asperum, nihil iracundum aut perturbatum appareat; et etiam dum gravioribus vel acrioribus verbis uti debeat, ita loquatur, ut percipiat poenitens, eum non ab ira et impatientia, sed a tenerae caritatis sollicitudine et commiseratione moveri.<sup>1)</sup> Ne imperet et præcipiat, dum instruere et cohortari sufficit; imo saepe expedit, supplicando poenitentem monere.<sup>2)</sup> *Generatim nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati aut Sacramento reconciliationis infensus discedat*, ut monet Leo XII. in Encycl. Jubil. 25. Dec. 1825. Praesertim cum peccatori absolutionem differre debeat, blandissime eum tractet, diemque, qua regredi debeat, benevolis verbis assignet dicens: *Eja, illa die te exspecto, ne praetermittas ad me redire; quam maxime mea interest animae tuae salvandae etc.*<sup>3)</sup> Magni pretii est fortitudo confessarii, majoris adhuc dulcedo caritatis. Laudent alii ejus fortitudinem, plus ego laudarem ejus suavitatem caritatis. Praeclare Conc. Trid. Sess. 13. cap. 1 de Ref.: „*Saepe plus erga corrigendos agit benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus caritas, quam potestas.*“

<sup>1)</sup> *Conc. Plenar. Baltimor. II. a. 1866 Tit. V cap. 5 n. 281*: „Si quando (quod rarissime expedit, nec nisi in agrestibus et hebetioris ingenii hominibus) severa et acri reprehensione ac durioribus verbis utendum confessario videbitur, id facere licebit; ita tamen, ut non severitas in acerbitate delabatur. Neque id faciat nisi absoluta jam confessione, secus

enim rubore aut metu ab integra peccatorum narratione hujusmodi homines deterreri possent.“

<sup>2)</sup> S. Chrysostomus: Hom. 8 in ep. ad Ephes. observat, quod Apostolus Paulus *potissime per supplicandi modum loquitur*.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph.: Praxis Confess. cap. 1 n. 3–5.



**Articulus II.****D e o f f i c i i s c o n f e s s a r i i .**

Sic hac in materia procedere intendimus, ut 1. de officiis confessarii in confessione excipienda, et 2. de ejusdem officiis post confessionem exceptam tractemus.

**A. D e o f f i c i i s c o n f e s s a r i i i n e x c i p i e n d a c o n f e s s i o n e .**

Distinguenda officia 1. quoad triplex confessarii munus, et 2. quoad agendi rationem cum diversis poenitentium generibus.

**1. O b l i g a t i o n e s c o n f e s s a r i i r a t i o n e t r i p l i c i s m u n e r i s .**

## §. 150.

**Obligatio doctoris.****PRINCIPIA.**

1. — **Principium I.** Confessarius tenetur poenitentem ignorantem instruere et monere, quantum fieri potest, de iis omnibus, quae necessaria sunt ad valorem Sacramenti, prout e. g. si nesciat illa, quae scitu necessaria sunt necessitate medii ad salutem, Lib. II. §. 6. n. 8. Ratio ex eo patet, quod sacerdos est minister Sacramenti, ideoque consulere debet validae susceptioni. Et fieri debet talis poenitentis instructio, quamvis ejus ignorantia sit *inculpabilis*, vel *nullus fructus* speretur; quia alias poenitens non esset capax Sacramenti.

2. — **Principium II.** Tenetur confessarius ordinarie poenitentem monere de iis, quae quidem necessaria non sunt necessitate Sacramenti, sed necessaria sunt necessitate praecepti ad vitam christianam agendam. Ratio est obligatio confessarii ex ipso jure naturali procedens, poenitentes dirigendi in via salutis. Dixi: ordinarie confessarium ad id teneri; hinc

Quaestio expendenda, *quando confessarius excusetur a facienda monitione poenitentis, qui ignorantia circa aliqua laborat, quae non sunt de necessitate medii?*

Disting. 1. Si ignorantia est *vincibilis* i. e. si confessarius advertat, poenitentem de quapiam obligatione ita dubitare, ut jam non adsit bona fides, eum admonere debet; quia poenitens cum dubio operans peccat. 2. Si ignorantia est *invincibilis*, certe poenitens monendus est, si fructus speretur, quia confessarius bono spirituali poenitentis consulere tenetur. *Quid, si nullus fructus speretur?* Tunc *generatim* loquendo, monitio praetermitti debet, quia poenitens ex peccatore materiali fieret formalis, sicque monitio ipsi non prodesset, sed obsesset.

Dixi a) si *nullus speretur fructus*, omittenda monitio e. g. de restitutione facienda, si confessarius praevideat, poenitentem, qui in bona fide est, non esse obtemperaturum (v. Lib. II. §. 134 n. 4). An monendus sit poenitens contracturus matrimonium de impedimento ignorato v. §. 163 n. 3. An monendi conjuges de nullitate matrimonii ob impedimentum occultum v. §. 164 n. 1. — In dubio, an monitio sit profutura vel obfutura, omitti debet, quia peccata formalia sunt potius cavenda, quam materialia. Si monitio *probabilius* profutura videatur, facienda est; secus si *probabilius* obfutura.

Dixi b) *generatim* loquendo est omittenda monitio, ubi *nulla spes fructus*. Etenim nihilominus fieri debet: 1. quoties ipse poenitens interroget, quia tunc jam incipit laborare ignorantia vincibili, et dissimulatio esset erroris approbatio; attamen non plus confessarius respondeat, quam poenitens interrogat; 2. si poenitens, omissa admonitione, in occasione proxima formaliter peccandi remansurus esset; — 3. quando ex silentio confessarii oriretur damnum spirituale communitatis, quia bonum commune praefendum est bono privato poenitentis. Hinc monendi principes, episcopi, parochi, confessarii, parentes, qui ex ignorantia invincibili officiis suis desunt in perniciem et scandalum aliorum; porro qui falsum dogma<sup>7</sup> spargunt in populum; item qui Sacramenta frequentant et ex ignorantia pravi operis, quod faciunt, pravum aliis praebent exemplum. Benedictus XIV. in Const. *Apostolica* 26. Junii 1749 cum doctrina communi.<sup>1)</sup>

Si poenitens tenetur (licet sub peccato mortali) ad aliquid adeo difficile, ut non crederetur *nunc* aequo animo accepturus, et

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 615.

*alia vice* melius suscepturus, prudens confessarius illum relinquat in bona fide excusante a peccato, et monitionem differat in tempus opportunius, ne deterritus a confessione absteineat graviusque detrimentum incurrat.<sup>1)</sup>

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 609—616. H. A. Tract. 16 n. 105—116.

### §. 151.

#### Obligatio medici.

1. — Confessarius partes medici spiritualis tenens, causam morborum seu peccatorum cognoscere ac media salutaria poenitenti applicare debet.

Quod I. *causam* morborum spiritualium attinet, confessarius poenitentem interroget necesse est de pravis habitibus et inordinatis passionibus, deque consuetudine mala vel peccandi occasione; quae sunt causae sive internae sive externae peccatorum. Cumque inter vitia ferme semper sit unum praedominans, atque fons aliorum, confessarius hoc debet prudenter inquirere, ut eodem per medicinam congruentem sublato cetera vitia facile eliminentur.

II. Morborum causa et origine perspecta confessarius ad debitas monitiones procedat, eaque *remedia* praescribat spiritualia, per quae poenitentis infirmitatibus convenienter obvenire valeat. Haec remedia sunt tam *generalia*, contra quaevis peccata, quam *particularia*, adversus specialia peccata dirigenda.

2. — A. *Remedia generalia* sunt: 1. recordatio Dei praesentis, praesertim dum tentatio pulsat, dicendo: *Deus me videt, — quomodo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum*; — ideoque 2. preces humiles et fiduciales ad Christum Dominum et B. V. Mariam tempore tentationis e. g. *Domine Jesu, miserere mei, Mater Dei, succurre mihi*; — *Domine, salva me, pereo*; — *Mi Jesu, misericordia* (Indulg. 100 dierum Pius IX. die 24. Sept. 1846), *dulce Cor Mariae, esto salvatio mea* (Ind. 300 dierum Pius IX. d. 30. Sept. 1852); simul atque renovatio propositi, non peccandi: *Domine, malo mori, quam peccare*; — 3. actus caritatis erga Deum frequenter eliciendi, e. g. *Jesu, Deus meus, super omnia amo te*

<sup>1)</sup> Schneider S. J. in Manuali sacerdotum.

(Indulg. 50 dierum Pius IX. die 7. Maji 1854); — 4. cultus ss. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae; — 5. frequens susceptio Sacramentorum, et confessio statim ac peccatum mortale commissum fuerit, debita cum praeparatione facienda; — 6. examen conscientiae quolibet vespere cum actibus contritionis instituendum; — 7. oratio mentalis et pia lectio, praesertim sacerdotibus, proponenda.<sup>1)</sup>

B. *Remedia particularia.* Ad extirpandum habitum vitiosum, et affectionem perversam ordinandam praesertim juvat *exercitium virtutis cuique vitio contrariae* instituere; siquidem contraria contrariis curantur. Ipse *coelestis medicus*, inquit s. Greg. M., *contraria opposuit medicamenta peccatis.*<sup>2)</sup> Eandem methodum curandi spirituales morbos Rituale Romanum confessariis observandam proponit. Quae quidem saluberrime adhibebitur, si juxta mentem s. Ignatii<sup>3)</sup> sequentes regulae in praxim deducantur: „1. Tempore tranquillo praevidere occasionem, qua inordinatio passionis facilius possit accidere; — 2. in antecessum statuere, quid in ea occasione agendum, ne tentationi succumbamus, scilicet proponere *tentationi contraria*, jugiter implorato divino auxilio: omnis sufficientia nostra ex Deo est; — 3. quodsi in occasione dein constituti acrius tentemur, etiam *plus agere* contra illam, quam quod prius constitueramus. Hoc scilicet est non solum resistere inimico, sed illum etiam prosternere.“

Multum juvare potest ad vitium hoc vel illud extirpandum virtutemque fovendam, nonnulla loca s. scripturae et mysteria Passionis Domini considerare, qui pro peccatis nostris tot tantaque pertulit tormenta, imo et mortem crudelissimam.

\* S. Alphonsus: Praxis confessarii, cap. 1 n. 15 et 16. — Haringer: Anleitung zur Verwaltung des hl. Buss sacramentes §. 32. Aufl. 2. Regensburg 1851. Fr. Zenner: Instructio practica confessarii P. II. cap. 3 a. 2 §§. 150—196. Ed. 6. Viennae 1857. Reuter S. J.: Neo-confessarius practice instructus P. II. cap. 1. Edit. nova et emendata Ratisb. 1870 (remedia contra vitia capitalia). Editio germanica per P. Jul. Müllendorff S. J. Regensburg 1898.

<sup>1)</sup> S. Leonardus a Portu Mauritio in op. Discorso mistico e morale n. 29 poenitentibus praesertim commendandam censet contemplationem stationum Viae Crucis.

<sup>2)</sup> In Evang. Lib. II. Homil. 32 n 1.

<sup>3)</sup> In Exercitiis spiritual. *Regulae de victu temperando*, quae ad omnem affectionem ordinandam egregie servire possunt, ut P. Roothaan scitissime observat.

## §. 152.

## De obligatione iudicis.

Quemadmodum iudicis cujuscunque est, causam cognoscere, ejus momenta discutere, et demum sententiam ferre: ita confessarius, qui iudicis officium subit, primum peccata poenitentis inquirendo cognoscere, dein ejusdem dispositionem inspicere, et tandem absolutionem pro merito aut concedere aut negare debet. De triplici hac obligatione agemus.

## Obligatio poenitentes interrogandi.

Tria sunt explananda: 1. quando poenitentes debeant interrogari, 2. de quibus et quo modo, 3. de quibus examinari nequeant. Hinc tria habes

## PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Confessarius poenitentem, quem deprehendit non integre confiteri, examinare debet; secus enim nec legitimam sententiam ferre, neque medicinam congruentem ipsi praescribere poterit.*

Non recte agunt confessarii, qui rudes dimittunt, ut melius se examinent; vix enim paratiores unquam redibunt; imo timendum, ne difficultate discutiendae conscientiae territi a confessione retrahantur et in peccatis obdurescant.<sup>1)</sup>

Qui ex animi levitate neglexerunt diligenti examine se praeparare ad confessionem, ab ipso confessario sunt examinandi et simul monendi, qua ratione deinceps se praeparare et confiteri debeant.

Intolerabilis abusus est, peccatores nonnisi prius interrogatos velle se ipsos accusare; quapropter docendi sunt, ut prius peccata, quorum reminiscantur, confiteantur, et subinde interrogationibus juvandi erunt.<sup>2)</sup>

2. — **Principium II.** *Confessarius de integritate confessionis prudenter dubitans poenitentem debet interrogare de iis, quae ad integritatem requiruntur, nec non de aliis, quae scire opus est, ut iudicis, doctoris et medici partes rite implere valeat. Specialiter sequentia in praxi observentur:*

<sup>1)</sup> Ita s. Alph.: Praxis confess. cap. 1 n. 20. Lib. VI. n. 607.

Theologia moralis III.

<sup>2)</sup> Ita s. Francisc. Sales.: Instructio ad confessarios cap. 4.

1. Nonnullae interrogationes jam *ante confessionem* ad poenitentem quandoque dirigi debebunt, ut a quo tempore sit confessus, si poenitens ignotus id non dixerit, an poenitentiam impositam expleverit.

2. *In ipsa confessione* confessarius non sit nimius in quaestionibus proponendis, secus confessio odiosa fieret poenitenti. Interroget tantum de peccatis, in quae poenitens facile incidere poterat, secundum ordinem praeceptorum, spectata ejusdem conditione, aetate et capacitate, non tamen omittat quaerere ex poenitente peccata omissionis et status. Si exposuit quidem peccata, sed eorum numerum, speciem et circumstantias explicatu necessarias praetermisit: confessarius in his declarandis eum juvare debet; item si peccata quaedam terminis dubiis et indefinitis innuerit. Saepe necesse erit, sciscitare ex poenitente occasionem proximam, consuetudinem pravam, relapsum in peccatum.

In materia luxuriae caute procedendum, praesertim cum junioribus, ne forte doceantur, quae salubriter ignorant. Confessarius incipiat de longe et verbis generalibus, interroget de cogitationibus, dein de desideriis, postea de verbis. Si in his poenitentem videat innocentem, ulterius non progrediatur; sin autem, ultro inquirat de tactibus ac de opere consummato.<sup>1)</sup>

Non facile confessarius per quaestiones interrumpat confessionem, nisi haec sit prolixior et periculum oblivionis timeatur, vel poenitens proferat impertinentia e. g. incipiat aliorum peccata accusare.

Attendat, nec acriter reprehendat poenitentem, dum confitetur, ne forte perterritus et confusus alia reticeat peccata. Attamen, ut s. Alphonsus<sup>2)</sup> observat, aliquando non incongruum erit, intra confessionem humaniter exponere gravitatem criminum, dummodo illico animus ei addatur ad reliqua confitenda.

3. Saepe praeter rem non erit, *sub finem* mansuete quaerere ex poenitente ignoto, an sit quidpiam, quod adhuc conscientiam angat, an nihil omiserit in prioribus confessionibus? *Per has interrogationes solent liberari plures animae a sacrilegiis,* ait s. Alphonsus.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Aliquando autem, si poenitens sit admodum rudis, inquirendum erit primum de operibus, tum de verbis, demum de cogitationibus; saepe enim rudes non apprehendunt cogitationes

ut peccata, saltem si non voluerint progredi ad opera. Ita recte Reuter, Scavini etc.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 607.

<sup>3)</sup> Praxis confess. cap. 10 n. 178.

Exinde enim, experientia teste, plures occasionem sumunt, confitendi peccata in prioribus confessionibus omissa, dum vel ex silentio aut perplexa responsione praebent suspicionem sacrilegae taciturnitatis. Quodsi confessarius aliquem defectum priorum confessionum deprehenderit, poenitentem moneat et juvet ad repetendas priores confessiones. <sup>1)</sup>

3. — *Quid confessarius agere debet in dubio de poenitentis sinceritate?* Est regula communiter recepta: *In dubio credendum est poenitenti tam pro se quam contra se dicenti.* <sup>2)</sup> Ergo in dubio poenitens semper verax est praesumendus, ideoque post opportunas quaestiones in negatione perseverans absolvendus.

*Quid autem, si confessarius certo sciat aliquod grave peccatum, quod poenitens tacet?* Distinguendum:

1. Si sciat *extra confessionem* et quidem *ex propria experientia* (ut e. g. dum viderit poenitentem furtum committentem), eum peccatum pertinaciter negantem, utpote indignum, absolvere nequit; modo certo constet, illum nondum alii sacerdoti esse confessum. Quodsi peccatum *ex aliorum relatione* cognoverit, post diligentem interrogationem regulariter eum absolvere debet; prudenter enim existimare poterit, poenitentem ignorantia invincibili esse captum, aut jam esse confessum illud peccatum, aut relatores fuisse deceptos. Recte tamen excipit s. Alphonsus, <sup>3)</sup> si confessarius ex una parte notitiam haberet certam ex relatione testium omni exceptione majorum, et ex altera parte certo constaret, quod poenitens malitiose et mendaciter negat peccatum; quia nec valide nec licite certe indisposito datur absolutio. Nec obstat axioma: *Credendum est poenitenti etc.* supra relatam; hoc enim valet in re dubia, non autem moraliter certa. Confessarius tamen caveat, ne mulierculis delictum alienum referentibus fidem praebet.

2. Si confessarius peccatum *ex confessione alterius*, praesertim complicitis noverit, tunc poenitentem specialiter de illo interrogare nequit sine alterius expressa licentia, sed generaliter tantum et omni secluso confessionis revelatae periculo. Quodsi moraliter

<sup>1)</sup> *Instruct. Eystet.* De Sacr. Poen. cap. 3 §. 9.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 631. S. Thom. Quodl. 1 a. 17.

<sup>3)</sup> l. c., quem sequuntur Dumas: Tom. II. n. 619. Kenrick: Vol. II. Tract. XVIII n. 216. Scavini: Lib. III. n. 381. Gousset: Vol. II. n. 527, Konings, et alii.

certus sit, poenitentem malitiose negare peccatum (e. g. proxime antea illud commisit et jam a longo tempore non accessit ad confessionem), tunc juxta s. Alphonsi<sup>1)</sup> aliorumque<sup>2)</sup> sapientissimum judicium eum non absolvat, quia dando absolutionem indisposito nihil prodest, et ipsius sacrilegio cooperatur; sed tantum formulam deprecationis: *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc. signum crucis formans super illum recitet. Nec sic agere est simulare administrationem Sacramenti, ut ex conceptu simulationis §. 56 n. 6 dato colligitur.

Quodsi non omnino certo constet, poenitentem sacrilege reticere peccatum commissum, tunc absolutio ei sub conditione impertienda erit. Hujusmodi casus in praxi frequentior erit.

4. — **Principium III.** *Confessarius in res, quae sunt praeter vel contra finem confessionis sacramentalis, ac praesertim in complicem peccati, numquam inquiret.*

1. Finis confessionis sacramentalis est poenitentis reconciliatio, ac ipsius quoque possibilis sanatio. Quocirca confessarius non tantum ab indiscretis quaestionibus, ex quibus poenitens peccata incognita discat, ut supra n. 2 dictum est, sed etiam a curiosis aut inutilibus interrogationibus abstineat, juxta monitum Ritualis Romani.

2. Nomen *complicis* aut circumstantias ejus individuales a poenitente exquirere numquam licet, ne sub praetextu quidem correctionis complici adhibendae, tum ad vitandam proximi infamiam tum ad impediendum Sacramenti odium et scandalum fidelium. Severe id prohibuit Benedictus XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745, rursus in Const. *Ubi primum* 2. Julii 1746 (ad episcopos ditionis Lusitaniae), ac in Const. *Ad eradicandum* 28. Sept. 1746 (pro tota Ecclesia), declarans, confessarios requirentes nomen complicis sub poena denegandae absolutionis graviter peccare, et incurrere *suspensionem ab audiendis confessionibus*, sed *ferendae tantum sententiae*. Docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a praelaudato Summo Pontifice, *ipso facto incurrunt excommunicationem Romano Pontifici reservatam*,

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 631. Vid. Vind. Kenrick: Tract. XVIII n. 216. Alphons. P. V. Quaest. 21 art. 1. Schneider: Manuale sacerdot.

<sup>2)</sup> Scavini: Lib. III. n. 381. pag. 428 – 429. Ed. 6. Konings, etc.



ab eodem Pontifice impositam et a Pio IX. in Const. *Apostolicae Sedis* §. 1 confirmatam.

Duo hic observa: a) Quamvis vetitum sit, nomen vel personam complicitis directe exquirere, confessarius tamen bene potest, imo et debet exquirere circumstantias necessarias, nempe quae vel speciem mutant vel dignosci debent, ut poenitentis conscientiae consulatur, ut e. g. an persona, cum qua poenitens peccavit, sit cognata, voto ligata, in eadem domo habitet, etiamsi *per accidens* in cognitionem complicitis veniat.<sup>1)</sup> Ratio est, quia bonum animae praeponderat bono famae, et alioquin infamia complicitis per accidens sequitur. Cf. Lib. II. §. 130 n. 5. Si vero poenitens commode possit adire alium confessarium, cui sit complex ignotus, eum adire tenetur; quia urget praeceptum naturale parcendi famae proximi, quoad fieri potest.<sup>2)</sup>

b) Aliquando poenitens manifestare complicem tenetur ad damnum aliquod grave impediendum; tunc confessarius imponat illi in genere, ut complicem manifestet superiori vel alii, qui damnum impedire valeat, numquam autem ipsi licebit dicere: *Revela mihi!* Imo si poenitens roget confessarium, ut ipse complicem corrigat, caveat ne se hujusmodi rei immittat ob periculum scandali et offensionis sacri ministerii.<sup>3)</sup>

\* S. A l p h o n s u s : Theol. mor. Lib. VI. n. 629—632 (de obligatione interrogandi), n. 489—492 (de complice). H. A. Tract. 16 n. 102 et 103. Praxis confessarii cap. 1 n. 19 et seq.

### §. 153.

## De obligatione disponendi poenitentes.

### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Confessarius audita confessione post debitas monitiones vel instructiones poenitentem, si non sufficienter dispositus videatur, ex rigorosa religionis et caritatis obligatione disponere tenetur per actus doloris et propositi.* Etenim ipsius est cavere, ne Sacramentum periculo frustrationis exponatur, et poenitens sine absolutione dimissus diu maneat in statu peccati vel prorsus abstrahatur a confessione.

Perpauci sunt poenitentes, verissime ait s. Alphonsus,<sup>4)</sup> praesertim rudes et magni peccatores, qui dolore et proposito prius

<sup>1)</sup> S. A l p h.: Lib. VI. n. 491.

<sup>3)</sup> Ita sapienter s. Doctor maxime practicus n. 492.

<sup>2)</sup> Idem n. 489 et 490.

<sup>4)</sup> Praxis conf. cap. 1 n. 7 et 10.

elicitō ad confessionem accedunt. Hos igitur quoad potest confessarius disponere fortiter et suaviter adlaboret, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat; parum enim refert, quod alii poenitentes diu expectent vel discedant, siquidem, ut ajebat s. Franciscus Xaverius, melius est paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum properatas et sine fructu. Porro prout Leo XII. in Const. *Caritate Christi* 25. Dec. 1825 observat, *sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint.* Quod s. Alphonsus<sup>1)</sup> confirmat dicens: „Quot ad me venerunt indispositi, et ego divino auxilio opitulante eos disponere curavi; et dispositos tuto et mea maxima consolatione absolutos dimisi!“

2. — **Principium II.** *Confessarius prudenter judicans poenitentem bene dispositum, ad nihil tenetur.* Expediunt tamen omnes (quos confessarius non bene in hac re cognitos habet) adhortari, ut dolorem et propositum renouent, vel saltem interrogare, praesertim rudiores, an elicuerint actus doloris et propositi, antequam ingressi sint confessionale; si affirmant, confessarius acquiescere potest, nisi aliud circumstantiae suadeant.<sup>2)</sup>

Signum ordinarium sufficientis dispositionis jam est ipsa confessio cum expresso actu doloris et propositi.<sup>3)</sup>

3. — Quod attinet modum disponendi poenitentes, praesertim duriores, optimum erit, eos primum adducere ad attritionem, praesertim timore inferni vel purgatorii, et dein ad contritionem perfectam. Recole dicta §. 114 n. 5.

Quamvis peccator magis dolere debeat de peccatis commissis, quam de aliis malis, confessarius tamen non recte ageret, qui descendens cum poenitente ad mala particularia eundem tentaret, utrum velit potius morte mulctari, flammis comburi etc. quam Deum offendere. Quum enim sensibilia magis hominem moveant quam spiritualia, periculum esset, ne poenitens succumberet tentationi.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> H. A. Tr. 16 n. 105.

<sup>2)</sup> Reuter: Neoconfess. P. I cap. 5 n. 11.

<sup>3)</sup> Ita s. Alph.: Il Confessore etc. Der Beichtvater etc.) cap. 15 n. 13,

Lib. VI. n. 459. Sic etiam Voit: P. II n. 712, Dumas et alii.

<sup>4)</sup> Ita communiter docent cum s. Thoma, qui stultitiae arguit eum, qui id ageret. Quodl. Lib. I. a. 9.

## §. 154.

## De absoluteione concedenda, iteranda, differenda, sub conditione impertienda, deneganda.

1. — **Principium I.** *Absolutio danda est poenitentibus capacibus et dignis seu rite dispositis.* Nimirum poenitens, qui rite confessus et dispositus est, jus strictum habet ad Sacramentum suscipiendum; <sup>1)</sup> praeterquam quod ex denegatione absoluteionis sine justa causa poenitens Sacramento reconciliationis infensus discederet et periculo manendi in statu peccati exponeretur.

Ubi notandum est, quod ad poenitentem absolvendum non requiritur certitudo absoluta de ejus dispositione; talis enim in hoc Sacramento, cujus materia non est res physica, sed moralis (nempe actus poenitentis), haberi nequit: sed requiritur et sufficit *certitudo moralis* latius accepta, seu sufficit, ut s. Alphonsus ait, quod confessarius habet *prudentem probabilitatem* de dispositione poenitentis, et non obstat prudens suspicio indispositionis. <sup>2)</sup> Signum dispositionis *ordinarium* seu *commune* v. §. 153 n. 2, *extraordinaria* seu *specialia* v. §. 157 n. 4.

2. — **Principium II.** *Absolutio in eadem confessione iterari potest et debet, quando post primam absoluteionem poenitens denuo confitetur materiam necessariam, quam prius debuisset subicere clavibus;* ut si afferat novum peccatum mortale, antea ex oblivione omissum, vel certum mortale, quod uti dubium confessus est, vel circumstantias speciem mutantem, vel numerum, qui notabiliter excedit prius expressum. Ratio, quia his in casibus materia necessaria absoluteionis nondum erat clavibus subjecta. Tenetur autem tunc poenitens novum elicere dolorem, et confessarius novam poenitentiam ei imponere.

E contrario *non est repetenda* absolutio, quando poenitens post primam absoluteionem confitetur aliquid non necessario confitendum, nempe peccatum veniale, circumstantias peccati mortalis mere aggravantes. Et si videatur confessario expediens, poenitenti, dum-

<sup>1)</sup> Id enim exigit pactum implicitum inter confessarium et poenitentem, siquidem iudex audita causa judicare et reum absoluteione dignum absolvere debet, nisi adsit causa justa differendi. Ita Antoine.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 461. Consonat *Catech. Rom.* P. II cap. 5 q. 58: „*Si (sacerdos) auditu confessione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam neque in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.*“

modo non sit scrupulosus et de venialibus peccatis vere doleat, novam absolutionem impertire ad novam gratiam ipsi conferendam: id rarissime tantum fieri deberet, quia secus contra Sacramenti reverentiam agere videretur. Sed confessarius super poenitentem, quem tunc non absolvit, recitet preces signum crucis formans, ne forte ille scandalizetur.

Quodsi poenitens post absolutionem confiteatur *mortale dubium*, jubeatur iterum se accusare de peccatis antea dictis et renovare dolorem, deinceps confessarius poenitentia levi injuncta eum absolvat.<sup>1)</sup>

3. — **Principium III.** *Absolutio est 1. differenda*, quoties de poenitentis capacitate et dignitate prudens observetur dubium, nisi urgeat necessitas vel gravis utilitas ad eum absolvendum; imo 2. *differri potest* vel etiam debet sufficienter disposito, semper ac confessarius prudenter judicare potest, dilationem esse utilem poenitentis emendationi.

Pars 1<sup>ma</sup> facile eo probatur, quod alias confessarius Sacramentum temere exponeret periculo nullitatis, idque efficeret, ut poenitentes in peccatis tabescerent. Excipitur tamen *casus necessitatis* vel *gravis utilitatis*, de quo mox infra n. 4.

Pars 2<sup>da</sup> ex eo constat, quod dilatio absolutionis non est ejusdem denegatio; et poenitens, quamvis jus habeat ad absolutionem ratione confessionis peractae, non tamen jus habet, ut statim absolvatur. Praeterea confessarius non tantum iudex, sed etiam medicus est, quocirca in ipsa absolutione debet simul curationi poenitentis prospicere, ac proinde si arbitretur dilationem absolutionis necessario salubre animae poenitentis remedium fore, eodem uti potest, imo juxta s. Alphonsum<sup>2)</sup> etiam tenetur. Nec poenitens potest esse rationabiliter invitus, quum id cadat in ejus bonum, et absolutio ei statim non expediat. Hinc absolutio sufficienter disposito differri potest, si confessarius judicet, quod poenitens per illam peccatorum gravitatem et necessitatem emendationis magis apprehendet, ad peccata vitanda majorem conatum adhibebit, majori fidelitate certam quandam obligationem implebit.<sup>3)</sup> Ceterum certa regula statui nequit; generatim *potius iis, qui sunt in occasione*

<sup>1)</sup> De absolutione repetenda vel non repetenda: Sporer: T. III de Sac. cap. 5 n. 627 et seq. Voit: P. II n. 698.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 462.

<sup>3)</sup> Lugo: De Sac. Poen. Disp. 14 Sect. 10.

*externa, quam recidivis ex fragilitate absolutio differenda est, merito dicit s. Alphonsus.* 1) Numquam differenda est absolutio sufficienter disposito, qui exinde Sacramento infensus redderetur; bonum enim poenitentis est respiciendum, coll. §. 148 n. 3. Denique, si dilatio absolutionis expedire videatur, nonnisi ad breve tempus, ad 8 vel 14 dies fieri debet, ne poenitens diu privetur gratiis actualibus, quae intuitu Sacramenti suscepti dantur ad vitanda peccata, vel a Sacramento suscipiendo prorsus deterreatur. 2)

4. — **Principium IV.** *Absolutio sub conditione est iis impertienda, de quorum capacitate vel dignitate fundatum dubium habetur, quod vinci nequit, dummodo justa adsit causa.* Ex dictis §. 50 notum supponimus, absolutionem sub conditione: *si capax es, si dignus es*, exhibitam esse validam et ex justa causa etiam licitam. Porro *justa causa* ad conferendam sub conditione absolutionem ex iudicio s. Alphonsi 3) non tantum est necessitas, sed etiam gravis utilitas poenitentis, videlicet „si negata absolutione notabile detrimentum immineret animae poenitentis“. Conf. §. 148 n. 3.

Porro hujusmodi *causae* sunt: 1. Si prudens (fundatum) dubium adsit, num poenitens ad perfectum rationis usum pervenerit, quare puer, semifatuus, absolvendus est in periculo mortis, semifatuus etiam urgente praecepto annuae confessionis, imo etiam pluries in anno; praemissa seria diligentia ad eos, quantum fieri potest, disponendos. 2. Si dubitetur, an poenitens sit vivus vel mortuus, an moribundus sensibus destitutus sit catholicus, an sit sufficienter dispositus, dum incerta vel nulla exhibet sensibilia poenitentiae signa. 3. Si dubitetur, an poenitens absolvendus sit moraliter praesens, 4) v. §. 132 n. 1. Item 4. si sacerdos prudenter dubitet, an poenitentem jam absolverit, et 5. si dubius sit de jurisdictione, et poenitens, si non absolveretur, diu deberet absolutione carere. 6. Si confessarius dubitet, an poenitens sit rite dispositus per dolorem et propositum: a) quando hic versatur in periculo mortis e. g. miles ante proelium, reus capite plectendus etc.,

1) Lib. VI. n. 463 et 464.

2) Lib. VI. n. 463. Apposite Dumas Tom. II n. 623 notat: „Interdum ubi facile fieri potest, absolutionem etiam *ad unum diem* vel *ad paucas horas* differre utile erit.“

3) Lib. VI. n. 28 et 431.

4) Refertur, quod P. M. Clemens VIII. fabro murario a Vaticanae Basilicae fastigio forte decidenti ita absolutionem impertitus est: *Si es capax, absolvo te a peccatis tuis.* Benedictus XIV. De Syn. Dioec. Lib. VII. cap. 15 n. 10.

vel *b*) quando prudenter timetur, quod peccator ille denegata absolutione non amplius ad confessionem redibit et in peccatis suis tabescet. Absolvi conditionate possunt sponsi dubie dispositi, proxime matrimonium inituri, ex ratione praedicta et ob timorem, ne matrimonii Sacramentum sint profanaturi. <sup>1)</sup> — Quid de iis, qui *peccata dubia* confitentur, sit agendum, v. §. 155 n. 2.

5. — Qui *ob dubiam dispositionem* conditionate est absolutus a peccatis mortalibus et postea ad s. Communionem accedit, sacrilegium non committit putans se per absolutionem cum Deo esse reconciliatum, attamen obstante sua indispositione fructum Communionis non percipit. <sup>2)</sup> Quodsi talis *cum attritione* et *bona fide* ac devote ad Communionem accedit, vi sanctissimi Sacramenti accipit remissionem peccatorum seu gratiam primam, coll. §. 89 n. 3; quod idem valet, si *ob dubiam jurisdictionem* est conditionate absolutus. <sup>3)</sup>

6. — **Principium V.** *Absolutio omnino deneganda est hominibus certo incapacibus et indignis.* Etenim Sacramentum administrare, ubi desunt conditiones essentiales, nefas est, grande sacrilegium est. Porro *a) incapaces* sunt, qui usum rationis numquam habuerunt, qui jam mortui sunt, qui nesciunt necessaria medii, qui certo non sunt moraliter praesentes, qui generatim sine sua culpa nec quidquam absolute necessarium ad Sacramentum peragere possunt. *b) Indigni* sunt, qui nulla dant signa doloris, qui nolunt vitam emendare, qui gravem obligationem implere detrectant e. g. aliena, dum possunt, restituere, publicum scandalum tollere, odia et inimicitias deponere. Pro viribus autem (*non sine fuis ex intimo corde ad Deum precibus*, ait L e o XII.) ex imparatis paratos facere confessarius studeat §. 153 n. 1.

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 431 et 432 (de absolutione conditionata), n. 462 (de absolutione differenda), n. 603—606 (de danda et neganda absolutione). — Scavini: Theol. mor. Lib. III n. 334—337, 347. Ed. 13. Mediolani 1882.

### §. 155.

#### An absolvendus, qui confitetur peccata tantum in genere vel incerta?

1. — I. Qui peccata confitetur tantum in genere e. g. *peccavi, accuso me de omnibus peccatis a me commissis*, vel *a ceteris hominibus*

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib VI. n. 432. Gury: Tom. II. n. 439. Scavini: Lib. III. n. 347.

<sup>2)</sup> Datur accessus ad Sacramentum neuter, hoc est, absque fructu et absque peccato. coll. §. 45 n. 3.

<sup>3)</sup> In praxi dubie dispositus, qui ex justa causa absolvitur, omnino admonendus et excitandus est, ut saltem ante Communionem, quam percipere vult, contritionem perfectam eliciat.

*committi solitis*, absolvi nequit; quia Sacramentum Poenitentiae habet characterem iudicii, ideoque peccatorum accusatio, quoad fieri potest, determinata esse debet. Excipitur tamen casus *necessitatis* et *impossibilitatis* aliter confitendi, in quo e. g. existit moribundus, miles ante proelium (§. 122 n. 3); item rudis, qui etiam examinatus vel ob memoriae labilitatem vel mentis hebetudinem nullum peccatum speciale ex vita praeterita profert; talis enim conditionate absolvi potest, si jam diu non sit confessus vel videatur non rediturus, quia tunc adest quaedam necessitas et impotentia; sed prius adduci debet, ut vere doleat de omnibus, quibus unquam Deum offendit; — interrogetur etiam, num sciat necessaria necessitate medii.<sup>1)</sup>

2. — II. Poenitens, qui tantum *dubia peccata* confitetur, absolvi nequit, nisi certum peccatum contra aliquod praeceptum saltem ex praeterita confessione clavibus subjiciat. Excipitur casus, quo ex una parte poenitens *certam materiam afferre nequit*, et ex altera parte adest *causa necessitatis vel utilitatis*, eum sub conditione absolvendi, prout e. g. si urget periculum mortis vel praeceptum annuae confessionis, si poenitens jam notabili tempore non est confessus, vel vix est rediturus.

3. — Quaeritur: *An teneatur confessarius materiam certam, saltem sufficientem exquirere, ut possit poenitentem absolvere?* Resp 1. *Aff.*, si poenitens confessus est peccatum dubie mortale, ob poenitentis periculum, si non absolveretur; 2. *Aff.*, si peccata dubie venialia accusavit, et raro ad confessionem accedit. 3. Quoad poenitentes pios, qui saepe confitentur, et nec gravia nec levia certa quandoque habent, S. C. Epp. a. 1839 respondit, *sacramentalem absolutionem rite dispositis non esse, praesertim per modum regulae differendum, ne Sacramenti gratia priventur; licet fortasse nec gravia nec nova habeant, sed dumtaxat peccata jam per sacerdotis absolutionem deleta iterum confiteantur.*

Quum rudiores plane non intelligere soleant, quid sibi velit peccata jam confessa rursus confiteri, confessarius statim poenitenti proponat aliquot species peccatorum juxta ipsius conditionem e. g. interrogando, an unquam in vita praeterita sit mentitus, proximo detraxerit etc.<sup>2)</sup> Sufficit tunc, si poenitens certum ali-

<sup>1)</sup> Cf. Reuter: Neo-Confessarius P. II cap. 3 n. 117.

<sup>2)</sup> Elbel: De Sac. Poen. Conf. I n. 19.

quod peccatum vitae praeteritae confiteatur quoad genus absque numero, e. g. *me accuso de mendaciis, de impatientia, detractioe etc.*<sup>1)</sup> Ad periculum frustrandi Sacramenti avertendum, confessarius poenitentem inducat, ut tale subnectat peccatum, de quo magis doleat et abhorreat.

## II. Obligationes confessarii quoad varia poenitentium genera.

Poenitentes sunt diversi animi statu et externa conditione, et reperiuntur variis defectibus obnoxii.

### a) Poenitentes animi statu diversi.

#### §. 156.

#### De occasionariis.

1. — Occasio peccati est circumstantia externa alliciens ad peccatum. Omnis occasio peccandi est periculum, sed non vicissim; nam periculum peccati est, quidquid in homine vel extra ipsum inclinatur ad peccatum. Qui e. g. contraxit consuetudinem mollitiei, est in periculo peccandi etiam dum solus est, non est in occasione.

Occasio peccandi: 1. est remota vel proxima, 2. voluntaria vel necessaria.

1. Occasio remota est, quae habet quidem vim adliciendi ad peccatum, raro autem illud post se trahit, seu est illa, in qua homines constituti ut plurimum non peccant.

Occasio proxima est alia per se seu absolute, alia per accidens seu relative talis. Proxima absolute talis est, quae per se apta est inducere homines ad peccatum, seu in quo homines ob communem naturae fragilitatem ut plurimum peccant, qualis e. g. est aspectus fixus rei valde turpis, habitatio cum concubina. Proxima relative talis est, quae respectu alicujus est proxima ob fragilitatem sibi propriam, vel quia in ea jam frequenter est lapsus vel quia prudenter timetur ipsius lapsus; qualis esse potest e. g. colloquium alicujus juvenis cum puella.

Rursus occasio proxima a) dicitur praesens seu in esse, quando homo eam semper aut fere semper secum habet, quin actu eam

<sup>1)</sup> S. Alph.: Praxis conf. cap. 5 n. 71 in fine. H. A. Tr. ult. n. 9.



quaerat e. g. si quis in domo sua concubinam tenet, si famula, quando a domino tentatur, consentit; — b) dicitur *absens* seu *non in esse*, quando eam homo inquirere solet e. g. ingrediendo diversorium, ubi solet inebriari, accedendo ad convivia, ubi incidit in sermones malitiosos contra fidem etc.

2. Occasio est *voluntaria*, quando a voluntate pendet et facile dimitti potest. *Necessaria* appellatur, et a) quidem *physice* necessaria, si nullo modo dependet a voluntate, ut abscindatur, v. c. si quis detineatur in navi vel in carcere unacum femina flagitiosa, vel sit in articulo mortis, in quo non habeat tempus vel modum expellendi concubinam; b) *moraliter* necessaria, quando absolute loquendo ab hominis quidem voluntate pendet, sed deserere nequit *sine peccato*, nempe sine gravi scandalo vel violatione officii, prout e. g. miles non potest deserere militiam, quae ipsi forte est peccandi occasio, vel *sine gravi damno* in bonis vitae vel famae vel fortunae, sicut v. g. caupones, mercatores, chirurgi non possunt absque gravi detrimento relinquere propria officia, quae ipsis forte sunt proximae peccandi occasiones.

## PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Non est deneganda absolutio poenitenti in remota peccati occasione constituto, est eam deserere nolit.* Ratio 1. quia hujusmodi occasionis vis alliciens ad peccandum facile superari potest ab eo, qui vult uti gratiis ordinariis; et 2. quia secus, ut Apostolus 1 Cor. 5, 10 loquitur, „deberemus de hoc mundo exire“, quum laqueis undique sit plenus Sap. 14, 11. — Excipe, idque *per accidens*, si praevideatur occasio remota pro poenitente mox esse futura proxima, nisi statim deseratur.

3. — **Principium II.** *Neque neganda absolutio poenitenti versanti in occasione proxima necessaria, modo sit dispositus paratusque ad utendum remediis, quae ad cavendum peccatum praescribuntur.* Ratio, quia nemo ad aliquid physice vel moraliter impossibile obligatur, et alioquin occasio peccati non est per se peccatum, mediisque opportunis serio adhibitis potest evadere remota. Hinc qui ab officio aut negotiatione aut domo, in qua peccant, discedere nolunt, quia *sine magna jactura famae* vel *fortunae* non possunt, absolvendi sunt, si parati inveniantur adhibere remedia.<sup>1)</sup> Idem

<sup>1)</sup> Modicum detrimentum non foret proposit. 41 ab Alexandro VII. causa sufficiens, prout constat ex damnata.

eo magis valet, si occasionem vitare nequeunt sine *gravi scandalo*, quod frequenter accidit in peccatis occultis.<sup>1)</sup> — In praxi autem, ait s. Alphonsus,<sup>2)</sup> omnes conveniunt expedire, ut iis, qui versantur in tali occasione, *differatur absolutio*, semper ac *commode differri potest* (cavendum enim est, ne infensi reddantur huic Sacramento), praesertim si occasio sit de materia turpi, dum experientia docet, tales poenitentes, absolute donatos, ut plurimum negligere *media praescripta et sic facillime recidere*.

Quodsi poenitens prius admonitus media praescripta neglexerit et *eodem modo relapsus fuerit*, absolutio ei differenda est, donec appareat emendatio; nisi specialia seu extraordinaria signa doloris exhibeat. Et qui in occasione necessaria etiam *adhibitis remediis semper eodem modo relabitur*, si nulla emendatio nec probabilis spes emendationis per specialia signa doloris appareat, absolvi *nequit*, nisi occasionem deserat cum quacunque jactura, juxta Christi mandatum Matth. 18, 8: „*Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et projice abs te* etc.“ Confessarius vero, priusquam obligationem tantam urgeat, debet *omnia tentare remedia spiritualia*, quae statui poenitentis aptiora videntur; et his serio et constanter adhibitis ut plurimum emendatio pedetentim sequetur, nisi occasio esset talis, ut cum illa existere emendatio non posset.

4. — **Principium III.** *Numquam absolvendus est poenitens, qui occasionem proximam voluntariam dimittere recusat, sive haec sit absolute sive relative proxima, aut in esse aut non in esse.* Illi enim, qui licite et sine gravi incommodo occasionem proximam peccandi relinquere detrectat, dolor et propositum emendationis deest.<sup>3)</sup> Confirmatur ex propos. 61 ab Innocentio XI. damnata.<sup>4)</sup>

*An vero poenitens, qui sincere promittit se dimissurum occasionem proximam voluntariam, potest absolvi, antequam eam deseruerit?* Disting. 1. Si agitur de *occasione in esse*, poenitens *ne prima* quidem vice absolvendus est. Ratio est, quia ablatio talis occasionis est res valde ardua, quae non fit, nisi quis magnam sibi vim inferat, et ideo merito timendum est, ne poenitens absolute

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 455.

<sup>2)</sup> l. c. n. 456.

<sup>3)</sup> S. Bernardus ait: „*Sit verae compunctionis indicium — subtractio occasionis.*“ Serm. in die Paschae n. 17.

<sup>4)</sup> Quae sic sonat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.*

donatus in eadem occasione sit permansurus.<sup>1)</sup> — Excipiendum 1. si poenitens talia signa specialia (extraordinaria) doloris et propositi exhibeat, ut firma spes emendationis concipi possit; 2. si poenitens ad eundem confessarium numquam vel nonnisi post longum tempus possit redire, seriamque voluntatem prodat, tollendi occasionem statim ac poterit:<sup>2)</sup> et idem dicendum puto, quando prudenter timetur, ne poenitens absolutione dilata a confessione alienetur et bonam, quam nunc habet, perdat voluntatem; 3. si poenitenti immineat necessitas communicandi ad vitandam gravem infamiam, dummodo sit satis dispositus;<sup>3)</sup> 4. si poenitens hactenus a confessario non edoctus ac monitus fuerit, occasionem proximam tollere; tunc posset prima vice absolvi, saltem si occasio non esset mulier cohabitans.<sup>4)</sup> — Nunc temporis cum hujusmodi poenitentibus frequens exceptionis locus est ob fundatum timorem, ne Sacramenta penitus aspernentur; attamen si sufficienter dispositi absolvantur, sedulo admoneantur et alliciantur, ut mox redeant ad confessionem. Respiciendum est bonum poenitentis, v. §. 148 n. 3.

Quid sit agendum cum *moribundo*, qui in hujusmodi occasione<sup>o</sup> versatur, aptius dicetur infra §. 167 n. 1.

2. Si agitur de occasione *non in esse*, poenitens, modo serio proponat ab ea se cavere, potest *una* vice aut *duabus* etiamque *tribus* vicibus absolvi. Ratio est, quia facilius praesumi potest propositum efficax, siquidem occasio absens facilius vitatur, quam praesens abscinditur. Quodsi postmodum emendatio non appareat, absolutio ei differri debet, donec occasionem derelinquat, quia fidem jam aliquoties non servantem credi ultra nequit.<sup>5)</sup> Excipe, si per circumstantias mutatas vel per remedia specialia hactenus nondum adhibita ex occasione proxima fieret remota.<sup>6)</sup>

*Remedia spiritualia*, quae adhiberi possunt vel debent ab occasionario v. supra §. 151 n. 2. *Specialia signa doloris*, de quibus saepius mentio erat, v. infra §. 157 n. 4.

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 452—458. Lib. IV. n. 435—441. Reuter: Neo-Confessarius P. III cap. I n. 168—174. Haringer: Anleitung zur Verwaltung des Bußsacramentes §. 23. Aufl. 2. Regensb.

<sup>1)</sup> *Hanc sententiam*, ait s. Alph. n. 454, *censeo saltem ordinarie loquendo omnino sequendam.*

<sup>2)</sup> Idem l. c.

<sup>3)</sup> Idem Lib. IV. n. 436 in fine.

<sup>4)</sup> Reuter: Neo-Confessarius P. III n. 173. Cf. s. Alph. Lib. VI. n. 454 in fine.

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 454.

<sup>6)</sup> Reuter: Neo-Confess. P. III n. 172.

1851. Konings: Theol. mor. novissimi Ecclesiae Doctoris s. Alphonsi, P. III n. 1429 et seq. Bostoniae 1875. Scavini Theol. mor. Lib. III. n. 339—343. Ed. 13. Dumas: Compendium Theol. mor. Joan. P. Gury, multis correctionibus auctum, Tom. II n. 628—631. Ed. 3. Lugduni 1881. *Theologia Mechluniensis*: Tract. de Poenitentia Nr. 89—94.

### Casus.

5. — *Olympius viduus, cui ex conjuge defuncta est numerosa proles, a multo tempore rem turpem habuit cum femina sibi famulante et cohabitante. Dolet de peccatis commissis, quae modo primum confitetur, ancillam vero dimittere recusat, quia eam prolium suarum curam cum sollicitudine quasi materna gerere, sibi in rebus domesticis administrandis perquam utilem, imo necessariam esse affirmat. Quaeritur, an possit absolvi?*

Resp. Disting.: concubinitus vel occultus vel publicus est. 1. Si concubinitus est *occultus*, absolvi potest poenitens, dummodo revera ancillam ejicere nequeat sine gravi damno status domestici vel ipsius etiam famae (tunc enim versatur in occasione *moraliter necessaria* coll. n. 1), et dummodo sit satis dispositus, ideoque paratus adhibere media ad praecavenda turpia peccata. Porro hujusmodi remedia sunt: major oratio, frequentior usus Sacramentorum, quotidie ante imaginem Crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi, abstinere ab omni familiaritate, vitare ne versetur solus cum sola etc.<sup>1)</sup> Sed adjungit s. Alphonsus: „eo casu omnino *expedire*, ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia poenitentis; nisi casus esset, quod poenitens (satis alias dispositus, ut supponitur) non amplius redire possit ad peccata confitendum; vel si immineret necessitas communicandi ad vitandam positivam infamiam.“<sup>2)</sup> Quid deinceps faciendum, si eodem modo relapsus fuerit, prosequere indicatum supra n. 3.

2. Si concubinitus est *publicus*, et talis plerumque erit, quando conversatio inhonesta per longius tempus est protracta. Olympius absolvi nequit, propter scandalum, quod paterentur alii videntes eum ad s. Communionem accedere; ideoque absolutio differri debet, donec ancillam dimiserit, vel per matrimonium in uxorem sibi conjunxerit, vel cum ancilla tam perspicuam conversionem ostenderit, ut nullus rumor de pravo eorum consortio subsistat.

In utroque autem casu optimum confessarii consilium erit, ut concubinitus per subsequens matrimonium tollatur, nisi circumstantiae id vehementer dissuadeant vel impossibile reddant; non raro confessarius etiam facilius movebit concubinarium ad matrimonium cum concubina ineundum, quam ad eam penitus dimitteendam.

*An concubina, quae a concubinario sustentatur, potest absolvi, antequam e domo illius discedat?* Negat s. Alphonsus, qui excipit tamen 1. si ex discessu ei grave eveniret damnum, nempe famae, vel aliorum scandalum; 2. si femina non posset manuum labore se alere aut in alia domo deservire aut mendicare sine dedecore aut alio gravi incommodo. Sed in his casibus regulariter semper est differenda absolutio, usquedum adhibitis remediis appareat emendatio.

Juxta eundem s. Doctorem potest etiam absolvi femina, quae vivit spitando et peccat occasione hospitandi, et ideo cadit cum diversis et etiam cum aliquo particulari: modo proponat inde evitare sola cum solo conversari.

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 455.

<sup>2)</sup> Lib. IV. n. 435, *Hinc quaeritur*.

Si tamen adhuc remediis adhibitis peccans eodem modo relabatur, nulla appa-  
rente probabili spe emendationis, tunc nullo modo absolvenda, nisi occasio-  
nem deserat vel specialia signa doloris exhibeat.<sup>1)</sup>

6. — *Pipinus frequenter conversatur cum aliqua puella in domo patris ejus; diebus, quibus a negotiis vacant, cum ea deambulat; etiam nocturno tempore eam ad illius fenestram (uti dicunt) visitare solet, non sine delectatione morosa et desiderio impuro. Profitetur haec omnia confessario, qui iisdem auditis dubius est, an possit poenitentem absolvere.*

Resp. Versatur Pipinus in occasione proxima, eaque *voluntaria*; quapropter eam omnino vitare tenetur. Quum tamen haec occasio sit *non in esse*, paulo mitius confessarius cum illo agere potest; serio enim de praeteritis dolentem firmiterque promittentem, se velle in posterum ab omni conversatione hac-  
tenus continuata abstinere, absolvere potest nunc, imo etiam altera et tertia vice, dummodo in singulis confessionibus sincerum dolorem et efficax pro-  
positum manifestet. Amplius autem, emendatione non secuta, eum absolvere nequit. Cf. dicta n. 4.

*Quid, si dicat, se velle feminae isti nubere?* Si spes fundata adsit, fore ut brevi tempore matrimonium cum illa sit contracturus, tunc occasio potest esse quodammodo necessaria;<sup>2)</sup> quo supposito potest ipsi permitti, ut ad amorem mutuum licite fovendum cum puella *quandoque* conversetur, sed *modeste et honeste, coram testibus*, praesertim parentibus, numquam solus cum sola, et minime quidem tempore nocturno, adhibendo *remedia*, ne tentationibus insurgentibus consentiat. Sed non facile credendum est asserentibus, se matri-  
monii ineundi causa conversari cum feminis, quandoquidem nec mediocris spes, imo neque possibilitas adesse soleat, matrimonium proxime celebrandi.

## §. 157.

### De peccatoribus consuetudinariis et recidivis.

1. — *Consuetudinarii* seu *habituati* appellantur peccantes ex habitu vitioso, quem nondum confessi vel ad quem vincendum media necessaria nondum edocti sunt. *Recidivi* vocantur consue-  
tudinarii, qui jam edocti et admoniti media ad vincendam consue-  
tudinem pravam adhibere, post confessionem eodem vel fere eodem modo lapsi sunt.<sup>3)</sup>

### PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Consuetudinarii absolvi possunt prima vice, qua pravum habitum confitentur, etiamsi nulla emendatio praecesserit, dummodo sint dispositi per verum dolorem et firmum propositum adhibendi media praescripta ad vitae emendationem.*<sup>4)</sup> Ratio patet;

<sup>1)</sup> Lib. IV. n. 438.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Praxis confess. cap. 5 n. 70 et 71.

<sup>2)</sup> Sic Gury: Casus conscient. Tom. II n. 696.

<sup>4)</sup> Idem: Lib. VI. n. 459 cum sententia communissima.

siquidem absolvi potest quivis poenitens, qui vere dispositus apparet. Et ipsa confessio cum actu expresso doloris et propositi jam est signum, nempe ordinarium, dispositionis, nisi obstet aliqua fundata praesumptio in contrarium, coll. §. 153 n. 2. — Verum si habitus malus esset *valde radicans*, tunc juxta sapiens s. Alphonsi<sup>1)</sup> judicium confessarius (si circumstantiae id admittant) poterit poenitenti absolutionem differre, ut majorem de suo vitio concipiat horrorem atque efficacius incitetur ad exsequenda media praescripta.

E contrario absolvi nequeunt homines vitio assueti, quando nulla emendationis spes apparet, scilicet dum nolunt adhibere media emendationis; esset enim projicere sanctum canibus, margaritas porcis. Quapropter Innocentius XI. hanc propos. n. 60 damnavit: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.*

3. — **Principium II.** *Recidivi absolvi regulariter nequeunt, nisi per signum quoddam extraordinarium vere dispositi appareant.* Est doctrina communis, quam praeprimis s. Alphonsus<sup>2)</sup> tuetur. Igitur in recidivo absolvendo requiritur, ut suae dispositionis *signum extraordinarium* exhibeat seu ut „praeter solitam accusationem peccatorum et consuetam protestationem de sincero dolore et proposito“, quae est signum *ordinarium* ac veluti commune, ut supra diximus, „exhibeat quoddam signum *speciale*, solidum et probatum, ex quo confessarius sibi prudens efformare possit judicium de ejus dispositione“<sup>3)</sup> Etenim habitus contractus et relapsus praeteriti, nullo adhibito emendationis conatu, nulloque impleto ex mediis a confessario praescriptis, magnam excitant suspicionem, dolorem propositumque, quae poenitens asserit se habere, nequaquam esse vera; quare confessarius habere nequit moralem certitudinem seu prudentem probabilitatem de ejus dispositione, nisi accedat speciale seu extraordinarium signum dispositionis necessariae.<sup>4)</sup>

Nota bene, non *dispositionem* seu *contritionem* extraordinariam, insolitam, sed *signum* extraordinarium, speciale dispositionis

<sup>1)</sup> Praxis confess. cap. 5 n. 70.

<sup>3)</sup> Vindiciae Alphonsianae

<sup>2)</sup> In operibus suis ad finem hujus paragraphi citatis.

Tom. II pag. 281 Not. 1 Ed. 2.

<sup>4)</sup> H. A. Tr. ult. n. 9.

ordinariae seu necessariae et sufficientis in recidivo, ut absolvi possit, requiri. <sup>1)</sup>)

Perinde autem est respectu absolutionis, utrum recidivus jam satis dispositus veniat ad confessionem, an demum ope confessarii dispositus fiat, dummodo exhibeat *signum speciale*, per quod prudens dubium seu suspicio de dispositionis necessariae defectu excludatur. <sup>2)</sup>) Confessario autem incumbere obligationem, disponendi poenitentes nondum dispositos, supra §. 153 habitum est.

Recidivo, qui nullum speciale signum sinceri doloris et propositi praebet, *absolutio est differenda* ad aliquod tempus, nempe 8 vel 10 dierum, ad summum 15 aut 20 dierum, exceptis iis, qui relapsi sunt in occasione proxima, isti enim majori egent probatione; verum semper sufficit experientia mensis. <sup>3)</sup>)

Sic *regulariter*, ut in Principio proposito innuimus. Nimirum *exceptive* recidivus etiam dubie dispositus *sub conditione* absolvi potest, imo etiam debet, si id expedit bono poenitentis, cujus potissimum habenda est ratio (ut dictum est §. 148 n. 3), prout si esset in periculo mortis; si deberet s. Communionem suscipere ad vitandam gravem infamiam; si non facile haberet opportunitatem redeundi ad confessionem; si infensus redderetur Sacramento Poenitentiae et in peccatis permaneret, quia in Catechismo Romano inculcatur confessariis, *maxime verendum esse, ne semel dimissi, amplius non redeant*; quod quidem nostro praesertim tempore attendi debet. Vid. §. 154 n. 4.

4. — *Signa specialia* seu *extraordinaria* dispositionis sunt reputanda ea omnia, quae aliquid addunt signo communi et ordi-

<sup>1)</sup> Id non satis attendisse videntur illi viri docti, qui severiorem putant nostri s. Doctoris egregiam doctrinam, *signa* extraordinaria dispositionis confundendo cum *dispositione* extraordinaria. Hinc etiam s. Alphonsus (Lib. VI. n. 459 versus finem) dicit: „quoties poenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit.“

<sup>2)</sup> Dicit Leo XII. in encycl. Jubil. 1825: „— *Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, qui adhibita a sacerdote necessaria in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum exci-*

*tandis exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam disponantur, carere prudenter judicentur.*“ Ergo imparati et absolutione indigni non sunt poenitentes nec recidivi, qui adhibita a confessario caritatis industria sensu doloris et poenitentiae ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam necessario non carere, *prudenter* judicantur; *prudenter*: ex signo speciali recidivi, ex signo ordinario alii poenitentes.

<sup>3)</sup> S. Alph. Praxis confess. c. 5 n. 72.

nario.<sup>1)</sup> Sequentia communiter recensentur: 1. Major dolor patefactus si non per lacrimas et suspiria, certe per talia verba, quae ex animi compunctione procedunt e. g. post monitiones confessarii praebentis contritionis motivum. 2. Protestatio, se ad confessarii monita percepisse novam cognitionem suae iniquitatis et periculi aeternae damnationis, se malle mori quam relabi. 3. Significatio magnae promptitudinis, poenitentiam quamcunque acceptandi, media ante praescripta melius exsequendi. 4. Confessio peccatorum prius culpabiliter omissorum. 5. Diligentior usus mediorum ab ultima confessione, vel pietatis exercitia sponte suscepta e. g. jejunium, eleemosyna, ad lapsum praecavendum. 6. Minor numerus peccatorum in iisdem ferme tentationibus, praesertim si poenitens post ultimam confessionem per plures dies se continuerit, vel relapsus fuerit post magnum conflictum. 7. Confessio spontanea, extra tempora consueta, praesertim si poenitens ex motivo extraordinario e. g. concionis auditae, mortis alicujus amici, aut cum magno incommodo accederet ad Sacramentum.<sup>2)</sup> Imo etiam confessio, quae fit ex obligatione praeepti paschalis, potest esse sufficiens signum speciale poenitentiae in iis, qui jam a longo tempore non sunt confessi, nec respectu humano impulsus sunt ad suscipiendum Sacramentum, sed potius aliis refragantibus vim sibi inferre debuerunt.

Quatuor signa priora evenire possunt demum *post confessarii monitiones*, ut patet; non minus tamen quam reliqua sufficiunt, ut confessarius possit recidivum absolvere. „Omni igitur cura et caritatis industria confessarius adlaboret, ut peccatores, de quibus agitur, paratos faciat, atque peculiaris sinceri doloris et propositi signa obtineat, ad eos sine dilatione absolvendos, praesertim si non facile differri possit absolutio. Ita persaepe non sine fructu et consolatione processisse plurimos confessarios, testata est experientia.“<sup>3)</sup>

5. — Quamvis expediens aliquando esse possit, recidivo satis disposito ad breve tempus differre absolutionem, ut gravitatem peccati magis apprehendat et in proposito praecavendi relapsus confortetur: regulariter tamen tali recidivo (ob causam seu *fragilitatem intrinsecam*, ut accidit in peccatis irae, odii, blasphemiae, pollutionis aut delectationis morosae) absolutio differenda non est

<sup>1)</sup> D u m a s : Tom. II n. 639.

<sup>2)</sup> S. A l p h. n. 460.

<sup>3)</sup> *Theologia Mechl.*: De Sacr. Poenit. Nr. 97 pag. 354. Mechliniae 1862.



(nisi simul sit in *occasione* proxima, de qua supra §. 156), quia gratia Sacramenti plus quam absolutionis dilatio regulariter ei proderit.<sup>1)</sup> Et Rituale Rom. ait: „*In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur et, si expediut, communicent.*“

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 459—464. Homo Apostolicus Tract. ult. n. 8—15. Praxis confessarii cap. 5. — Vindiciae Alphonsianae seu Doctoris Ecclesiae s. Alphonsi de Ligorio doctrina moralis vindicata Tom. II. P. VI. pag. 273—447. Ed. 2. Bruxellis 1874. Reuter: Neo-Confessarius P. III. cap. 1 q. 3 et seq. Haringer: Anleitung zur Verwaltung des Bussacr. §. 22. Aufl. 2. Regensb. 1851. Berardi: De recidivis et occasionariis. Ed. II. Faventiae 1877. Konings: Theol. mor. etc. P. III n. 1470—1481. Bostoniae 1875. Dumas: Compend. Theol. mor. Tom. II n. 632—640. Ed. 3. Lugduni 1881. Theologia Mechliniensis: Tract. de Sacr. Poenit. Nr. 96 et 97. Aertnys: Fasciculus Theol. mor. de occasionariis et recidivis. Ed. IV. Tornaci 1898.

### C a s u s.

6. — *Titius adolescentulus ingenue et pudice educatus, a quodam perditissimo juvene primum ad tactus impudicos, tum denique ad ipsam pollutionem penitus sibi incognitam inductus fuit, et ita huic assuevit, partim prius quam noverat esse peccatum letale, partim etiam postquam a confessario edoctus fuit detestandam malitiam, ut etiam post plurima firma proposita desistendi, nihilominus relabatur una et altera vice per hebdomadem in idem foeditatis lutum. An huic confessarius neget absolutionem? 2)*

Resp. Confessarius 1. ab eo inquirat, an in confessione praeterita ulla remedia ad lapsus praecavendos ipsi fuerint praescripta. Si negat, confessarius apta remedia proponat observanda, quibus si uti promittat et de commissis peccatis doleat, eum omnino absolvat.

2. Si hujusmodi remedia Titio jam fuerint praescripta, eum interroget confessarius, num eadem abhibuerit; si affirmat, vel asserit se in tentationibus saepius vim sibi intulisse, per plures dies a peccato abstinuisse etc., vel ex quadam infelicitate, quia tentatio solito major suborta est, in peccatum recidisse, et alioquin de peccatis dolet, absolvendus erit, quia prae se fert signa extraordinaria seu specialia dispositionis; et eadem vel etiam efficaciora media, prout expediens videbitur, ipsi praescribantur studiosius exsequenda. Si poenitens ea non adhibuit, si eodem vel fere eodem modo lapsus est, non ideo statim sine absolutione est dimittendus; videat confessarius, an non in ipsa confessione vel adjunctis confessionis appareat signum speciale doloris et propositi requisiti (juxta exposita n. 4), et hoc deficiente eum ad contritionem excitare „caritatis industria“ (ut Leo XII. loquitur) satagat. Et profecto, si confessarium non pigeat hujus laboris, vix unquam signum speciale dispositionis desiderabitur in tali recidivo, qualis est juvenis in casu proposito. Caritate instante, patientia supportante, mansuetudine alliciente efficiet, ut (non statim, sed pedetentim) a peccati servitute penitus solutus ad libertatem filiorum Dei

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 463, *Ut autem*. Praxis confess. cap. 5 n. 76. H. A. Tr. ult. n. 14.

<sup>2)</sup> Elbel: De Sacr. Poen. Conf. IV.

sit perventurus. Frequentia Sacramentorum erit medium efficacissimum, quod injungere poterit hujusmodi poenitenti. Advertat etiam, quod valde practice suggerit s. Alphonsus: „*Semper proderit, quod confessarius hujusmodi recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere.*“ Praxis confess. cap. 5 n. 77.

§. 158.

**De poenitentibus piis.**

1. — Magna cura et solertia a confessario agendum est cum poenitentibus peccatorum gravium et vitiorum onere gravatis, ut vidimus; sed absit ut ab eo negligantur animæ pietatis studiosae. Acceptor est Dei oculis anima una perfecta, quam mille imperfectae, ait s. Alphonsus<sup>1)</sup> et subjungit: Unde cum videt confessarius poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis et divini amoris introducat.

Personis devotioni deditis ordinarie insinuare debet confessarius, ut singulis hebdomadibus Sacramentum Poenitentiae suscipiant. Et primum ejusmodi poenitentes excitare et dirigere debet, ut peccata etiam venialia prorsus voluntaria seu deliberata vitare, atque affectum erga illa exuere studeant. Confitentes peccata venialia, *non deliberate*, sed *ex humana infirmitate* seu fragilitate commissa, semper absolvendi sunt; confitentes venialia *deliberate*, sed *non ex habituali affectu* patrata, absolvendi, sed simul adjuvandi et excitandi sunt, ut serio conatu per media a confessario assignanda ab illis abstinere studeant; qui confiteri solent venialia *ex habituali affectu* seu *consuetudine*, sine ulla resistentia commissa, suspicionem insufficientis doloris et propositi injiciunt; ideoque ut valide et sine sacrilegio absolvantur, ad dolendum saltem de una culpa veniali, a qua magis abhorreant, et ad firmum emendationis propositum confessarius eos disponere satagat; quandoque autem eis, sine ulla resistentia in eadem peccata relapsis, sicut aliis recidivis absolutionem differat oportet.<sup>2)</sup>

Non facile impediat confessarius poenitentem de *imperfectio- nibus* se accusantem e. g. quod mane non renovaverit intentionem omnia ad Dei gloriam peragendi, preces sodalitatis piae non persolverit etc.; quia illarum expositio servit ad statum spirituales poenitentis melius cognoscendum, ad humilitatem exercendam,

<sup>1)</sup> Praxis confess. cap. 9 n. 121.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Praxis confess. cap. 5 n. 71, cap. 7 n. 99.

ad teneritudinem conscientiae fovendam; praeterquam quod imperfectiones saepius adjunctum habent peccatum veniale,<sup>1)</sup> coll. Lib. I. §. 126 n. 6. Idem dicendum de transgressionibus regularum in Ordine religioso, quae non obligant sub peccato.<sup>2)</sup> Quodsi poenitens confiteatur *tantum* imperfectiones, quae non certo ad culpas veniales pertingunt, vel alia peccata dubia: tunc confessarius observet, quae distincte exposita sunt §. 155 n. 2.

2. — Quod attinet directionem animarum piarum, confessarius eas excitet, ut constans *desiderium* majoris in dies perfectionis foveant. Eas *per gradus* et ordinate ad perfectionem dirigat. Hinc 1. illas doceat *imperare suis passionibus*, praesertim passioni praedominanti; ad quod egregie servit examen particulare. 2. Eas impellat *ad exercitium virtutum*, recto quidem ordine, nimirum ut a) incumbant *iis virtutibus, quas eorum status, conditio et officium requirunt*; quare non permittat feminis junioribus, ut vagentur per ecclesias aut in ecclesiis justo longius morentur cum perturbatione parentum vel aliorum; sed moneat eas, ut domesticos labores fideliter peragant, et omnia faciant, quae, quomodo et quando ea Deus fieri vult; divina enim voluntas est omnis perfectionis norma.<sup>3)</sup> Poenitentes pios b) instruat, ut sedulius exercent illas *virtutes, contra quas tentationibus impugnantur*. Denique c) eos moneat, ut non splendidiore et quae a hominibus majoris aestimantur, sed *virtutes praestantiores*, utiliores et quae Deo magis placent, prout humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, patientiam, misericordiam in supportandis proximi defectibus, avidiori studio prosequantur.<sup>4)</sup> Instet d) ut sint *in modico fideles*, grandia enim Deus a nobis non solet exposcere; <sup>5)</sup> doceat, cujusque perfectionem in eo sitam esse, ut *opera ordinaria* optime peragantur, quapropter etiam singularem curam esse habendam de recta agendi intentione.

<sup>1)</sup> Bene Card. Lugo: „Sicut infirmus omnia medico narrat, ut si invenerit curatione dignum remedium adhibeat: sic poenitens confessario, qui simul medicus est, potest absque vitio omnia narrare, etiam imperfectiones; quia ad confessarium magis spectat discernere, quae sit et quae non sit absolutionis materia, et ut confessarius magis perspectam habeat poenitentis conscientiam, et eo melius

de toto ejus statu judicare possit in ordine ad debitum remedium adhibendum.“ De Sacr: Poen. Disp. XVI Sect. 2 n. 103.

<sup>2)</sup> Voit: P. II n. 540, cum Lessio et aliis.

<sup>3)</sup> S. Alph. Praxis confess. cap. 7 101.

<sup>4)</sup> S. Franc. Sal.: Philothea P. III cap. 1 et 2.

<sup>5)</sup> Idem op. c. P. III cap. 35.

Si talis persona sit lapsa *in peccatum mortale*, non ideo abjicienda vel morose objurganda, sed erigenda et ad intensum de peccato dolorem simul atque timidiorum contra relapsum providentiam adhortanda erit.

Si *consolationibus* internis poenitens a Deo recreatur, confessarius eum doceat, in hisce virtutis essentiam non consistere, nec propriis meritis, sed divinae liberalitati eas esse adscribendas et cum humilitate accipiendas, eum in finem ut anima in amore Dei inardescens omnia ardua in ejus servitio fortiter superet, molesta quaeque patienter perferat. <sup>1)</sup>

Ad spiritus discernendos, motusque gratiae et naturae dignoscendos regulam generalem observet, a fructibus eos esse cognoscendos. Qui faciunt hominem alacriorem et promptiorem ad opera virtutum e. g. humilitatis, patientiae, obedientiae, eos a Deo provenire signum indubium est. <sup>2)</sup>

3. — Media perfectionis christianae sunt oratio, praesertim mentalis; cultus ss. Cordis Jesu et B. V. M., frequens auditio Missae, frequens Communio, lectio spiritualis, quotidianum examen conscientiae; quae passim in hoc opere exponuntur. Caveat confessarius, ne in iis, quae media sunt, poenitentes finem id est perfectionem ipsam reponant.

## §. 159.

### De scrupulosis.

1. — Scrupulus est inanis apprehensio seu levis suspicio, qua quis falso judicat, aliquid esse peccatum. Igitur *scrupulosi dicuntur, qui ex inani causa suspicantur et cum animi perturbatione metuunt peccatum, ubi non est.*

Scrupulorum causae sunt potissime naturalis hominis indoles, daemon et Deus.

1. *Hominis indoles*, nempe complexio naturalis melancholica, quae prona est ad timorem et suspicionem, ingenii imbecillitas, proprii iudicii tenacitas, anxia peccatorum etiam levissimorum vitandorum aviditas non raro ex superbia nata.

2. *Daemon*, qui imaginationibus falsis peccati seu commissi seu committendi animam terret, mentem perturbat, praesertim

<sup>1)</sup> S. Franc. S. op. c. P. IV cap. 13. ad sentiendos et dignoscendos spiritus,

<sup>2)</sup> Huc faciunt Regulae s. Ignatii in op. Exercit. spiritual.

si corpus pejus habet vel moerore tenetur animus, atque ita in turbido piscatur. A daemone esse scrupulos cognoscitur, si quis per illos se sentit ad teporem adduci, nimia defatigatione avocari a virtutum studio, se inclinari ad desperationem; si in minoribus mire angitur, et parvi pendet multo majora et graviora peccata, si ad vitam laxiorem et saecularia desideria proclivis redditur.

3. *Deus*, qui scrupulos permittit luminis vigorem detrahendo, ut homo peccata commissa vehementius detestetur, a peccatis longius recedat vel eorum umbram perhorescat, majori caritatis fervore Deo se conjungat, humilitatem, fiduciam, patientiam et obedientiam exerceat. Scrupulos a Deo esse dignoscitur, si animus peccati horrore perfunditur, desiderio se mortificandi pro peccatis et amore virtutis succenditur; praeterea, si sint a Deo, non diu solent durare, et magna animi pace terminari, nisi homo suo iudicio innitens obedire directori suo detrectet.<sup>1)</sup>

Haec causae sunt potissimae; nam causa scrupulorum quoque esse potest conversatio cum scrupuloso, directio confessarii scrupulosi, lectio librorum asceticorum justo severiorum.

Scrupuli ut plurimum versantur 1. circa actiones quotidianas, 2. circa pravas cogitationes, et 3. circa confessiones praeteritas.

## REGULAE.

2. — Respici 1. debet ad *causas* scrupulorum. Si *a) hominis indoles* est eorum causa, et quidem melancholica complexio, confessarius poenitentem jubeat parcum esse in imaginandis iis, quae tristitiam causant, nempe terrores mortis, iudicii, inferni; si mentis imbecillitas, confessarius illi fiducialem subjectionem in ipsius directionem injungat; si proprii iudicii tenacitas vel occulta quae-

<sup>1)</sup> Reuter: Neo-Confessarius P. III n. 257—260.

Etiam Sanctorum nonnulli scrupulos passi sunt. Benedictus XIV. in op. de Servor. Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 30 n. 20 scribit: „Legimus, nonnullos Sanctos scrupulorum tentatione fuisse, dum viverent, vexatos; inter quos s. Dominicus, s. Bonaventura, s. Ignatius, s. Maria Magdalena de Pazzis et Catharina Januensis. — Quocirca Cardinalis Fridericus Borro-

maeus: *de vera et occulta sanctitate Lib. III. cap. 6 haec de scrupulis habet: „Et quamvis hic animi habitus non sit usquequaque perfectorum proprius, sed maxime incipientium; fieri tamen potest, permittente Deo, ut ipsi etiam perfectissimi ita affecti reperiantur. Quamobrem non semper vere dicitur, timores insolitos et anxietates illas scrupulosorum, communi verbo sic notatas, ingruere in eos, qui sint adhuc incipientes et minus perfecti, etiamsi plerumque ita sese res habeat.“*

dam superbia est scrupulorum causa, confessarius illum ad profundam humilitatem adducere conetur. Si *b)* a *daemone* proveniunt scrupuli, poenitens instigandus et juvandus est, ut in proposito, inter quascunque anxietates et tribulationes Deo fideliter serviendi, inconcusse persistat, peccata omnia detestetur, sed cum firmissima fiducia in Dei misericordiam saepius elicienda, devotionis exercitiis fervidius adhuc incumbat.<sup>1)</sup> Si *c)* *Deus* scrupulos immittit, confessarius poenitentem admoneat, ad humilitatem et patientiam, et conetur eum in dies magis abstrahere a dilectione mundi et adducere ad caritatem Dei.<sup>2)</sup> — Si aliae sint scrupulorum causae supra memoratae, media adhibenda per se patent.

3. — Respici 2. debet ad *materiam* scrupulorum. Etenim *a)* scrupulosis, qui in omni actione se peccare formidant, injungendum est, ut libere agant, videlicet scrupulos contemnendo, imo et contra eos agendo, quoties evidens peccatum non appareat; utque postea de hujusmodi actibus confitendis prorsus abstineant. *b)* Scrupulosis, qui timent se pravae cogitationi consensisse, injungat confessarius, ut hujusmodi timorem despiciant, eosque doceat, non pravas cogitationes, sed pravos consensus esse peccata; eisque praescribat, ut prorsus abstineant ab hujusmodi cogitationum confessione, nisi jurare possint, se certe illis consensum prae-buisse. *c)* Scrupulosis, qui semper anguntur de confessionibus peractis, si confessarius sciat, eos sincere omnia exposuisse, strenue imponat, ne amplius de culpis praeteritis cogitent. Juxta meam experientiam plurimum juvat eis dicere: *Esto omnino quietus; ego omnia in me suscipio* (ich nehme alles auf mich).

4. — Suadeat confessarius scrupulosis otii fugam, occupationes modicas, etiam recreationes honestas. Numquam non autem inculcet illis *obedientiam* promptam et caecam, sine qua impossibile est eos ab hoc morbo molesto et periculoso sanare. Ideo etiam, quamvis generatim benigne cum eis agendum sit, quandoque *severitate* opus est, praesertim ubi judicii proprii pertinacia et inobedientia apparet; temperata vero sit suavitate caritatis.<sup>3)</sup> Sit confessarius brevis in responso ferendo et sine haesitationis signo, atque scrupulosi trepidationem sua firmitate devincat.

<sup>1)</sup> *Semper debet procedere modo contrario ei, quo procedit inimicus, sapienter s. Ignatius monet.*

<sup>2)</sup> *Instructio Eystett. pag. 245.*

<sup>3)</sup> *Reuter: Neo-Confess. n. 262.*

\* S. Ignatius: Regulae ad scrupulos sentiendos et dignoscendos, in op. Exercitior. spiritual. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. I. n. 11—19. Praxis confessarii cap. 7 n. 95—98. — *Instructio pastoralis* pro dioecesi Eystettensi pag. 243—246. Eystadii 1877. Reuter: Neo-Confessarius practice instructus P. III cap. 13 totum. Ed. nova et emendata Ratisbonae 1870. Editio germanica per P. Jul. Müllendorf S. J., Regensburg 1898. Zenner: Instructio practica confessarii P. II Sect. II cap. 1 §§. 225—259. Ed. 6. Viennae 1857. Pinamonti S. J.: Führer der Seelen cap. 8. Regensb. 1855. Quadrupani: Anleitung zur Lösung der Zweifel etc. Aufl. 4. Freiburg. 1891. Pruner: Pastoraltheologie S. 265—268. Paderborn 1900.

## §. 160.

**De conversis ab haeresi.**

1. — Haereticus conversus, si est rite praeparatus ad confessionem, benigne suscipiatur, atque examen conscientiae sufficienter quidem, sed non rigore cum eo instituat, imo onus confessionis omni quo licet modo relevetur.<sup>1)</sup> Inter alia interrogatu necessaria confessarius inquirat ab eo, quot annis vixerit in sua religione compos rationis et dubium habens de ejus veritate, — et utrum contempserit vel neglexerit inquirere, et quamdiu; an non dederit scandalum in rebus fidei, alios perverterit.

Si advertatur tantum fuisse haereticus *materialis*, a quovis quidem absolvi potest; item si deprehendatur fuisse haereticus *formalis*, ignoraverit tamen, haeresi formali adnexam esse excommunicationem, quae ab ignorante eam non incurritur. Expediit tamen pro omni casu antea impetrare facultatem absolvendi ab haeresi.<sup>2)</sup>

„Adhortationes imprimis dogmatibus superstruantur, de quibus conversus aliter prius sentiebat; poenitentia non nisi levis imponatur.“<sup>3)</sup> Absolutioni sacramentali in prima confessione absolutio ab haeresi formali praemittatur.

2. — Si haereticus in sinum Ecclesiae catholicae rediens sub conditione rebaptizetur, debet confessionem sacramentalem, eamque integram peragere, et absolutio danda est sub conditione, non ante, sed post iteratum Baptisma. Constat ex sequenti decisione:

Proposito dubio, an debeat confessio sacramentalis a neo-conversis et sub conditione rebaptizandis in Anglia exigi, et an

<sup>1)</sup> Instr. Eyst. pag. 255.

externo debet semper a censura absolvi.

<sup>2)</sup> Reuter op. c. n. 202. Pro foro

<sup>3)</sup> Instr. Eystett. pag. 255.

debeat esse integra, S. C. Officii die 17. Dec. 1868 respondit: *Affirmative; et dandum esse Decretum latum sub Feria V die 17 Junii 1715.* Ibi proposito dubio, an quidam lutheranus sectae Quietistarum, sanctae fidei catholicae reconciliatus, *esset rebaptizandus; et quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative, an confessio praeposenda sit vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione?* Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, dixit: *Esse rebaptizandum sub conditione, et collato Baptismo, ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.*

3. — In reconciliandis haereticis triplex distinguitur procedendi methodus:

1. Si Baptismus *absolute* confertur (dum nempe constat, eum nulliter fuisse collatum), nulla sequitur abjuratio nec absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum regenerationis. 2. Si Baptismus *sub conditione* est iterandus, hoc ordine procedendum erit: *a)* abjuratio seu fidei professio, *b)* Baptismus conditionatus, *c)* confessio sacramentalis cum absolute censurae et peccatorum conditionata. 3. Quando denique *validum* iudicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur. Ita S. C. Off. 20. Julii 1859.<sup>1)</sup>

Sola professio fidei exigenda est ab iis qui nondum compleverunt annum decimum quartum, a reliquis insuper formalis abjuratio sectae. S. C. Inq. 8. Martii 1882. Abjuratio coram quopiam ab episcopo delegato ut notario et aliquibus personis uti testibus fieri potest, et quidem privatim, sive agatur de iis qui a fide catholica defecerunt et ad eam reverti cupiunt, sive de iis qui in haeresi ab initio educati fuerunt, dummodo tamen promissa servant ac revera abstineant communicare cum haereticis in spiritualibus aut quidquam facere, quod haeresis protestativum sit. Ita declaravit approbante S. Pontifice S. Off. 28. Martii 1900.<sup>2)</sup>

4. — Si acatholicus *in articulo mortis* ad fidem catholicam redire voluerit, professionem fidei coram duobus saltem testibus emittere debet, ad minimum quoad ea, quae explicite credenda sunt necessitate medii et praecepti; atque ad omnes cavillationes adversariorum praecavendas hic actus conversionis in publico instru-

<sup>1)</sup> In Collectione Lacensi Concilior. Tom. III pag. 550. Friburgi 1875.

<sup>2)</sup> Anal. eccl. Vol. 8 p. 191.



mento statim describatur. Dein rite dispositus per actus fidei, spei, caritatis, doloris et propositi, deinde peracta confessione absolvatur ab excommunicatione et a peccatis, ac postremo ss. viatico et Extrema Unctione reficiatur.

b) *Observanda a confessario circa poenitentes externa conditione diversos.*

§. 161.

**Confessarius puerorum et adolescentium.**

1. — Cum *pueris*, dicit s. Alphonsus,<sup>1)</sup> confessarius adhibere debet omnem caritatem et modos suaviores, quantum fieri potest.

Primum curare debet, ut pueri ipsi peccata sua explicent; si vero in hoc deficient, praesertim si videantur timore vel verecundia angi, juvandi sunt per has vel similes quaestiones: An mane et vespere orasti? An diebus dominicis et festis devote Missae interfuisti? An catechismum didicisti? An parentibus vel magistris inobediens fuisti? An quidquam parentibus vel aliis abstulisti? An mentitus es? etc. Si puer videatur audacior, interrogari poterit, caute tamen, num cum sociis indecenter egerit? Si fateatur, interrogari poterit, quid fecerit? — Si peccatum veniale ex gravioribus confiteatur e. g. furtulum, expedit interrogare, an frequenter illud commiserit, ut sic paulatim addiscat numerum peccatorum gravium explicare.<sup>2)</sup> Furta minuta, etiam in parentes commissa, haud leviter perstringat confessarius, et si pecuniam aut rem aliam adhuc retinet, jubeat puerum occulte eam restituere.<sup>3)</sup> Si pueri conscientia deprehenditur erronea, corrigenda est, ne in posterum ex tali conscientia peccet.

Dein excitet eum confessarius ad actum contritionis elicendum, e. g. An diligis Deum, qui est Dominus tuus tam magnus et bonus, qui te creavit, pro te mortuus est etc.? Hunc Deum tu offendisti. — Ipse tibi veniam dare vult, sed oportet poenitere. Quid dicis? poenitet nunc te, quod eum offendisti etc.? Ecce, Deum tam bonum et amabilem offendisti, et in altera vita puniri meruisti! Dole ergo fili, et detestare peccata; Deus meus, nolo amplius te offendere .<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Praxis confess. cap. 6 n. 90.

<sup>2)</sup> Instr. Eyst. pag. 247.

<sup>3)</sup> Gury: Casus consc. Tom. II n. 716, 717.

<sup>4)</sup> Vid. s. Alph. op. c. n. 91.

Poenitentia pueris injungenda est levis; magnopere commendanda, insinuanda eis devotio erga B. M. V saepe eam invocando his vel similibus precibus: *Mater mea, custodi me a peccato mortali.*<sup>1)</sup>

2. — Potiora de puerorum confessione dicta etiam confessionibus *adolescentium* utriusque sexus conveniunt. Pro hac aetate vix aliquid consultius invenitur, quam frequens susceptio Sacramentorum. Inducantur porro, ut tentationes fideliter aperiant, ne mediis destituti succumbant; ut malos socios veluti daemonis emissarios fugiant, aspectum morosum alterius sexus vitent, libellos pietati vel honestati noxios abominentur.

Si ab adolescente consulitur confessarius de status electione, non illico ipse statum determinet, sed ex indiciis probe consideratis et pensatis suadeat statum illum amplecti, ad quem prudenter judicare potest adolescentem a Deo vocari.<sup>2)</sup>

Haud facile permittat puellis, suam virginitatem Christo devovere desiderantibus, ut perpetuae castitatis votum emittant, sed per aliquod tantum tempus e. g. ad annum ejusmodi votum faciendum concedat, nisi in virtute jam satis sint fundatae et probatae.<sup>3)</sup>

### §. 162.

#### Confessarius feminarum.

Confessarius in genere ne magis inclinat ad confessiones mulierum quam virorum excipiendas.<sup>4)</sup> Non nisi in loco patenti et ad crates audiat mulierum confessiones, — illarum aspectum caute fugiat, — breviter eas, maxime si frequentius confitentur, expediat, omnia ad rem non pertinentia devitans vel abrumpens, — severum potius (ut s. Ignatius monet), *quam familiarem se exhibeat; in universum tamen paterna quaedam et spiritualis gravitas in eo eluceat.* Non ideo feminae, quia sanctiores sunt, minus cavendae;

<sup>1)</sup> S. Alph. l. c.

<sup>2)</sup> Idem cap. 7 n. 92. In hanc rem utilissimae sunt *Regulae de electione facienda*, a sancto Ignatio in libro *Exercit. spirit. propositae*.

<sup>3)</sup> S. Alph.: Praxis conf. n. 93.

<sup>4)</sup> S. Francisc. Xaverius ait: „*Quoniam feminae plerumque multum negotii facessunt, cum eis haec*

*tenenda maxime est cautio, ut viros Christo adjunctos impensius excolas quam eorum uxores. Nam cum natura constantiores sint viri, et ab eis domestica pendeat disciplina, rectius profecto apud eos atque utilius opera collocatur*

*Et simul multae offensiones sermonesque, qui oriri solent in feminarum familiaritate, vitantur.*“

quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, s. Augustinus observat.<sup>1)</sup> *B. Clemens Maria Hofbauer* sollicite sacerdotes juniores monebat, ne suis viribus temere confiderent; namque *mulieres* (ajebat) *sunt semper mulieres, et donec quidquid est feminineum non deterserint, uti s. Theresia et aliae sanctae mulieres, semper sunt periculosae.*<sup>2)</sup>

## §. 163.

**Confessarius sponsorum.**

Si sponsi immediate ante nuptias confitentur, evenire potest, quod non sunt rite dispositi, vel proferunt casum reservatum, vel implicati sunt impedimento matrimonii.

1. — I. Si *indispositi* se sistunt sacro tribunali nupturientes, confessarius omni caritatis zelo ad integram confessionem, verumque dolorem de peccatis commissis, propositumque firmum disponere adlaborabit; re *incassum* peracta eos tamquam indignos sine absolute dimittere debet; absolvendo enim eos grave sacrilegium committeret. Non tamen neganda schedula peractae confessionis iis petentibus, si revera sunt confessi. Sponsos *dubie dispositos*, dubio permanente, confessarius sub conditione absolute potest, et etiam debet, ut supra §. 154 n. 4 habitum est. In utroque autem casu eos gravibus admoneat verbis, ut ad matrimonium digne ineundum contritione perfecta sese praeparent, eosque inducat, ut mox iterum confiteantur, nihil dicens de sacrilegio indigne contrahentis, ut sic minus saltem peccent; nisi ex tali monitione salubris fructus speretur.

Quoad casum difficilem, quo sponsa confitetur turpe peccatum, et sponsus complex idem peccatum tacet, confessarius agat juxta dicta §. 152 n. 3 sub 2.

Sponsi, qui hactenus *in occasione proxima* constituti inter se peccarunt, immediate ante matrimonium vere contriti absolvi de-

<sup>1)</sup> Doctor Angelicus ait: „*Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, ipsis tamen magis pernicioso, quando conversantur cum persona, quae spiritalis videtur; nam quamvis principium videatur purum, tamen frequens familiaritas domesticum est periculum; quae quidem familiaritas, quanto plus crescit, infirmatur principale motivum et puritas*

*maculatur.*“ Et subjungit, quod tales personae hoc non statim advertant: quia diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo, quae aliquantulum feriunt et augent affectum. Vid. s. Alph. Praxis conf. n. 119.

<sup>2)</sup> Acta Beatificat. pag. 104. Romae 1873.

bent; occasio enim cessat et scandalum tollitur per ipsum matrimonium. Item sponsi *recidivi* in quocunque vitio absolvantur, dubie dispositi sub conditione.

2. — II. Sponsos, qui immediate ante nuptias *peccatum reservatum* confitentur, confessarius facultate absolvendi a reservatis destitutus, *indirecte* absolvere potest ab illo peccato, injuncta iis obligatione idem peccatum confitendi in confessione proxima vel sibi facultate absolvendi interim impetrata vel alii sacerdoti, qui jam habet facultatem absolvendi,<sup>1)</sup> v. §. 145 n. 3.

3. — III. Parochus vel alius sacerdos ex confessione sponsorum cognoscens *impedimentum dirimens matrimonii*: si 1. hoc est *dispensabile*, poenitentem edocere debet, ut dispensationem petat et interim a nuptiis absteineat, — nisi sit in bona fide, nullusque ex *admonitione* speretur fructus; tunc enim omittere debet monitionem de impedimento, donec ipse obtinuerit pro sponsis dispensationem, quia melius est permittere peccatum materiale, quam occasionem peccati formalis praebere.<sup>2)</sup> Si vero 2. impedimentum est *indispensabile* vel tale, a quo numquam Apostolica Sedes dispensare solet, confessarius instare debet, ut poenitens omne commercium cum persona sibi desponsata abrumpat; secus eum absolvere non posset.

*Quid vero agendum, si sponsi cum amicis invitatis jam accesserint ad matrimonium in ecclesia celebrandum, et alter eorum manifestet confessario impedimentum dirimens, ac matrimonium sine scandalo et infamia gravi differri nequeat?* In hoc casu distinguat confessarius: 1. Si impedimentum est *publicum*, sponsi ad contrahendum matrimonium nullo modo admitti possunt; quia scandalum, quod ex nuptiarum celebratione eveniret, omnibus aliis incommodis praeponderaret.<sup>3)</sup> 2. Si impedimentum est *occultum*, et quidem a) *indispensabile* seu tale, a quo nunquam dispensari solet, confessarius eos adigere debet, ut nuptias omittant et vitae consortium abrumpant; serio promittentes potest absolvere, secus non; — si b) *dispensabile*, tunc si suppetit tempus, recurrendum est ad episcopum, qui in hujusmodi casu ex potestate ordinaria dispensare potest, prouti in aliis legibus pontificiis, quando aditus ad Papam est impossibilis et periculum in mora; quodsi nec ad episcopum

<sup>1)</sup> In nonnullis dioecesibus (etiam in Viennensi) pro hoc casu confessariis ab Ordinariis in antecessum delegata est facultas directe absolvendi; quod

certe optimum est et ubique maxime consulendum.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 612.

<sup>3)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 1122.

fieri possit recursus et nullo modo vitari periculum gravissimi scandali aut infamiae, parochus vel alius confessarius judicare potest, legem impedimenti eo casu non obligare, quia esset magis nociva quam utilis; attamen saltem pro majori securitate et etiam pro reverentia legibus Ecclesiae debita recurrere debet ad S. Poenitentiarium vel Ordinarium facultatibus quinquennialibus instructum, ut obtineat dispensationem seu potius declarationem, quae talis probetur agendi ratio.<sup>1)</sup>

Sponsa, quae non impetrata dispensatione inire vult *matrimonium mixtum*, tamquam indisposita absolvi nequit, bene autem postea matrimonio inito, si sincere doleat et promittat promittenda, ex dicendis infra §. 217 n. 2.

### §. 164.

#### Confessarius conjugum.

1. — Ut statim materiam de impedimento matrimonii in confessione cognito prosequamur, quaestionem enodabimus, quid sit a confessario faciendum, si ex confessione conjugis percipit, matrimonium fuisse initum cum impedimento dirimente?

1. Si hujusmodi impedimentum est *dispensabile* et poenitenti *cognitum*, confessarius ei interdicat usum conjugii, donec obtenta fuerit dispensatio, quam confessarius ipsi procuret oportet; — si impedimentum poenitenti est *ignotum*, et periculum subest scandali vel incontinentiae impedimento manifestato, confessarius illud occultare et interim dispensationem impetrare debet,<sup>2)</sup> nisi episcopus (desuper consulendus) censeat sanationem matrimonii in radice a Sede Apostolica petendam.

2. Si impedimentum est *indispensabile* et utrique conjugi notum, tunc confessarius interdicere debet usum conjugii, et nullo exstante

<sup>1)</sup> Sic idem s. Doctor Lib. VI. n. 613. — Quoad matrimonii impedimentum *occultum affinitatis cujusvis gradus ex copula illiciti carnali provenientis*, quod immediate ante nuptias non amplius differendas in confessionali detegitur, in dioecesi Lincensi sacerdotes gaudent facultate „dispensandi super hoc impedimento, tantum in matrimoniis *contrahendis*, quando tamen omnia parata sint ad nuptias

nec matrimonium, usquedum per Ordinarium obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat, et quatenus agatur de copula habita cum matre mulieris, dummodo illa secuta fuerit *post* ejus nativitatem: remota semper occasione peccandi et injuncta poenitentia salutari.“ V Linzer Dioecesanblatt 1898 Nr. 5.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 611.

periculo incontinentiae permittere potest, ut instar fratris et sororis cohabitent, secus separationem urgeat legitime faciendam. Si tale impedimentum poenitenti est *ignotum*, tunc si praevideatur, quod admonitus conjugem putativam non desereret ob scandalum, infamiam vel alia incommoda gravissima, praesertim si proles jamjam susceperint: praestat conjuges in bona fide relinquere, ne exponantur periculo peccandi formaliter.<sup>1)</sup>

2. — Confessarius in personis conjugatis mutuam amorem, pacem et concordiam fovere studeat; non statim conjugi contra conjugem querenti fidem habeat, nisi res sit aperta; melius erit re dissimulata commendare orationem, patientiam, mansuetudinem.

De debito conjugali confessarius absque gravi causa numquam mentionem faciat, et satis erit, ubi res postulat, mulierem interrogare, num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus praestiterit. S. Poenitent. 8. Junii 1842. Si ex confessione constet, maritum ad generationem proles impediendam juribus matrimonii abuti, confessarius respiciat Decreta S. Poenitentiariae, Lib. II. §. 171 n. 13—16. Si consulitur de abstinentia ab usu matrimonii ex mutuo conjugum consensu, hoc regulariter non indulgeat, nisi ad brevissimum tempus, et probata firma eorum pietate.

c) Observanda a confessario quoad poenitentes defectibus physicis obnoxios.

### §. 165.

#### De confessione muti, surdi et patriae linguae ignari.

1. — I. *Mutus*, qui non simul surdus, in loco remoto signis et nutibus, quoad potest, unum vel alterum peccatum explicare debet, et adjuvandus est interrogationibus, quibus sic respondeat. Quodsi scribere sciat, monendus est, ex sententia communiore, ut sua peccata per scripturam confessario exhibeat, coll. §. 119 n. 1, modo absit incommodum extraordinarium aut periculum manifestationis, quod alioquin removeri potest, si scriptura statim aboleatur. Si legere sciat, quaestiones de peccatis ipsi in scripto proponi et poenitentia eodem modo praescribi possunt. Mutus non solum in mortis articulo, sed etiam tempore paschali sic confiteri tenetur.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Vid. Elbel: De matr. conf. XIV n. 338—342.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 479 H. A. Tr. 16 n. 35. Reuter: Neo-Confessarius P. II. n. 194.

2. — II. *Surdus et simul mutus* in loco separato iisdem mediis, quae mox indicata sunt, peccata sua confiteatur; et confessarius saltem uno alterove peccato cum signo doloris intellecto, si plus obtinere non potest, eum absolvere tenetur. Addit s. Alphonsus: „Sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de ejus dispositione.“<sup>1)</sup>

*Surdaster*, qui examinari non potest, quin a circumstantibus audiatur, ducendus est ad locum remotum, ut ejus confessio audiatur. Si autem id fieri non potest, et confessarius sub initium confessionis surditatem poenitentis advertit, ei imponat, ut redeat alio tempore et loco, ubi libere possit confessarius cum ipso loqui, quin ab aliis audiatur. Si vero id advertit in progressu confessionis, non licet confessario alta voce imponere poenitenti, ut alio tempore rursus veniat, quia magna suspicio circumstantibus daretur, quod poenitens confessus sit grave peccatum; ideoque in tali casu confessarius intellectis peccatis meliori modo, quo possit, eum absolvat, et absolute quidem, si dispositum agnoscat, sub conditione, si de ejus dispositione dubitet, et levem ei poenitentiam imponat.<sup>2)</sup>

3. — III. *Ignarus idiomatis*, quo utitur confessarius, tempore praecepti et alicujus necessitatis tenetur saltem per signa se accusare in genere et manifestare dolorem de peccatis; quo facto absolvi potest.<sup>3)</sup> Quodsi per signum possit aliquod speciale peccatum satis indicare, ad hoc utique obligatur. Postea autem confessario, a quo intelligi potest, singula peccata mortalia confiteri tenetur.

Quaeritur: *Ad idiomatis ignari possint ac debeant per interpretem confiteri?*

Resp. 1. Possunt, si velint, per interpretem confiteri. Constat ex Resp. S. C. de Propag. Fide 19. Julii 1838: „*Quamvis, docente*

<sup>1)</sup> Praxis Confess. cap. 7 n. 102. Reuter op. c. n. 195 observat: „Putant quidem aliqui, surdum et mutum a nativitate incapacem esse absolutionis, eo quod nequeat habere actus supernaturales fidei et spei; at Deus, qui omnes vult salvos fieri, suis inspirationibus fidem necessariam suggerere atque ad actum spei excitare recte creditur.“ Item et fuse

Müller ipse ad quaesitum: Können Taubstumme von Geburt, die keinen Unterricht in der Taubstummen-Anstalt genossen, absolviert und zur hl. Communion zugelassen werden? respondit per Linzer Dioces. anblatt 1888 Nr. 5. (Ed.)

<sup>2)</sup> Ita s. Alph. H. A. Tr. 16 n. 35 et 155.

<sup>3)</sup> Idem H. A. Tr. 16 n. 35.

*S. Tridentina Synodo, nullo sit divino praecepto mandatum, nec satis consulto lege aliqua humana praecipere possit, ut delicta, praesertim secreta, publica confessione aperiantur; tamen visum est Patribus eidem S. Synodo inhaerentibus eos, qui volunt sponte per interpretem confiteri, nec aliter possunt, non debere. prohiberi: sufficere praecaveri abusus et scandala et curare, ut interpretes admoneantur de obligatione ad observantiam secreti.*<sup>1)</sup>

Resp. 2. Non tenentur per interpretem confiteri; nam S. Cong. Conc. 28. Febr. 1633 declaravit, ignaros idiomatis, qui interprete uti nolunt, *posse et debere absolvi.*<sup>2)</sup>

4. — Cum non raro in nostris regionibus occurrant casus de absolvendis in articulo mortis poenitentibus, qui idiomatis patriae imperiti volunt per interpretem confiteri, duos modos proponendos duco, quibus confessio per interpretem fieri possit, quin interpres ipse percipiat peccata a poenitente accusata.

1. Interpres faciem a poenitente avertat, ita ut nullo modo illum conspiciere possit; dein confessarius interrogationes nonnullas interpreti faciat, interpres poenitenti in ipsius idiomate easdem recitet; porro poenitens ad singulas quaestiones nutu significet confessario, an peccaverit, simul atque numerum per digitos significet.<sup>3)</sup>

2. Interpres interroget poenitentem de peccatis a confessario propositis, atque poenitens, si commiserit peccatum, manum confessarii premat, et etiam numerum repetitis tactibus exprimat.<sup>4)</sup>

## §. 166.

### De confessione et absolute infirmi seu moribundi.

1. — Confessarius *infirmum* debet in confessione peragenda adjuvare, prout tempus fert et discretio dictat; praesertim interrogando, an nihil voluntarie in confessionibus praeteritis omiserit; — sed caveat, ne multum eum de specie et numero peccatorum examinet, quando nimia defatigatio aut instans mortis periculum id non permittit. Praestat tunc contritionem confitentis quam integritatem confessionis procurare, a qua impotentia physica vel moralis excusat, manente tamen obligatione, postea si convaluerit,

<sup>1)</sup> Adnotator ad Compend. Gury ed. Rom. 1873. Tom. II pag. 289.

<sup>2)</sup> Idem pag. 285.

<sup>3)</sup> Voit: P. II n. 574.

<sup>4)</sup> Reuter: Neo-Confessarius P. III c. 3 n. 196.



integre confitendi. Praeterea poenitentiam tantum levem vel levis-  
simam infirmo imponat, ut §. 126 n. 1 observatum est. Ubi vero  
fieri potest, confessio generalis cum aegroto instituat, nisi ex  
perspecta ejus probitate illa superflua videatur.

Quoad moribundum attende: 1. *aut* nondum est sensibus  
destitutus, et speciale peccatum confiteri aliquo modo potest vel  
non potest; 2. *aut* jam destitutus est sensibus, et antea vel desi-  
deravit vel non desideravit confiteri vel est in ipso actu peccati.  
Porro praemittere debeo, quod non idem est, usu sensuum esse  
privatum, et usu rationis esse destitutum. Moribundus, qui jam  
usum sensuum non habet, excepto forte auditu, nihilominus potest  
habere usum rationis saltem per lucida intervalla. De se quidem  
Petrus Marchantius testatur, quod in extremo periculo constitutus,  
usu sensuum privatus fuerit, excepto auditu, et quod nihilominus  
rationis usum habuerit. <sup>1)</sup>

2. — I. Moribundus *nondum sensibus destitutus*, qui voce vel  
nutu capitis aliove signo peccatum aliquod speciale confiteri valet,  
etiam ad id tenetur, et tunc ad contritionem excitatus absolvatur.  
Qui speciale peccatum confiteri nequit, sed dat signa poenitentiae  
sacerdoti praesenti et ostendit se velle absolutionem: omnino ab-  
solvendus est, absolute si nulla de ejus dispositione prudens dubi-  
tatio subest, secus conditionate. In hoc casu absolutio *directe* cadit  
super peccata generice manifestata per signa doloris et desiderium  
absolutionis, *indirecte* in peccata specialia in illa manifestatione  
generica inclusa; quapropter poenitens postea si poterit, peccata  
particulariter explicare debebit, ex dictis §. 122 n. 1.

II. Moribundus jam sensibus destitutus, a) si signa poenitentiae  
vel desiderium confessionis antea manifestavit, absolvendus est,  
quia „per testes satis sensibilibus fit nota infirmi confessio et est  
veluti confessio per interpretem“. Constat et Rituali Romano de  
Sacr. Poen., ubi dicitur: „*Etiam si confitendi desiderium sive per se  
sive per alios ostenderit, absolvendus est.*“ Tutius autem absolutio  
sub conditione illi erit impertienda, formula contritionis a confes-  
sario ad ipsum prius recitata, ut si forte sui compos sit, melius  
disponatur. b) Si nullum signum doloris vel petitionis Sacramenti

<sup>1)</sup> Tribunal Sacram. P. I Tr. IV  
tit. 4 q. 3 dub. 7. Idem alii aegroti  
confessi sunt. Cicero: De divina-  
tione Lib. 1. n. 30 scribit: „Appro-

pinquante morte animus multo est  
divinior. Eos, qui secus, quam decuit,  
vixerunt, peccatorum suorum tum  
maxime poenitet.“

dederit, absolvi potest et debet conditionate, dummodo christiane vixerit. Etenim praesumi potest, quod talis moribundus in aliquo lucido intervallo ope divinae misericordiae excitatus et adjutus dolorem de peccatis cum desiderio confitendi elicuerit et aliquatiter, licet non satis perspicue, manifestaverit vel manifestet e. g. per suspiria, gemitus, varios motus oris, oculorum etc., ita ut saltem generica peccatorum accusatio habeatur, in qua peccata specialia sunt inclusa, ut supra diximus.<sup>1)</sup> Ita communius docent Theologi, imo jam docuit s. Augustinus.<sup>2)</sup> Et plane idem dicendum, etiamsi moribundus parum christiane, imo scelerate, in peccatis etiam publicis vixerit, modo non constet, eum esse haereticum; quia etiam in illo ex immensa Dei misericordia praesumi potest poenitentia interna et voluntas confitendi externis signis aliquatiter manifestata. Id cum s. Augustino<sup>3)</sup> communius censent Theologi. Excipitur haereticus, etsi signa poenitentiae dederit; nisi expresse petierit vel petat confiteri, quia praesumi nequit, illa signa habere relationem ad confessionem, a qua tantopere haeretici abhorrent. Sed excipi possunt sic dicti *Veteres catholici*, qui hactenus confessionem sacramentalem non rejiciunt.

Haereticus, qui in Ecclesia catholica fuit natus et educatus, moribundus et sensibus destitutus poterit conditionate absolvi, insinuatis prius actibus fidei et contritionis, quia ratio est praesumendi, hujusmodi haereticum velle in communione Ecclesiae mori. Et idem dici poterit de haeretico, qui licet in haeresi natus et educatus, voluntatem proclivem in fidem catholicam ostenderit.<sup>4)</sup> In dubio, an sit haereticus aut catholicus, pariter sub conditione absolvatur.

c) Si moribundus in ipso actu peccati v. c. in duello, ebrietate, est sensibus destitutus, satis probabiliter (ut loquitur s. Alphonsus) adhuc est sub conditione absolvendus. Et idem dicen-

<sup>1)</sup> Moraliter fieri nequit in hac nostra natura composita, ut dolor et desiderium, se subjiciendi clavibus Ecclesiae, quae interne habentur, nullo actu sensibili se manifestent, licet ab aliis forte non animadvertatur, vel quia praesentes non sunt vel quia signa non valent distinguere. Hinc sicut in moribundo sensibus destituto potest praesumi poenitentia, ita pari omnino jure praesumitur

poenitentia manifestata in ordine ad se subjiciendum clavibus. Franzelin: De Sacr in genere pag. 39. Romae 1868.

<sup>2)</sup> Lib. I. de adulter. conjug. cap. 26.

<sup>3)</sup> Ibid. cap. 28.

<sup>4)</sup> Kenrick: Theol. mor. Tract. XVIII n. 211. Konings: Theol. mor. Vol. II n. 1371.

dum puto de illo, qui antequam sensibus est destitutus, dixerat, *se nolle confiteri*. Vel quis divinae misericordiae, cuius non est numerus, limites ponere velit, ut impossibile dicat, hujusmodi moribundum Deo auxiliante in lucido aliquo intervallo dolorem de peccatis et desiderium absolutionis concipere, quamvis sensibilibiter haud percipiantur? Et alioquin, cum Sacramenta sint propter homines, in extremis extrema sunt tentanda. Sed in hoc, prout in prioribus casibus, sacerdos antequam absolutionem dicat, per aliquam brevem formulam in moribundo, sui forte compote, contritionem excitare conetur.

⟨ **Conclusio practica:** *Moribundum catholicum* vel non certe haereticum a confessione abhorrentem in omni casu, quo non evidenter constat eum jam esse mortuum vel actu esse prorsus indispositum, sive absolute sive conditionate (pro ejusdem conditione) absolve, actu contritionis antea ipsi suggesto, si nulla poenitentiae signa dederit. Porro: quandocumque Extremam Unctionem moribundo administras, antea absolutionem sacramentalem eidem impertire non omittas; par est utriusque Sacramenti ratio. Ne sit parcus villicus, quum dives et liberalis sit Dominus!⟩

\* S. A l p h o n s u s; Theol. mor. Lib. VI. n. 480–483. Videri etiam potest dissertatio de sacramentali absolutione moribundorum, in foliis theolog. „Linzer theol.-pract. Quartalschrift“ 1884. Pag. 257–264.

### §. 167.

#### Casus difficiliore in excipiendis infirmorum confessionibus.

1. — Infirmus obligatus ad aliquid in vita praestandum, jubeatur id statim, si valeat, adimplere. Sed possunt hoc respectu difficiliore casus occurrere nunc expendendi.

**Casus I.** Si graviter decumbens est *concupinarius*, et a) concubinatus *publicus*, tunc induendus est, ut vel matrimonium cum concubina quamprimum ineat vel concubinam dimittat, ad scandalum removendum. Quodsi mulierem nec ducere in matrimonium, nec dimittere possit e. g. quia adeo est derelictus, ut ea dimissa neminem habeat, qui ipsi necessaria praestet, tunc absolvendus aliisque Sacramentis muniendus est, modo vere contritus promittat, se finita confessione coram adstantibus esse declaraturum propositum, dimittendi mulierem statim ac sanitatem recuperaverit; in tali enim necessitate scandalum reparatur eo modo, quo reparari potest. Verum b) si concubinatus est *occultus*, tunc sufficit, ut

aegrotans confessario promissionem faciat vel ducendi, vel dimittendi mulierem statim si ipsi non est necessaria et sine gravi infamia et scandalo dimitti potest, secus tunc quando convaluerit; nullaque declaratione coram adstantibus facta, ne turpe commercium, quod est occultum, fiat manifestum, vere contritus absolvi debet. — In utroque autem casu, si concubina non possit statim removeri, curandum est ab infirmo, ne concubina prope ipsius lectum dormiat nec accedat ad eum, nisi necessitate urgente, ad familiaritates et tentationes periculosas vitandas.<sup>1)</sup>

2. — **Casus II.** Si graviter decumbens in *matrimonio mere civili* vitam degit, confessarius inquiret, an non matrimonio juxta formam Tridentinam ineundo impedimentum canonicum obstet.

a) Si *nullum* impedimentum subsistit, confessarius aegrotanti persuadeat, ut cum muliere sibi civiliter conjuncta coram paroco et testibus contrahat matrimonium. Ipsi adnenti absolutio danda, renuenti deneganda est. Det operam confessarius, ut matrimonium dispensatione ab omnibus proclamationibus obtenta quamprimum contrahatur.

b) Si *exstat* impedimentum, a quo tamen *dispensari potest et solet*, confessarius moveat infirmum, ut velit se conformare Ecclesiae legibus. Si annuat et alioquin (ut semper supponitur) sit dispositus, confessarius eum absolvat, et nisi ille sit in extremis,<sup>2)</sup> dispensationem necessariam ad celebrandum matrimonium ipsi procuret. — Quid autem, si tale sit impedimentum, ut ab eo *dispensari non possit vel non solet*? Non deneget confessarius absolutionem infirmo, si sincere promittit se, ubi convaluerit, hac in re esse obtemperaturum Dei et Ecclesiae legibus. Hoc exigere justum et necessarium est; plus efficere, nec tempus nec modus suppetit. Et si infirmus ignoret impedimentum indispensabile, in bona fide relinquendus est.

Quando *publice* constat, infirmum non in facie Ecclesiae matrimonium contraxisse, scandalum ab eo coram adstantibus reparari debet similiter ac dictum est n. 1.

3. — **Casus III.** Si mulier infirma a marito suo propria auctoritate est separata, confessarius instet, ut vitae consortium, quamprimum poterit, cum ipso redintegrare velit; si id facere recuset, exstante canonica causa, poterit eam absolvere, modo offensionem

<sup>1)</sup> Cf. Frassinetti: Practisches Handbuch für den angehenden Pfarrer. II. Th. n. 365—368.

<sup>2)</sup> De casu extremae necessitatis legatur infra dictum §. 214 n. 3.

dimittat et parata existat signa caritatis conjugii suo exhibere. Si absque gravi causa a viro discesserat, promittere debet se sanitate recuperata ad virum esse redituram, idque etiam coram adstantibus declarare, si res publica est, ad scandalum tollendum.

Conjugem aegrotantem, quae civili tantum auctoritate est separata a viro suo, si versetur in bona fide, non inquietandam esse puto.

4. — **Causus IV.** Infirmis, qui ad restitutionem obligatus existit, statim si possit obligationi satisfacere debet vel per confessarium vel conjugem vel fidum amicum; — quodsi illico non possit, obliget haeredem in testamento, ut post ipsius mortem det illico tantam pecuniae summam, quanta est restituenda, confessario vel fido amico, ut eam expendat juxta cognitam testatoris voluntatem.

5. — **Causus V.** Confessarium in periculo mortis ab omnibus peccatis et censuris *reservatis* absolvere posse, notum est. Attamen infirmus, qui ob *crimen notorium* irretitus est censura ecclesiastica, absolute donari nequit, nisi verae resipiscentiae signis editis coram uno et altero teste nitatur reparare scandalum datum sive retractatione sive declaratione voluntatis, injuriam Ecclesiae illatam, quoad fieri poterit, resarciendi.

6. — **Causus VI.** Sacerdos *de mala dispositione moribundi* audiens, eum visitet, iteratis vicibus, si opus est, et ipsum fortiter et suaviter ad confessionem peragendam inducere nitatur, et quidem absque testibus, ne dum confiteri recusat, impius ejusdem animus innotescat et scandalum excitetur. *An vero deneganda sepultura, si sacerdos solus fuerit testis repulsae et impenitentiae moribundi?* Neg. communiter, nisi aliunde denegari debeat; sed sacerdos debet tacere de mala dispositione moribundi et sinere, ut credatur, illum christiane mortuum esse; debent enim scandala vitari, quoad potest.<sup>1)</sup>

Peccator *publicus* in mortis periculo *sensibus jam destitutus* potest et debet sub conditione absolvi et Extrema Unctione (non autem Viatico) muniri; quia Ecclesia pie supponit moribundum de peccatis dolere, et quia necessitas levat scandalum.<sup>2)</sup> Addit *Scavini*: „Hac ipsa ratione difficilius solet publicis peccatoribus

<sup>1)</sup> Gury: Tom. II n. 1061 q. 4.  
Scavini: Lib. IV. n. 63.

<sup>2)</sup> La Croix: Lib. VI. n. 143.  
Scavini: Lib. III. n. 40, et alii.

S. Alphonsus Lib. VI. n. 45 quoad Sacramenta publico peccatori deneganda subjungit: „*Excipitur tamen peccator in articulo mortis constitutus.*“

denegari *ecclesiastica sepultura*, etsi sine Sacramentis decesserint, si in illo extremo periculo positi credi possit eos poenituisse. Quae tamen omnia prudenti modo aperienda sunt fidelibus, ne scandalizentur, si quando videant supradictos et Sacramentis donari et *ecclesiastica sepultura*.“<sup>1)</sup>

7. — **Casus VII.** *Quid agendum sacerdoti, qui ad infirmum cum Viatico advenit, et confessionem excipiens eum indispositum cognovit?* Imprimis omnem „caritatis industriam“ exhaurire debet, ut ex indisposito dispositum faciat. Si operam perdiderit, eum absolvere nequit. Quod Communionem attinet, confessarius eum enixe inducat, ut ad gravissimum sacrilegium vitandum peracta confessione declaret coram adstantibus, se nolle adhuc s. Eucharistiam suscipere. Si hanc declarationem praestet, sacerdos discedat; quodsi id declarare recuset atque communicare velit, Communio ipsi, licet indisposito, ministrari debet, ad servandum confessionis sigillum.<sup>2)</sup>

#### §. 168.

### Modus juvandi moribundos.

Sacerdos non tantum Sacramentis, sed aliis quoque religionis nostrae sanctissimae remediis animam moribundi ad salutem juvare satagat.

1. Sacerdos curet, ut aegrotus lucretur omnes Indulgentias, quas potest, praesertim Indulgentiam plenariam cum Benedictione Apostolica conjunctam, admonito infirmo, ut contrito corde ss. nomen Jesu semel vel saepius saltem mente invocet. Vid. §. 179 et 180.

2. Moribundum aqua benedicta saepius aspergat, praesertim si diabolicis tentationibus infestatur, dicens: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; manu benedicat eum verbis: Benedicat te Deus Pater, qui te creavit; benedicat te Filius, qui te redemit; benedicat te Sp. S., qui te sanctificavit.* Imaginem Crucifixi et imaginem B. M. V. ei osculandas praebeat, et ss. nomina Jesu et Mariae invocet, ut moribundus, si sui compos est, eosdem corde imploret.

3. Suggestat paucis verbis et intervallo interposito actus fidei, spei, caritatis, contritionis nec non sui ipsius oblationis

<sup>1)</sup> Lib. III. n. 202.

Gury: Tom. II n. 309, Quaer. 10.

<sup>2)</sup> Gousset Vol. II. n. 237. Scavini et alii.

in ss. Cor Jesu moribundo, ut si mente vigeat, mente eosdem prosequatur.

4. Infirmo sensibus adhuc utenti absolutionem pluries conferri juvabit, ita tamen, ut priusquam de novo absolvatur, novum etiam doloris seu confessionis saltem virtualis signum manifestet. Hac enim pia industria, quam Elbel<sup>1)</sup> recte laudabilissimam vocat, infirmus circa statum gratiae securior redditur, vel certe gratia sanctificans augetur et purgatorii poenae minuuntur, ut s. Alphonsus observat.<sup>2)</sup>

Quodsi moribundus jam sensibus est destitutus, nullumque doloris signum ostendit: tunc (sic s. Doctor prosequitur) spatio trium vel quatuor horarum absolutio super ipsum conditionate (*si capax es*) repeti poterit, frequentius tamen, si jamjam sit moriturus. Pro majori securitate sacerdos actum contritionis moribundo suggerat.

5. Dum tempus expirandi instat, sacerdos flexis genibus consuetas Ecclesiae preces, quae Commendatio animae dicuntur, recitare debet. Sunt, qui putent, in defectu sacerdotis etiam ab aliis morienti hoc caritatis officium praestari posse et debere.<sup>3)</sup> Litaniae, candela accensa (quae debet esse benedicta), jam recitari queunt, etsi mors nondum proxime immineat, preces autem: Proficiscere etc. dicendae sunt, *cum in agone sui exitus anima anxiatur*; ut in Rituali notatur.

\* S. Alphonsus: Praxis confessarii cap. 11.

## B. De officiis confessarii post confessionem exceptam.

### §. 169.

#### Confessarii fidelitas in sigillo sacramentali servando.

1. — Quemadmodum ea, quae secreta esse debent, sigillo obsignantur, ita percepta in confessione sacramentali clausa et abscondita ceteris a confessario haberi debent.

1. Obligationem, 2. objectum, 3. subjectum, et 4. violationem sigilli sacramentalis totidem principiis considerabimus.

<sup>1)</sup> De Sacr. Poen. Conf. VIII n. 219.

<sup>2)</sup> Praxis confess. n. 276.

<sup>3)</sup> De Herdt: Praxis s. liturg. Tom. III. n. 218.

## PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Strictissima est sigilli sacramentalis obligatio omni tempore et in omni casu, ex jure naturali, positivo divino et ecclesiastico. 1. Ex jure naturali, quo tenemur sub secreto nobis commissa celare tum ex fidelitate, quae instat, ut tacita conditio, sub qua confitens arcana sua exposuit, impleatur; tum ex justitia, quae vetat proximi famam laedere; tum ex religione, quae reverentiam Sacramento servari jubet; quare violatio sigilli triplicem malitiam involvit, infidelitatis, injustitiae, nempe detractionis, si peccatum non sit alioquin publicum, atque sacrilegii.<sup>1)</sup> — 2. Ex jure positivo divino, quia Christus praecipiendo confessionis integritatem praecepit simul sigilli confessionis custodiam, sine qua quippe actum esset de confessionis integritate. — 3. Ex jure ecclesiastico, quod patet ex variis juris canonici locis, praesertim ex Conc. Later. IV. can. 21: „*Caveat autem omnino (confessarius), ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; et si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat.*“

Obligatio haec, ut dictum est, tenet a) *omni tempore*, etiam post poenitentis mortem, quia nemo vult post mortem male haberi, et pro palatio confessionis auditae odiosum redderet Sacramentum; b) *in omni casu*, licet exinde multo gravius damnum poenitenti sequeretur, S. C. Inquis. 18. Nov. 1682 ex mandato Innocentii XI., — etsi manifestatio ad gubernationem exteriorem deserviret, ex Decr. Clementis VIII. die 26. Maji 1594, — etiamsi aliter confessio fieri non possit integra, vel totius regni salus periclitaretur. Ratio suprema est periculum, odiosam reddendi confessionem sacramentalem et homines ab ea retrahendi.<sup>2)</sup>

Denique obligatio haec est *strictissima*, ita ut in materia sigilli semper sit tutius sequendum nec in ejus violatione detur parvitas materiae.<sup>3)</sup>

Oritur ex omni et sola confessione sacramentali seu ea, quae fit animo se in tribunali Poenitentiae accusandi et absolutionem obtinendi. a) Ex omni confessione sacramentali, sive jam sit completa sive inchoata, valida aut invalida et sacrilega, sive detur absolutio vel differatur vel denegetur.<sup>4)</sup> b) Ex sola confessione

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 635.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 633, 635, 636.

<sup>3)</sup> Idem n. 656 et seq.

<sup>4)</sup> Idem n. 637.



sacramentali, quare non obtinet, si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, ab eo aliquid extorquendi. Quando quis adit confessarium non voluntate confitendi, sed se conquerendi, consilium ab eo obtinendi, sacerdos audita tacere debet ex obligatione secreti naturalis, non autem sigilli sacramentalis. Si quis extra confessionem sacerdoti rem secretam committeret, protestans: *sub sigillo confessionis*, esset tantum obligatio secreti commissi.<sup>1)</sup>

*An potest confessarius poenitenti, qui est confessus sed non absolutus, schedulam confessionis concedere?* Potest, imo etiam debet, quando solet omnibus dari vel expresse petitur a poenitente; quia ex una parte tantum fit testimonium confessionis, quae revera peracta est, et ex altera parte, si schedula negaretur, revelatio fieret absolutionis denegatae.<sup>2)</sup> — Si vero poenitens *simulatam* egerit confessionem, ut schedulam acciperet requisitam e. g. ad poenam magistri evadendam, ad matrimonium celebrandum, schedula confessionis ei neganda foret, quia secus falsum asserreretur, nempe ipsum esse confessum, quod verum non est, nec de fractione sigilli cogitari potest, siquidem obligatio sigilli ex sola confessione sacramentali descendit.<sup>3)</sup>

Confessarius interrogatus, an absolutionem dederit poenitenti, respondere poterit exprobrando: *Suntne hujusmodi interrogationes faciendae?* Casu, quo confessarius poenitentem non absolvit, a ministro interrogatus, an poenitens sit communicaturus, respondeat: *Interroga eum, an velit communicare.*<sup>4)</sup> Interrogatus in *judicio* de re, quam solam ex confessione novit, uti potest privilegio, quod in plerisque Europae regionibus a jure ipsi conceditur, nempe recusandi testimonium.<sup>5)</sup>

3. — **Principium II.** *Sigillum sacramentale generatim omnia comprehendit in confessione manifestata, quorum revelatio cederet in odium Sacramenti et gravamen poenitentis.*<sup>6)</sup> Ratio est finis sigilli sacramentalis. In specie sigillo comprehenduntur: 1. peccata omnia tam venialia quam mortalia sive poenitentis sive complicitis in confessione expressa, item peccata in ipsa confessione commissa

<sup>1)</sup> Idem n. 636.

<sup>2)</sup> Idem n. 639. Benedictus XIV. Inst. 41.

<sup>3)</sup> Gury: Tom. II n. 661.

<sup>4)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 148.

<sup>5)</sup> Noldin: De Sacram n. 418.

<sup>6)</sup> Sic docent omnes cum Benedicto XIV De Beatif. Lib. III. cap. 7 n. 1.

e. g. impatientiae, inobedientiae; 2. *peccatorum circumstantiae*, etiamsi dictae sint post absolutionem, quia unum quid constituunt cum peccatis accusatis; 3. *peccatorum objecta et causae*, ut si quis confiteatur, se odisse patrem, quia fratrem de neglecta die festo auditione Missae noluit corrigere, omissio sacri ex parte fratris et intermissio correctionis ex parte patris cadunt sub sigillo; 4. *poenitentia imposita*, „si non est de minimis, quae plerumque solent imponi pro venialibus peccatis levissimis“; <sup>1)</sup> item 5. *scrupulositas*, cujus manifestatio redundaret in gravamen poenitentis; 6. *defectus naturales*, qui non aliter quam per confessionem innotescunt et opprobrio sunt poenitenti e. g. quod sit irregularis, hebetis mentis, rúdis etc., non vero qui non aegre ferri possunt a poenitente et communiter innotescunt e. g. quod sit caecus, surdus etc. <sup>2)</sup> — Non cadit sub sigillo ipsum factum confessionis. Si quis tamen ad confessionem clam accesserit, confessarius tenetur obligatione *secreti naturalis*, praesertim si confessio inducere possit suspicionem de gravi peccato poenitentis. <sup>3)</sup>

Quaeres, *an etiam virtutes et revelationes cadant sub sigillo?* Neg., si virtutes aut revelationes manifestantur in confessione, ut status animae confessario innotescat, secus vero, si dicantur ad explicandum peccatum e. g. ingratitude erga Deum post tot tantaque beneficia ac dona ab eo accepta. Ita optime s. Alphonsus, <sup>4)</sup> et ipse Benedictus XIV. subdens posse confessarium virtutes, revelationes et similes gratias, quas in confessione a Servis Dei audivisset, manifestare post eorum obitum, *nisi ad melius declarandum peccatum expositae fuissent*; at vero confessarii examen de his utile quidem, non tamen necessarium esse in causis Beatificationis et Canonizationis. <sup>5)</sup>

4. — **Principium III.** *Ad sigillum sacramentale obstringitur primario confessarius sive verus sive fictus, ergo etiam laicus per errorem sacerdos existimatus, quia confessio ex parte poenitentis vere est sacramentalis, secundario omnis, ad quem notitia rei, quae sub sigillo cadit, quocumque modo, sive immediate sive mediate, licite vel illicite pervenit; secus enim nec reverentiae Sacra-*

<sup>1)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 16 n. 153.

<sup>2)</sup> Vid. idem s. Doctor de tota hac materia Lib. VI. n. 640—644.

<sup>3)</sup> Constantini: Institutiones

Theol. moralis. V. III. n. 823. Ed. 3. Romae 1900.

<sup>4)</sup> Lib. VI. n. 641.

<sup>5)</sup> De Servorum Dei Beatif. etc.

Lib. III. cap. 7 n. 1—6.

menti sufficienter esset provisum, neque odium confessionis satis remotum.

Hinc praeter confessarium ad sigillum obligantur 1. Superior, a quo extra Sacramentum petitur facultas absolvendi a casu reservato; 2. interpres adhibitus in confessione peragenda; 3. sacerdos a confessario de casu difficiliore consultus; 4. qui peccatum confitentis audit vel casu fortuito vel data opera, et alii qui ab hoc notitiam peccati perceperunt; 5. qui legit epistolam, in qua petitur facultas absolvendi a casu reservato; item qui legit chartam, in qua poenitens scripsit peccata, jam porrectam sacerdoti pro confessione facienda vel in actu confessionis, vel amissam a confessario vel relictam in confessionali post confessionem peractam.<sup>1)</sup>

5. — Poenitens ad sigillum confessionis non tenetur, quia tantum in favorem poenitentis est inductum; obligatur autem ad secretum naturale quoad res sibi dictas a confessario, si nempe earum manifestatio vel damnum confessario, vel injuriam et contemptum Sacramento posset afferre.<sup>2)</sup> Imo etiam hoc secreto (quamvis naturali) strictius tenetur, quia confessarius non libere, ut plerique consiliarii, sed ex officio consilia praebet neque se contra detractiones poenitentis, ob legem sigilli, tueri potest.<sup>3)</sup> Prudens tamen confessarius semper cavebit, ne dicat quae aliis manifestari nolit; nam poenitentes saepe de iis, quae sibi inter confitendum acciderint, confabulari cum commentariis solent.<sup>4)</sup>

6. — **Principium IV.** *Sigillum sacramentalis confessionis violari potest dupliciter: 1. directe*, cum de poenitente aliquid ex sola confessione cognitum ad ejus gravamen expresse manifestatur; 2. *indirecte*, quum loquendo vel agendo praebetur suspicio confessionis revelatae. Hinc non licet confessario, ob notitiam in confessione acceptam, claudere poenitentem in cubiculo, ne exeat ad peccandum; dimittere famulum vel auferre ab eo claves, ne furetur; poenitenti ostendere vultum severiorem; alta voce arguere confitentem; quia in his omnibus *indirecta* sigilli violatio obtinet, quae etiam evenit, si confessarius unum prae aliis, quos confitentes audivit, laudat; item qui enarrat, se in hoc vel illo monasterio audivisse grave peccatum, etiamsi personam non nominaret; secus autem, si diceret, se audivisse grave peccatum religiosi cujusdam

<sup>1)</sup> Vid. Alph. Lib. VI. n. 645 et seq.

<sup>2)</sup> Idem n. 647 sub 10.

<sup>3)</sup> Ballerini: Op. theol. mor. n. 975.

<sup>4)</sup> Noldin: De Sacram. n. 415.

Ordinis, quia haec nec est revelatio sigilli neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine aliqui mali sint.<sup>1)</sup>

7. — Sigillum non violat confessarius 1. si enarret peccata in confessione audita *nec directe neque indirecte* peccatores indicando, ita ut nequeant cognosci, vel proferat cognita ex confessione, quae confessarius alio etiam modo noverit, nulla confessionis mentione facta; attamen nisi necessitas vel utilitas urgeat, ab ejusmodi narrationibus abstineat propter suspicionem et periculum violandi sigillum.<sup>2)</sup> Non violat sigillum 2. si *de consensu poenitentis* ex aliqua causa rationabili quidpiam in confessione auditum alteri declarat, quia tunc poenitens, in cujus favorem est sigillum, jure suo cedit; non tamen sufficit consensus tacitus, praesumptus seu interpretativus.<sup>3)</sup> Cum ipso poenitente potest confessarius intra confessionem de culpis in alia confessione auditis loqui, sine ejus licentia; quia habet jus exquirendi omnia, quorum notitia necessaria vel utilis est ad meliorem poenitentis directionem. Etiam statim post ab solutionem confessario licet cum poenitente de auditis in confessione loqui; quia iudicium sacramentale adhuc moraliter perseverat. Alias autem cum poenitente sine praevia ejus licentia de peccatis confessis loqui confessario non licet, nisi ipse poenitens prior de illis loquatur.<sup>4)</sup> Denique 3. *generalis regula est*, ait s. Alphonsus,<sup>5)</sup> *licitum esse uti notitia confessionis, ubi nulla intervenit revelatio, nec ullum poenitenti gravamen infertur*, e. g. ad reformandos proprios mores, ad consulendos sapientiores, „caute tamen absque ulla expressione personae“, ut Conc. Later. IV. subdit, ad diligentius invigilandum gregi suo, modo nulla detur suspicio peccati in confessione auditae, ad alios poenitentes melius dirigendos.

\* S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 633—661. Homo Apostolicus Tract. 16 cap. 8 integrum.

### §. 170.

#### **Obligatio corrigendi defectus in administratione hujus Sacramenti commissos.**

1. Si confessarius circa *essentialia* Sacramenti, de quibus nempe ejus valor pendet, errorem sive inculpabiliter sive culpa-

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 654, Dub. 2.

<sup>2)</sup> Ita Benedictus XIV.: De Servor. Dei Beatif. Lib. III cap. 7 n. 5, cum s. Thoma etc.

<sup>3)</sup> S. Thom.: In IV Sent. Dist. 21 q. 3 a. 2. S. Bonaventura: In IV Sect. Dist. 21 P. II a. 2 q. 2.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 651—653.

<sup>5)</sup> Lib. VI. n. 657.

biliter commisit (rite dispositum poenitentem plane non vel invalide absolvendo ob defectum jurisdictionis vel formae essentialis). tunc errorem corrigere tenetur statim in confessionali, si adhuc possit, vel in confessione proxima. Ast si poenitens mox postea alii sacerdoti confessus est vel statim Eucharistiam suscepit (quod communiter fieri solet), ad nihil tenetur; quia tunc poenitens certo est justificatus, videlicet in confessione alii sacerdoti facta per absolutionem indirectam, vel in Communionem ob bonam fidem cum attritione percepta. Et idem valet, si moribundus mox Extremam Unctionem suscepit, quae in tali casu peccata tollit. Cumque poenitentes post confessionem, si credunt se absolutos esse, ad Communionem accedant, moribundi vero saltem Extrema Unctione reficiantur: hinc vix unquam confessarius stricte et cum gravi incommodo obligabitur, poenitentem quem per errorem non absolvit, extra tribunal de nullitate Sacramenti monere, ut corrigere possit errorem. Facile autem poterit, quin de defectu commisso aliquid dicat, graviter infirmum, dum eum visitat, adducere ad iterum confitendum, qua occasione etiam de peccatis prius confessis et nunc includendis poterit absolutionem illi impertire.

2. Si error non fuit circa valorem Sacramenti, sed circa *integritatem materiale* confessionis (dum confessarius neglexit poenitentem de specie et numero peccatorum mortalium interrogare), confessarius poenitentem adhuc in confessionali praesentem, etiam data absolutione, inducere debet, ut defectum confessionis suppleat; si jam discesserat, monere eum de integritate confessionis necesse est, si opportuna sese offerat occasio in ipso tribunali.

3. Si confessarius omisit poenitentem suum *de gravi aliqua obligatione* monere (praecipue si eum reliquit in occasione proxima), errorem corrigere debet illum monendo in tribunali adhuc commorantem vel postea redeuntem, si monitio adhuc necessaria videatur. Extra confessionem hujusmodi poenitentem monendi vix unquam obligatio subsistet, ob gravem confessarii confusionem ac poenitentis offensionem. Si vero confessarius (nihil de illo errore dicens) occasione data eum inducere possit, ut mox ad confessionem redeat, id etiam facere tenetur ad errorem gravem corrigendum.

Quodsi confessarius *ex gravi culpa* et *positive* exemerit poenitentem a restitutione aut ad eam obligaverit: tunc si ille non

redeat, cum gravi suo incommodo eum extra confessionem monere tenetur (obtentā prius licentiā), supposito quod poenitens, dum admonitus fuisset, revera restituisset; alias ipse obligatur ad restitutionem. Non tenetur poenitentem extra tribunal monere cum gravi incommodo, si gravem culpam non commiserit; quemadmodum ad nihil tenetur, si tantum omiserit eum de restitutione monere, v. Lib. II. §. 145 n. 3.

\* S. A l p h o n s u s : Theol. mor. Lib. VI. n. 618—622.

### §. 171.

## Epilogus.

*Ex monitis s. Francisci Salesii ad confessarios.*

„Fratres carissimi, munus quod in Ecclesia Dei geritis, plane eximium est; enimvero tantam vobis Christus ad iudicandas animas auctoritatem elargitus est, ut sententiae a vobis in terris juste prolatae, ratae habeantur in coelis. Ora vestra canales esse mysticos dico, per quos vera de coelo pax in homines bonae voluntatis descendit. Verba oris vestri tubae sunt magni Jesu, quae muros iniquitatis seu mysticae Jericho evertunt.

Magno sane homines immensa Dei Bonitas honore dignata est, quos ad eam dignitatem evexit, cujus ne ipsos quidem Angelos voluit participes; cui enim Angelorum dictum fuit aliquando: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* Hoc tamen Apostolis dictum fuit, et in illis dictum est omnibus, qui successione legitima eandem auctoritatem accipient.

Mundi estote, et ab omni labe immunes, quoniam aliorum conscientiam purgare contenditis; ne vetus vobis axioma obijciatur: *medice cura te ipsum*, et illud Apostoli: *in quo alium iudicas, te ipsum condemnas*. Igitur cum ad confessiones audiendas evocati estis, peccato letali (quod avertat Deus) forte inquinati, prius salutari confessione aut, si occasio non suppetit, perfecto cordis dolore scelera vestra expiare ante omnia debetis.

Zelo salutis animarum praesertim ad vos accedentium flagrate, Deumque orate, ut corda eorum convertat, ac de virtute in virtutem magis magisque proficiant.

Mementote vos a miseris peccatoribus sub initium Confessionis vocari *Patres*; quapropter illos intimo cordis affectu amplectimini, benigne sustinentes eorum rusticitatem, inscientiam,

imbecillitatem, ingenii tarditatem. Numquam vos eis auxilio deesse par est, dum spes aliqua emendationis affulserit, juxta monitum D. Bernardi: *Onus animarum, onus est infirmarum; nam quae sanae sunt, portari non indigent, adeoque nec onus quidem sunt.* Licet enim filius prodigus a suili grege nudus, et squalore obsitus foetensque redierit; eum tamen benignissimus Pater agnovit, amplexus et osculatus est, ac prae ingenti gaudio lacrimas fudit: Pater enim erat, cujus amor maximus erga filios esse solet.

*Medici* prudentiam adhibete; peccata enim morbi sunt et animi vulnera: serioque poenitentis dispositionem perpendite, ut illum rite dijudicetis. Si igitur rubore perfusum advertitis, addite animum his verbis: vos nihilo magis, quam illos e numero Angelorum esse; nec mirari homines peccatis esse obnoxios, majorem homini ex poenitentia laudem obvenire, quam ex peccato ignominiam, nec Confessarium judicium ferre de hominibus juxta praeteritum statum, sed juxta praesentem, peccata coram Deo et Confessario ita obtegi ac sepeliri in Confessione, ut perpetua oblivione deleantur.

Si inverecundae frontis hominem ad vos accedere animadvertitis, admissa mala nil pensi habentem, ipsum ante Dei Tribunal versari commonefacite; hic de aeterna ejus salute agi; in hora mortis de nulla re magis, quam de Confessionibus male peractis sibi rationem redditam iri; in hoc Sacramento pretium mortis et Passionis Domini nostri Jesu Christi effundi. Trepidum et animo concidentem, ac desperatione veniae quasi perculsum in spem erigite, ostendendo quantum delectetur Deus super uno peccatore poenitentiam agente; Dei bonitatem magis elucere, quo major est nostra miseria; Jesum Christum pro Crucifixoribus Patrem orasse, quo intelligeremus, tametsi nostris illum manibus in crucem egissemus, fore ut nobis ultro ignosceret; Deum tanti facere poenitentiam, ut minima quaeque in hoc saeculo, dummodo vera, gravissimis sceleribus delendis par sit; hinc si animae damnatorum ejus capaces forent, omnia eorum peccata condonarentur; Sanctiores maximos extitisse peccatores, nimirum Petrum, Matthaeum, Mariam Magdalenam, Davidem etc.; denique majorem injuriam irrogari non posse Dei bonitati ac Passioni et morti Filii ejus, quam peccatorum remissionis diffidentia, quam in symbolo profitemur, ut majori cum fiducia eam in Sacramento ad hoc a Christo Domino instituto recipiamus.

Si perplexum, quod peccata sua explicare nesciat, aut conscientiae examen rite instituere ignoraverit: vestram illi operam praestituros spondete, qua Deo juvante integram Confessionem facturum speratis.

Ante omnia vero omnes in spiritu lenitatis et discretionis suscipite, praecipue feminas pudenda peccata confitentes

---

## APPENDIX.

### De Indulgentiis.

#### §. 172.

#### Conspectus dicendorum.

Indulgentiae quidem extra Sacramentum Poenitentiae imperitiuntur, attamen cum hoc Sacramento cohaerent, quatenus supplent satisfactionem sacramentalem et effectum Sacramenti Poenitentiae perficiunt. Ideo disputationi de hoc Sacramento absolutae expositio doctrinae de Indulgentiis congrue adjungitur.

Summa eorum, quae hac de materia dicentur, sunt 1. Indulgentiae natura, fons et efficacia, 2. Indulgentiarum varietas, 3. potestas eas concedendi, 4. conditiones ad eas lucrandas requisitae, 5. Jubilaeum, 6. Altare privilegiatum, 7. Indulgentia pro articulo mortis concessa, 8. Benedictio Apostolica, 9. translatio et cessatio Indulgentiarum.

#### §. 173.

#### Indulgentiae natura, fons et efficacia.

1. — Indulgentiae nomine generatim venit misericordia, condonatio, remissio. Pressius sumpta quoad rem, de qua nobis sermo: *Indulgentia est remissio poenae temporalis post remissam culpam et poenam aeternam Deo debitae, ex potestate clavium extra Sacramentum facta per applicationem thesauri Ecclesiae.* Plures haec definitio continet veritates, quae accurate et ad amussim in Theologia dogmatica pertractantur; ideo explicationis causa sequentia notasse sufficiet.

2. — **Assertio I.** *Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo seu justitiae ejus pro peccatis debitae, sive in hac sive in altera vita*



luendae. Indulgentia 1. est *remissio poenae temporalis*, non aeternae, neque culpae.<sup>1)</sup> Indulgentia 2. est *remissio poenae temporalis Deo pro peccatis debitae*, sive in hac sive in altera vita luendae, non nuda et simplex remissio poenitentiae seu poenae canonicae, in antiqua Ecclesia statutae peccatoribus in foro duntaxat externo. Est doctrina fidei proxima. Constat ex prop. 6 Petri Oxomiensis a Sixto IV. a. 1479 proscripta, ex art. 19 Lutheri a Leone X. confixo, atque ex prop. 40 Synodi Pistoriensis a Pio VI. in Const. *Auctorem fidei damnata*.<sup>2)</sup>

3. — **Assertio II.** *Fons Indulgentiarum est thesaurus Ecclesiae ex meritis Christi, B. V. Mariae et Sanctorum constans.* Est doctrina fidei proxima, quam Clemens VI. in Const. *Unigenitus* proponit his verbis: „*Unigenitus Dei Filius — — thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum coeli clavigerum ejusque successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum Ad cuius quidem thesauri cumulum Beatae Dei genitricis et omnium electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur.*“ Idem docuerunt Leo X. in damnatione

<sup>1)</sup> Non defuerunt Theologi dicentes, per Indulgentias tolli posse peccata venialia, etiam quoad culpam; ast hanc sententiam dicit Benedictus XIV. (De Syn. Dioec. Lib. XIII. c. 18 n. 7) minime cohaerere sanioribus Theologiae principiis.

Si nonnullae occurrunt Indulgentiae, quibus absolutio *a poena et culpa* concedi dicitur, hujusmodi dicendi formula, inquit Benedictus XIV. (Op. cit. Lib. XIII. cap. 13 n. 7), tribuitur praeteritorum saeculorum quaestoribus, quos licet affirmare veros fuisse auctores tempestatum, quas Ecclesia propter Indulgentiarum causam perpessa est. Si tamen, inquit idem Pontifex, documentum aliquod authenticum repertum fuerit, in quo sermo est *de remissione peccatorum et poenarum*, congrua explicatione interpretandum est, quod nempe sub peccatorum remissione venit facultas concessa absolvendi a peccatis reservatis, vel quod Indulgentia conjungitur cum

sacramentali confessione ita, ut qui per Sacramentum Poenitentiae fuit absolutus a culpa, per Indulgentiam absolvatur a poena temporali. Et pari ratione, si Pontifices dicunt, se concedere remissionem peccatorum, semper loquuntur de peccatis quoad poenam, non quoad culpam, quae ante Indulgentiam remissa esse creditur. Vid. etiam Bellarmin: De Indulg. Lib. I. cap. 7.

<sup>2)</sup> Jam pridem nonnulli dixerunt, „poenarum relaxationem non fieri quantum ad forum Dei, sed quantum ad forum Ecclesiae.“ Quos egregie refutarunt s. Thomas: Suppl. q. 25 a. 1, et s. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 20 art. 1 q. 2 c, observantes, quod hujusmodi relaxatio potius deceptio, quam relaxatio vera esset judicanda, dum Ecclesia minuendo hic poenitentias injunctas, in futuro ad graviores traheret poenas, nempe Purgatorii.

art. 17 Lutheri, Pius V. et Gregorius XIII. in proscriptione propositionis 40 Baji, et Pius VI. in condemnatione prop. 41 Synodi Pistoriensis. <sup>1)</sup>

Constat igitur thesaurus ille ex *meritis* Christi et Sanctorum latiori sensu intellectis, quatenus sunt *satisfactoria*. Omne nempe opus bonum est meritorium (quia fit ex caritate), et satisfactorium (quia est laboriosum et poenale coll. §. 125 n. 2). Quatenus est meritorium vitae aeternae, non potest aliis applicari, potest autem, prout est satisfactorium. Et satisfactio ipsa fit per modum meriti; hinc dicitur, thesaurum constare *ex meritis*, sub quibus intelliguntur satisfactiones, quae sensu latiori vocantur merita, quia satisfacere fit ad modum meriti. <sup>2)</sup>

Constat spiritualis Ecclesiae thesaurus 1. *ex meritis seu satisfactionibus Christi*, quae sunt superabundantes et infiniti valoris, nullaque applicatione, quantacunque sit, exhauriri vel minui possunt; — 2. *ex satisfactionibus B. V. Mariae abundantibus*, quae cum ab omni vel levissimo peccato fuerit immunis, nulla satisfactione pro se indiguit, et tamen atrocissimas passiones cum Filio suo pertulit; denique *ex satisfactionibus Sanctorum*, quae ipsis fuerunt superfluae, siquidem plura sustinuerunt mala, quam ob peccata commissa promeriti sunt; quibus accedunt merita satisfactoria *justorum his in terris viventium*, quia et hi certe non tantum pro suis, sed etiam pro aliorum debitis divinae justitiae satisfacere possunt, ut communiter docent Theologi, et Catechismus Romanus <sup>3)</sup> confirmat.

Ex hoc thesauro, Beato Petro ejusque successoribus a Christo ad dispensandum fidelibus commisso, erogantur Indulgentiae, quatenus satisfactiones abundantes in eo contentae per Indulgentias applicantur indigentibus ad remissionem poenarum temporalium, seu ut d. Thomas loquitur, quia *communicatur alicui, qui per caritatem fit membrum Ecclesiae, de praedicto thesauro, vel usque ad totalem remissionem poenarum vel usque ad aliquam certam quantitatem, ita scilicet, quod passio Christi et aliorum Sanctorum ei imputetur, ac si ipse passus esset.* <sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> De hoc thesauro loquuntur d. Thomas: Suppl. q. 25 a. 1 et 2, q. 26 a. 1—3. Quodl. 2 q. 8 a. 16 et al., s. Bonaventura: In IV. Sent. Dist. 20 P. II a. 1 q. 2—4.

<sup>2)</sup> Lugo: De Poenit. Disp. 27 Sect. 3 n. 40.

<sup>3)</sup> P. II cap. 5 q. 72.

<sup>4)</sup> Quodl. 2 q. 8 a. 16 c.

Satisfactionibus Christi adjungit Ecclesia satisfactiones Sanctorum, non ut illarum valori quidpiam accrescat veluti supplementum, cum Christi merita sint infiniti valoris ac per se sufficientissima; sed ideo, quia *a)* aequum est, ut satisfactiones, quibus Sancti non indiguerunt, communicentur nobis, qui iisdem indigemus, idque ex communione Sanctorum; — *b)* quia hoc est gloriosum Christo Domino, siquidem ex ipsius meritis omnem suum vigorem et valorem habent merita Sanctorum, quae igitur cum tanti habentur, Christus ipse honoratur; — *c)* quia id perhonorificum est ipsis Sanctis, „qui tamquam socii cum Christo assumuntur ad solutionem et liberationem nostram“, ut Card. Lugo observat.<sup>1)</sup>

4. — **Assertio III.** *Indulgentia vivis confertur per modum solutionis et absolutionis, defunctis per modum solutionis et suffragii tantum.* Doctrina communis et certa, quam praeter alios tradunt s. Bonaventura,<sup>2)</sup> Bellarmin,<sup>3)</sup> Suarez,<sup>4)</sup> Lugo.<sup>5)</sup> Ipse Leo XII. in Encycl. Jubilaei a. 1825 docet, merita Christi, B. Virginis Genitricis ejus, Sanctorumque omnium, modo amplius modo arctius *applicari vivis ad modum absolutionis, mortuis ad modum suffragii* posse; in ea vero meritorum applicatione Indulgentiam esse positam.

Nimirum 1. quoad *vivos*, quando Summus Pontifex hisce Indulgentiam concedit, ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum tantum exhibet et *solvit*, quantum sufficit ad compensationem poenae debitae, simulque eos *absolvit* seu sententia judiciaria liberat a debita poena; simili modo, quo princeps aliquem debitorem pecuniae absolvit a poena v. c. carceris, solvendo simul e publico aulario illud debitum.<sup>6)</sup> Ast 2. quando Indulgentia datur et applicatur pro *defunctis*, Summus Pontifex tantum e thesauro meritorum Christi et Sanctorum depromit et *solvit*, quantum satis est ad compensandam poenam, quam illi in purgatorio luere deberent; quin intercedat absolutio. Nulla enim Pontifici competit

<sup>1)</sup> De Poenit. Disp. 27 Sect. 3 n. 38.

Christi passiones tum per Sacramenta tum per Indulgentias applicantur, passiones Sanctorum non nisi per Indulgentias.

<sup>2)</sup> Dicit: „*Indulgentiae collatio duo dicit, scilicet thesauri Ecclesiae communicationem, et cum hoc quandam judicariam absolutionem.* — *Quia thesaurus est in Summi Pontificis potestate, et illi, qui sunt in purgatorio, idonei sunt (ratione caritatis) spiritalia beneficia*

*recipere: Papa potest eis bona Ecclesiae communicare. Cum (vero) illi jam exierunt forum Ecclesiae et ecclesiasticum judicium: videtur, quod eis non possit fieri absolutio, nisi per modum deprecationis.* In IV Sent. Dist. 20 P II art. 1 q. 5 c.

<sup>3)</sup> De Ind. Lib. I. cap. 5.

<sup>4)</sup> De Ind. Disp. IV Sect. 3 et 4.

<sup>5)</sup> De Poen. Disp. 27 Sect. 1 n. 4 et 5.

<sup>6)</sup> Ita Lugo l. c. n. 4.

jurisdictio in defunctos, ipsi non amplius subjectos. Proinde *Indulgentiae pro defunctis dantur per modum suffragii*, quatenus Ecclesia Deo offert merita Christi et Sanctorum, ut eorum intuitu, quae per modum solutionis ab ipsa offeruntur, Deus pro sua misericordia dignetur vel totam vel partem poenae condonare. Simile est, si quis non habens potestatem liberandi debitorem a poena, judicem vel principem deprecatur, ut dimittat reum in carcere detentum ob debita, quibus gravatus est, eumque in finem simul offert tantum, quantum requiritur ad debita solvenda.<sup>1)</sup>

5. — Hinc sequitur, quod licet *effectus Indulgentiarum pro vivis infallibilis* sit, *non tamen est infallibilis pro defunctis*, cum nulla adsit promissio; unde Deus ipsas acceptat tantum ad suum beneplacitum. Quae sententia s. Alphonsi<sup>2)</sup> conformis est Decisioni S. C. Indulg. 28. Julii 1840. Vid. infra §. 178 n. 3.

### §. 174.

#### Indulgentiarum varietas.

1. — Indulgentiae dividuntur 1. in plenarias et partiales, 2. in locales, reales et personales, 3. in perpetuas et temporarias.

2. — I. Illae sunt *Indulgentiae plenariae*, quibus tota poena temporalis pro peccatis jam deletis debita remittitur. *Partiales* sunt, quibus pars duntaxat poenae temporalis condonatur. Concedi solent per determinationem certorum dierum, annorum etc. e. g. 40 dierum, 7 annorum, 10 quadragenarum;<sup>3)</sup> quibus tamen expressionibus non significatur, quod tot dies, anni etc. Purgatorii poenarum remittantur eis, qui Indulgentias lucrentur, sed indicatur, quod eis remittitur tanta poena, quanta olim remittebatur vel remissa fuisset per poenitentiam canonicam ejusdem temporis.

Ex mandato Leonis XIII. per Decretum generale S. C. Ind. 10. Aug. 1899 publicatae sunt *regulae* seu normae ad dignoscendas veras Indulgentias ab apogryphis, quarum *quinta* apogryphas vel nunc prorsus revocatas declarat omnes Indulgentias mille vel plurium millium annorum, quocumque tempore concessae dicantur,

<sup>1)</sup> Multum igitur Indulgentia, quae fit per modum suffragii, differt a nuda prece; quia praeter deprecationem complectitur solutionem satisfactoriam, quam Ecclesia Deo offert.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 534 sub 10.

<sup>3)</sup> Sub Quadragena intelligitur jejunium Quadragesimae.

et *octava* rejicit ut apogryphas illas Indulgentias, quae pro recitatione unius alteraevae precis liberationem unius vel plurium animarum a purgatorio promittunt.<sup>1)</sup>

3. — II. *Indulgentiae locales* vocantur, quae affixae sunt loco determinato e. g. ecclesiae, altari. *Reales* sunt, quae rebus mobilibus adnexae sunt e. g. imagini Crucifixi, rosario, numismati. *Personales*, quae uni vel pluribus conceduntur; et personae, quibus Indulgentiae hujusmodi conceduntur, ipsas lucrari possunt ubique, implendo condiciones.

4. — Sed quoad Indulgentias reales scire opus est, quibus rebus adnecti possint vel non.

1. Imagines chartis vel telis (Pappendeckel oder Leinwand) depictae, cruces, numismata, parvae statuae, ex *plumbo* vel *stanno*, aut alia quacunque materia, quae facile frangi vel deteriorari potest, ut sunt *vitrum insufflatum* (hohlgeblasenes Glas), *gypsum*, benedici quidem possunt, sed non instrui Indulgentiis. Excipiuntur rosaria, quibus Indulgentiae alligari possunt,<sup>1)</sup> quamvis ex ferro, stanno, plumbo, vitro vel crystallo confecta sint, dummodo globuli sint ex vitro solido et compacto. S. C. Ind. 29. Feb. 1820.

2. Cruces, statuae parvae, numismata e ferro, et eo magis e chalybe (Stahl) Indulgentiis ditari possunt, S. C. Ind. 14. Maji 1853; et idem valet de rosariis et Crucifixis eburneis, ligneis, aut confectis ex corallo, conchis margaritiferis (Perlenmutter, Perlenmuschel), encausto (émail), alabastro, marmore. S. C. Ind. 29. Feb. 1820.

Nota, quod Indulgentia Cruci concessa cadit solum in *Crucifixum* ex aere, ligno vel alia materia confectum, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam. S. C. Ind. 11. Apr. 1840.

3. Annuli aurei vel argentei, decem nodulis circumdati, quibus utuntur quaedam piae personae ad rosarium recitandam, nequeunt benedici cum appositis Indulgentiis. Card. Praef. S. C. Ind. ex mandato Gregorii XVI. die 23. Julii 1836.

4. Sanctorum tantum, qui sunt canonizati vel saltem Martyrologio inserti, numismata aut parvae statuae cum Indulgentiarum applicatione benedici possunt. Numismata vero, quae in una parte

<sup>1)</sup> Omnes novem regulae legi et in eph. Linzer Dioecesanblatt 1900 possunt apud Beringer: Die Ab- Nr. 7. lässe etc. 12. Aufl. 1900, S. 808—813

imaginem Sancti canonizati, in altera imaginem Beati repraesentant, etiam Indulgentiis instrui possunt. Decr. die 22. Dec. 1710.

Quamvis decentius sit, ut piae res quibus adnectuntur Indulgentiae, benedicantur cum caeremoniis et precibus assignatis, sufficit tamen ordinarie adhibere signum crucis manu efformatum sine alia caeremonia. Decret. die 11. April. 1840.

Possunt plures Indulgentiae eisdem rebus affigi a sacerdote facultatem habente.<sup>1)</sup>

5. — III. Indulgentiae sunt *perpetuae*, quae sine temporis determinatione conceduntur. *Temporariae*, ut patet, pro tempore determinato e. g. pro triennio, dantur; atque tempus computari debet a die dati Rescripti, non evulgationis aut receptionis. S. C. Ind. 20. Maji 1711. Attamen quoad altare privilegiatum tempus non a die dati Rescripti, sed a die praesentationis esset computandum, in regionibus remotis tantum. Decr. die 4. Feb. 1736.<sup>2)</sup>

### §. 175.

#### De potestate largiendi Indulgentias.

1. — Notam supponimus doctrinam fidei, a Conc. Trid. Sess. 25. Decr. de Indulg. contra protestantes assertam, a Christo potestatem conferendi Indulgentias Ecclesiae esse concessam. Paucis tantum exponere volumus, quinam in Ecclesia hac gaudeant potestate.

2. — *Solus Romanus Pontifex* habet immediatam a Christo et universalem potestatem concedendi quibusvis fidelibus, etiam defunctis, quaslibet Indulgentias, quia *a)* ipse solus habet *claves thesauri* dispensandi; siquidem hic thesaurus est communis toti Ecclesiae, ideoque eum dispensare non valet, nisi qui toti Ecclesiae praeest;<sup>3)</sup> et quia *b)* ipse habet *claves jurisdictionis* immediate

<sup>1)</sup> Beringer: Die Ablässe etc. S. 333—337, Aufl. 12, 1900.

<sup>2)</sup> Craisson op. c. Tom. III n. 4541.

<sup>3)</sup> Clemens VI. in Const. *Unigenitus* loquens de thesauro Ecclesiae subdit: *Quem per Petrum clavigerum ejusque successores, — commisit fidelibus salubriter dispensandum*; unde colligendum, non aliis delatas fuisse a Christo thesauri claves. Pius IX.

in ep. encycl. de Jubilaeo 1875 loquens ait, *quem* (coelestem thesaurum) *ex Christi Domini ejusque Virginis Matris omniumque Sanctorum meritis, passionibus ac virtutibus comparatum, auctor salutis humanae dispensationi Nostrae concredidit*. S. Thomas observat: „*Totus iste thesaurus — est in dispensatione ejus, qui praeest generali Ecclesiae: unde Petro Dominus claves regni coelorum commisit.*“ Quodl. 2 q. 8 art. 16 c.

a Christo in totam Ecclesiam, ita ut per illum ipsi episcopi accipiant jurisdictionem.

Praeter S. Pontificem omnes illi, quibus ipse hanc communicat potestatem, quae non est Ordinis sed jurisdictionis, Indulgentias fidelibus impertire possunt, nempe

1. *Episcopi*, qui ordinariam quidem i. e. vi muneris et a jure communi adnexam suo officio habent potestatem concedendi Indulgentias, attamen collatam a Papa.<sup>1)</sup> Et quidem ex Decreto Conc. Lateran. IV. a. 1215 ita restricta est eorum potestas, ut non valeant ordinarie concedere, nisi Indulgentias unius anni die consecrationis aut dedicationis Ecclesiae, et 40 dierum ceteris temporibus. Possunt autem Indulgentias concedere, licet nondum consecrati, modo sint canonice instituti et possessionem suae Dioecesis assumpserint, sed hoc solummodo erga subditos. Quapropter *episcopi titulares* Indulgentias concedere nequeunt, eo quod non habent subditos proprios; etiamsi sint Vicarii apostolici.<sup>2)</sup>

2. *Cardinales* ex usu Indulgentias 100 dierum legitime conferunt ecclesiae, cui tamquam episcopi praesunt; imo et in ecclesiis suorum titularum, etsi non sint episcopi neque sacerdotes.

Nec Vicarii generales aut capitulares sede vacante, neque Generales Ordinum aut Provinciales aut Abbates, aliive sacerdotes Indulgentias aliis impertire possunt, nisi sint legitime delegati.

Denique episcopi aliique Summo Pontifice inferiores non possunt *defunctis* Indulgentias concedere: quoniam solus Christi Vicarius habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiae absolute; episcopi enim solum subditis possunt applicare secundum mensuram sibi ab Apostolica Sede determinatam.

3. — Ad Indulgentias licite valideque dispensandas requiritur *justa causa*, quia Summus Pontifex et episcopi non sunt domini, sed dispensatores thesauri Ecclesiae; dispensator autem non potest sine causa disponere de rebus

<sup>1)</sup> Bellarmin: De Ind. Lib. I. cap. 11. Suarez: Disp. 55 Sect. 2. Lugo: Disp. 27 Sect. 8 n. 132. La Croix: Lib. VI. P. II n. 1319, et alii, qui etiam recte advertunt, quod si episcopi a Christo immediate haberent hanc potestatem, non possent Summi Pontifices hanc potestatem extendere, restringere vel penitus tollere; quod tamen fieri posse, nemo dubitabit.

Consentit Benedictus XIV., qui in op. De Syn. Dioec. Lib. II. cap. 10 n. 7 tradit: „*Jus Indulgentias elargiendi plenarie residet in solo Romano Pontifice, qui Ecclesiae thesauri — custos, administrator et dispensator est; atque a Summo Pontifice profluit in episcopos, uti docet Bellarminus etc.*“

<sup>2)</sup> S. C. de Prop. Fide 24. Aug. 1852.

domini. Confirmatur ex Const. Clementis VI. *Unigenitus*, in qua declaratur, a Christo commissam fuisse Petro ejusque successoribus salubrem dispensationem thesauri Ecclesiae *ex propriis et rationabilibus causis*. Et quidem debet haec causa esse *proportionata* cum Indulgentia, ut cum multis<sup>1)</sup> s. Alphonsus<sup>2)</sup> docet. Attamen recte advertit Bellarmin,<sup>3)</sup> non esse subditorum judicare, utrum causa justa sit vel non; debent enim simpliciter existimare, eam justam esse.

\* S. Bona Ventura: In Lib. IV Sent. Dist. 20 P. II art. 1 q. 3, 4 et 6. S. Thomas: Supplementum 3<sup>tae</sup> Partis Summae Theol. q. 26. — Bellarmin: De Indulgentiis Lib. I. cap. 3, 11 et 12. Suarez: De Poenit. Disp. 49 Sect. 1 et seq. Disp. 55 tota per 6 Sect. Lugo: De Sacramento Poenitentiae Disp. 27 Sect. 8 §. 1 et 2. La Croix: Theol. mor. Lib. VI. P. II n. 1316—1323. Craisson: Manuale totius juris canonici (approbatum et commendatum ab examinatore Romanis) Tom. III pag. 397—402. Ed. 3. Pictavii 1872. Palmieri: Tract. de Poenit., Append. de Indulg. §. 3 pag. 468—478. Romae 1879.

### §. 176.

## De iis, quae in subjecto ad lucrandas Indulgentias requiruntur.

### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Ad Indulgentiam quaecumque acquirendam exigitur, ut eam lucraturus 1. sit baptizatus, non excommunicatus, et in statu gratiae, ut 2. adimpleat opus injunctum, cui Indulgentia adnectitur. *Primum* requiritur, ut sit Indulgentiae percipiendae capax; *alterum*, ut ejusdem fiat particeps.

2. — Requiritur I. ut quis sit *baptizatus*, quia dispensatio thesauri Ecclesiae fieri nequit, nisi filiis Ecclesiae, et quia absolvi nequeunt, qui Ecclesiae jurisdictioni non subjacent, — *non excommunicatus*, quia secus communione bonorum spiritualium privatus existit, — *in statu gratiae*, quia poena non dimittitur, nisi dimissa culpa; et quia Indulgentia est favor solis Dei filiis et amicis destinatus: oritur enim ex paterna Christi benignitate in filios, ut ex Constit. Clementis VI. *Unigenitus* colligitur. *Sufficit autem, ut opus ultimum, in quo Indulgentia acquiritur, in statu gratiae peragatur*, nisi in literis concessionis aliud exigatur. Ita s. Alphonsus<sup>4)</sup> et Benedictus XIV. in Const. *Inter praeteritos*.

In Indultis, quibus partiales Indulgentiae conceduntur, plerumque praescribitur, ut eas lucraturi opera injuncta faciant *corde*

<sup>1)</sup> Quos citat Bellarmin: De Ind. Lib. I. cap. 12.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 532.

<sup>3)</sup> Op. c. Lib. I. cap. 12.

<sup>4)</sup> Lib. VI. n. 534 sub 9.



*contrito* vel *corde saltem contrito* aut *contriti*. Quaeritur, quid significet haec formula?

Resp. In partialibus Indulgentiis praecipitur contritio non ut *conditio*, cui tamquam operi injuncto Indulgentiae colligantur, sed ut *dispositio* necessaria seu medium subsidiarium (si confessio sacramentalis peragi nequeat) ad obtinendum statum gratiae, sine quo Indulgentiae lucriferi non possunt. Ideoque iis, qui in statu gratiae versantur, opus non est, ut actum contritionis eliciant ad Indulgentias partiales lucrandas. Declaratio S. C. Ind. 17. Dec. 1870 a Pio IX. approbata et confirmata.<sup>1)</sup>

3. — *An requiritur status gratiae ad lucrandam Indulgentiam pro defunctis?* Absolute affirmat s. Alphonsus, quidquid dicant alii.<sup>2)</sup> Et merito. Ratio 1. quia dum Summus Pontifex concedit Indulgentiam pro defunctis, dicit eam *applicari posse* pro defunctis; jam vero ut applicari possit Indulgentia, debet prius acquiri; atqui Indulgentia acquiri a nemine potest, qui est in statu peccati mortalis. 2. Summus Pontifex, dum vivis Indulgentiam concedit atque eam pro defunctis etiam applicari posse declarat, eandem plane dispositionem nexu continuo exposcit, nimirum ut Christi fideles sint *contriti*, vel *corde saltem contriti*, si agitur de Indulgentia partiali, ut sint *vere poenitentes*, *confessi* etc., si de Indulgentia plenaria agitur; nulla prorsus exceptione quoad Indulgentias defunctis applicandas adjecta.

Dicunt, qui contrarium contendunt, quod opus ponitur tamquam conditio, qua posita S. Pontifex applicat defuncto Indulgentiam seu satisfactiones Christi et Sanctorum, et ideo non opus est statu gratiae. — Ast 1. vix censendum est, quod Ecclesia opus mortuum existentis in peccato mortali et inimici Dei acceptabilem et sufficientem habeat conditionem ad Indulgentiam defunctis applicandam. Praeterea 2. juxta hanc sententiam Summus Pontifex ipse immediate et directe defunctis applicaret Indulgentiam, quod non tantum est contra doctrinam s. Thomae<sup>3)</sup> aliorumque Doctorum, sed nec facile componi cum eo potest, quod Apostolica Sedes in Indultis applicationem Indulgentiarum pro defunctis concessam arbitrio et intentioni eorum, qui opera injuncta adimplent, relinquit. Sic P i u s IX. in Encycl. de Jubilaeo 1875 apertissime id declarat verbis: *annuentes, etiam ut haec indulgentia animabus, quae Deo*

<sup>1)</sup> Vid. Acta S. Sedis Vol. VI. pag. 388 et seq.

<sup>2)</sup> H. A. Tr. 16 n. 62. Lib. VI. n. 534 sub 10.

<sup>3)</sup> Suppl. q. 71 a. 7. Dicit enim, quod Indulgentiae *primario* et *directe* non dantur nisi viventibus, qui possunt opera injuncta perficere; de-

functis autem dantur *secundario* et *indirecte*, quatenus viventes pro mortuis opera illa perficiunt; ex quo etiam requiritur, ut qui opera illa perficit, sit in statu gratiae. Idem tenet et probat P a l m i e r i: Tract. de Poen., Appendix de Indulg. pag. 480—482. Romae 1879.

*in caritate conjunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat.*

4. — Requiritur II. ad Indulgentiam quamcunque lucranda, ut *opus injunctum perficiatur*, quia non nisi sub hac conditione Indulgentia conceditur; concessio vero conditionata non valet, nisi conditio impleatur. Quapropter nec impotentia implendi opus injunctum, nec ignorantia aut probabilitas quaecunque excusat, ut quis indulgentiam acquirat, qui aliquid necessarium omittit, juxta commune Theologorum axioma: Indulgentiae tantum valent, quantum sonant.<sup>1)</sup>

Per opus alioquin debitum et persolvendum non satisfit operi ad lucranda Indulgentiam injuncto, nisi in literis concessionis id expresse permittatur. Constat ex Decr. S. C. Ind. 29. Maji 1841.<sup>2)</sup>

Debent autem opera praescripta *fideliter, integre, pie et devote* atque *tempore determinato* adimpleri.

1. *Fideliter*, sine ulla immutatione. Si Indulgentiae sunt precibus adnexae, preces recitari possunt quocunque idiomate, dummodo versiones sint fideles, et qua tales declaratae a S. Cong. Ind. vel ab uno ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio. Pius IX. die 29. Dec. 1864.<sup>3)</sup> Non est necesse, ut preces Indulgentiis ditatae *flexis genibus* recitentur, nisi expresse sit praescriptum, S. C. Ind. 11. Aug. 1862. Possunt etiam *alternatim* cum aliis persolvi e. g. rosarium, Litaniae, Angelus Domini, S. C. Ind. 29. Feb. 1820. (Moderatores Congregationum III. Ordinis saecularis s. Francisci, dantes aliis absolutionem generalem aut benedictionem papalem, hanc etiam ipsi in eodem actu lucrari valent, quando legitime impediuntur, quominus eam ab alio sacerdote recipiant — dummodo sint rite dispositi eaque praestiterint opera, quae praescripta sunt. Ita S. C. Ind. approbante Leone XIII. die 14. Julii 1900.)

2. *Integre*, ita ut nihil omittatur. Quodsi modicum quid e. g. unum vel duo Ave in recitatione rosarii negligatur, Indulgentia non amittitur, quia adhuc opus moraliter integrum ponitur.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 534 sub 13.

<sup>2)</sup> Nimirum declaravit: *Per preces obligatorias e. g. horas canonicas, non potest satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandum Indulgentiam plenariam.*

<sup>3)</sup> Sed Officium parvum B. M. V. recitari debet in lingua latina. S. C. Ind. 6. Maji 1887 et 13. Sept. 1888. Idem tenendum est quoad Officium Defunctorum. Ita Beringer: Die Ablässe, 12. Aufl. S. 102.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 534 sub 16.

3. *Pie et devote*, non solum externe, vel affectu improbo. Hinc si quis in operis executione committit peccatum veniale, quod substantiam actus inficit e. g. oret vel eleemosynam distribuat ob vanam gloriam, Indulgentiam non lucratur; secus vero, si peccatum non vitiat substantiam actus, sed per accidens eam comitatur, ut e. g. si quis oret distracte, visitans Ecclesiam loquatur verbum otiosum.<sup>1)</sup>

4. *Tempore praescripto*; nempe integro diei naturalis spatio, i. e. a media nocte ad mediam noctem, nisi aliud expresse habeatur in Indultis. S. C. Ind. 12. Jan. 1878.<sup>2)</sup>

Ruthenis seu Graeco-Catholicis, qui Calendarium diversum a nostro sequuntur, Leo XIII. concessit pro gratia, quod omnes qualescunque Indulgentiae vel in ecclesiis eorum secundum ecclesiasticum Ruthenorum Calendarium lucrifiant eodem modo, sicuti a Latinis vel in eorum ecclesiis secundum Calendarium romanum. Die 27. Maji 1895.

*An requiritur intentio ad lucrandas Indulgentias?* Certo requiritur intentio saltem *virtualis*, quoties Indulgentia conceditur cum certa intentione sibi proponenda e. g. orandi ad intentionem Papae; alias sufficiens videtur intentio *interpretativa*,<sup>3)</sup> vel certe sufficit intentio generalis mane elicita ad lucrandas omnes Indulgentias per diem occurrentes.

*An fideles sodalitati alicui adscripti lucrari possunt Indulgentias ei concessas, si statuta ejus non servant?* Resp. *Affirm.*, dummodo sodalitas canonice erecta sit, et sodales legitime adscripti opera injuncta a SS. Pontificibus pro lucrandis Indulgentiis suae respectivae confraternitati adnexis adimpleant; quia statuta ad regimen et rectam sodalitatis administrationem data sunt, minime vero tamquam injuncta opera ad Indulgentias acquirendas. Ita S. C. I. die 25. Jan. 1842.<sup>4)</sup>

5. — **Principium II.** Ad *plenarias* Indulgentias lucrandas praeter illa modo exposita requiruntur 1. immunitas ab omni peccato veniali, et 2. saltem ordinarie, confessio sacramentalis, communio et preces. *Primum* requiritur tamquam necessaria dispositio, sine qua homo non est capax Indulgentiae plenariae; *alterum*

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 533 in fine.

<sup>2)</sup> Ad quaestionem, an hoc ita stricte intelligendum veniat, ut non incipiant nisi *a media ad mediam noctem* etiam illae indulgentiae in festis, si in earum concessionibus non addatur

clausula *a primis vespere?* respondit S. C. Ind.: *Standum terminis concessionis.* D. 16. Julii 1887.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 534 sub 14.

<sup>4)</sup> V. Linzer theol.-pract. Quartalschrift 1883. S. 656.

tamquam conditio, *sine qua non* Indulgentia plenaria comparatur, etiam ab homine idoneo seu capace.

Exigitur ergo I. veluti necessaria dispositio *immunitas ab omni peccato etiam veniali*. Ratio liquet, est enim Indulgentia plenaria remissio omnium poenarum temporalium; at vero non potest poena remitti pro peccato nondum deleto. Ideo necesse est, ut absit affectus ad peccatum quodcunque veniale.

Potest autem non obstante peccato veniali Indulgentia, quae ut *plenaria* proponitur, obtineri *partialiter*; quia peccatum veniale non impedit, quominus remittatur poena debita pro aliis peccatis jam remissis; et Summus Pontifex concedendo Indulgentiam plenariam merito censetur eam concedere juxta capacitatem subjecti, ita ut remittatur saltem poena peccatorum, quae sunt dimissa.<sup>1)</sup>

Praescribuntur II. tamquam opera injuncta, quibus Indulgentia plenaria adnectitur, saltem ordinarie, *confessio sacramentalis, communio et preces*; quae igitur sunt conditio, sine qua non talis Indulgentia obtinetur. Dixi: *ordinarie*, nam aliquando plus, aliquando minus requiritur; consulendae sunt literae concessionis.

Et quidem 1. *Confessio* sacramentalis semper necessaria est, etiamsi quis habeat tantum venialia peccata vel certae culpae immemor sit, quando in plenariae Indulgentiae concessionibus apponitur clausula: *Christi fidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communionem refecti etc.* Tunc enim confessio inter opera injuncta est recensenda, quare nemo Indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari potest, nisi sacramentalem confessionem faciat et cetera injuncta opera adimpleat. Constat ex Decr. Ind. 19. Maji 1759 ab Clemente XIII. approbato. Non autem necessario requiritur absolutio, S. C. Ind. 15. Dec. 1841 et 6. Maji 1852.

Confessio fieri potest ab initio diei naturalis, qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuit Indulgentia quaelibet, non solum ratione festivitatis, sed quacunque alia ex causa; attamen alia opera injuncta tempore in concessionibus praescripto impleri debent. Pius IX. die 6. Oct. 1870. Ex Indulto speciali in perpetuum concessio fideles, qui *semel saltem in hebdomada confiteri consueverunt*,<sup>2)</sup> omnes Indulgentias plenarias ab una confessione

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 534 versus finem.

<sup>2)</sup> Id est, quolibet decurrente septem dierum spatio. S. C. Ind. 15. (approb. 23.) Nov. 1878.

ad alteram occurrentes, excepto Jubilaeo, acquirere possunt, dummodo in statu gratiae permaneant. Ex Decr. Clementis XIII. die 9. Dec. 1763. Episcopo petente propter penuriam confessariorum, hoc Indultum extenditur etiam in eos, qui *saltem altera quaque hebdomada* s. confessionem peragere solent.

2. *Communio* aequae ac Confessio (non tamen aliud opus injunctum) peragi potest jam die immediate praecedente illum, quo Indulgentia obtinetur. Pius IX. die 6. Oct. 1870. Non requiritur, ut communio fiat in ecclesia, in qua est Indulgentia lucranda; sufficit, ut haec ecclesia visitetur et in ea oretur juxta mentem Pontificis. (Ex Decr. gen. S. C. Ind. 14. Julii 1894 Confessio ad lucrandam Indulgentiam Portiunculae (2. Aug.) jam die 30. Julii institui potest. Idem valet de festo ss. Rosarii (I. Dom. Oct.) i. e. Confessio fieri potest feria VI. praecedente, S. C. Ind. 25. Martii 1897.)

Communio paschalis sufficere potest ad obtinendam Indulgentiam plenariam, quae incidit in eandem diem communionis, modo non fuerit concessa in forma Jubilaei. Decr. die 10. Maji 1844. <sup>1)</sup>

3. *Preces* juxta mentem concedentis fieri debent; et si non sint determinatae, sufficit, ut communiter dicunt, recitare quinquies *Pater* et *Ave*, vel alias similes orationes, sed vocales. Qui sola mente orare voluerit, laudandus est, aliquam tamen vocalem orationem adjungat. Ita Benedictus XIV. in Const. *Inter praeteritos* §. 83. Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato e. g. pro extirpatione haeresium, non requiritur intentio explicita, singulis vicibus expressa. Decr. 12. Julii 1847.

Surdis et mutis sufficit, orare corde et mente cum aliis, si preces publicae indicentur; preces privatae vocales in alia opera pia commutandae sunt. S. C. Ind. in Decr. 16. Feb. 1852, a Pio IX. die 15. Martii confirmato.

*Visitatio ecclesiae*, dum praescribitur, fieri debet cum sensu devotionis atque animo exhibendi honorem Deo aut Sanctis ejus.

---

<sup>1)</sup> Imo pluries, ut testatur Craisson, S. Sedes concessit, ut per communionem paschalem etiam Jubilaeum lucriferet. Accurate examinandae sunt literae Apostolicae. Ex mandato Pii IX. S. Poenit. 25. Jan. 1875 declaravit, unica confessione et Communione

non posse satisfieri praecepto et simul acquiri Jubilaeum. Et idem jussu Leonis XIII. declaravit S. Poenit. 26. Febr. 1879, 25. Mart. 1881 et 15. Jan. 1886 pro Jubilaeis eorundem annorum.

Ita Benedictus XIV. *Inter praeteritos* §. 44. Hinc non satisfacit, qui solam praesentiam exhibet in loco sacro, quin preces fundat.<sup>1)</sup>

*Surdo -- mutis* sufficit, si ecclesiam adeundo mente et affectu ad Deum orent, ex concess. Pii IX. supra citata.

Si visitatio *ecclesiae* aut *oratorii publici* fuerit injuncta, non sufficit fidelibus visitare oratoria monasteriorum, Seminariorum, ad quae plebs christiana non solet publice accedere. Decr. S. C. Ind. 22. Aug. 1842. Qui autem commorantur in monasteriis aut aliis domibus, e quibus egredi nequeunt arbitrio, possunt lucrari Indulgentias, oratorium proprium visitando, dummodo speciale privilegium habent vel commutationem a suo confessario accipiunt. (S. Poenit. 24. April. 1886.)

Visitatio ecclesiae toties iteranda est, quoties sunt lucrandae Indulgentiae plenariae, pro quibus imposita est visitatio. Decr. 29. Feb. 1864.

6. — Quoad fideles, qui *sunt ita infirmi habitualiter, ut e domo egredi nequeant*, Pius IX. indulisit, ut (exceptis illis, qui in communitate morantur) acquirere possint omnes et singulas Indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, pro quarum acquisitione praescripta sit sacra communio et visitatio alicujus ecclesiae vel publici oratorii, dummodo *vere poenitentes, confessi et ceteris omnibus absolutis conditionibus loco sacrae communionis et visitationis, alia pia opera a respectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant*. Decr. Urbis et Orbis 18. Sept. 1862. Hoc Indultum extendit Leo XIII. die 16. Jan. 1886 ad infirmos et senio confectos in communitate et sub regula viventes,<sup>2)</sup> imo ex Decreto S. C. Ind. 16. Jul. 1887, quod Sanctitas Sua expediri mandaverat, quoad visitationem ecclesiae etiam ad confratres cujuscunque Confraternitatis, Sodalitii et Congregationis canonice erectae, si ex causa judicio confessarii dignoscenda legitime impediti fuerint.<sup>3)</sup>

7. — Possunt plures Indulgentiae eadem die lucriferi, *quavis confessio et communio pro singulis sit praescripta*, dummodo pro singulis Indulgentiis singulae conditiones injunctae iterabiles servantur; attamen confessio iterari debet ab eo, qui nondum im-

<sup>1)</sup> V. Acta S. Sedis Vol. I. pag. 118—120.

<sup>2)</sup> Acta S. Sed. XVIII., p. 462.

<sup>3)</sup> Beringer: Die Ablässe, 12. Aufl. S. 564.

pletis oneribus praescriptis, in peccatum mortale inciderit. Decr. 12. Jan. 1878.

8. — *An Indulgentiae defunctis applicari possunt?* Aff., si id conceditur in Rescripto Pontificis; sed adesse debet intentio talem faciendi applicationem. Ex concessione Pii IX. die 30. Sept. 1852 ii, qui actum heroicum caritatis erga animas purgatorii emiserunt, omnes Indulgentias animabus purgatorii applicare possunt.<sup>1)</sup>

### §. 177.

## De Jubilaeo.

1. — *Jubilaeum est indulgentia plenaria a Summo Pontifice ob graves causas fidelibus solemniter concessa, simul habens adjuncta privilegia certa.* Hinc accidentaliter tantum Jubilaeum differt ab Indulgentia ordinaria, ratione solemnitatis et privilegiorum ipsi adnexorum.

Jubilaeum varium est: 1. *Jubilaeum majus* seu *ordinarium* seu *anni sancti*, quod ordinarie quolibet anno vigesimo quinto recurrit, qui annus sanctus appellatur; et *Jubilaeum minus* seu *extraordinarium* seu *ad instar*, quod a Summo Pontifice post ipsius coronationem et in aliis circumstantiis peculiaribus concedi solet.

2. *Jubilaeum generale*, quod conceditur universo orbi, sed prius Urbi quam Orbi; *particulare*, quod conceditur alicui provinciae vel civitati.

Sedulo consulendae et examinandae sunt *litterae Apostolicae*, in quibus tum *opera* praestanda tum *privilegia* indulta pro Jubilaei Indulgentiis accurate designantur. Hic quae ordinarie occurrunt in Jubilaeo, expendemus.

### A. Opera ad Jubilaeum regulariter praescripta.

2. — Haec sunt 1. Jejunium trium dierum, nempe feria 4., 6. et sabbato, 2. eleemosyna, 3. visitatio ecclesiarum cum precibus

<sup>1)</sup> Heroicus actus caritatis in eo consistit, quod Christifidelis sive aliqua adhibita formula sive etiam tantummodo mente offerat Deo O. M. pro animabus purgatorii omnia opera *satisfactoria*, quae ipse quoad vixerit peraget, necnon omnia suffragia, quae

post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt. His verbis explicavit actum illum S. Congr. Indulg. d. 19. Dec. 1885. — Plura cl. Beringer: Die Ablässe etc., 12. Aufl. 1900. S. 326—331.

ad S. Pontificis intentionem, 4. confessio, 5. communio. Lucrifieri Jubilaeum nequit per opera aliunde debita, nisi S. Pontifex id concedat.<sup>1)</sup> Cf. supra §. 176 n. 4. (Pro Jubilaeo *ordinario* praescribi solent tantum confessio, communio et ecclesiarum visitatio cum debitis precibus.)

1. *Jejunium* trium dierum obstringit omnes, qui cupiunt Jubilaeum lucrari; ideo pueri, infirmi, senes alique, qui ob legitimam causam ad jejunii praeceptum non tenentur, commutationem jejunii in aliud opus a confessario petere debent. S. C. Ind. 10. Julii 1869, Dub. 8. Hoc jejunium fieri debet in una eademque hebdomade. Sed in Jubilaeo a Pio IX. pro Conc. Vaticano concessio singuli dies in diversas hebdomades dividi poterant. S. C. Ind., ut supra, ad Dub. 9.

2. *Eleemosyna* seu pecunia sive alia res appretiabilis eroganda pauperibus praescribitur aut verbis: *quantum cuique pro sua facultate visum fuerit*, et tunc quantitas eleemosynae debet proportionem habere cum cujusque facultatibus, aut injungitur verbis: *prout cuique suggererit devotio*, vel simpliciter: *qui dederit eleemosynam*, et tunc sufficit quaelibet modica quantitas, modo non sit ita parva, ut fere nihil esse videatur.<sup>2)</sup>

Ab eleemosyna facienda non eximuntur religiosi, neque uxores et filii familias; sufficit autem, ut detur a superioribus, illis scientibus; quodsi superior dare nolit, petenda est a confessario commutatio. Nec excusantur pauperes, qui satisfaciunt dando rem minimam; <sup>3)</sup> poterit autem et debet ob impotentiam hoc opus ia aliud eis commutari.

3. *Visitatio ecclesiarum*, quae in Urbe a Summo Pontifice, extra Urbem ab Ordinariis locorum designantur, fieri debet cum precibus ad intentionem Summi Pontificis devote peragendis.

Si in aliquo loco unica adest ecclesia, Ordinarius tot visitationes ejusdem ecclesiae substituere potest, quot visitationes diversarum ecclesiarum exiguntur. S. C. Ind. 15. Mart. 1852.

Docent plures graves auctores, pro visitatione ecclesiae praescripta sufficere ad lucrandam Indulgentiam orare ante ostium

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 536 sub 11.

<sup>2)</sup> Idem n. 538 q. 11.

<sup>3)</sup> Idem n. 538 q. 11 Dub. 1. Dicunt plures, eum lucrari Jubilaeum, qui dat alicui (e. g. famulo) eleemosynam distribuendam, si plane non vel

demum post tempus Jubilaei distribuatur; quia ex aequitate praesumitur Pontifex contentus esse, quod ille, quantum de se erat, dominium rei datae abjecit. S. Alph. n. 538, Quaer. 11 Dub. 2.



vel in coemeterio, si prae multitudine hominum illam nequeas ingredi; imo addunt, si ores ante ostium ecclesiae, quando illud est clausum.<sup>1)</sup> Alia huc spectantia vid. supra §. 176 n. 5.

4. *Confessio* sacramentalis etiam iis, qui solum venialibus peccatis maculati sunt, necessaria est coll. §. 176 n. 5.<sup>2)</sup> Si quis post confessionem prolabitur in mortale, debet iterum confiteri, ut opus ultimum fiat in statu gratiae; sed non tenetur repetere ecclesiarum visitationes. Benedictus XIV. *Inter praeteritos* §. 73 et 79.

5. *Communio* quoad pueros, qui nondum ad primam communionem admissi sunt, in aliud opus pium commutari potest. Benedictus XIV. *Inter praeteritos* §. 80. Qui periculose decumbens s. viaticum recipit, non tenetur iterato communicare ad lucranda Indulgentiam. S. Poenit. 28. Martii 1900.

Generatim observandum, quod opera injuncta aliquando a confessario *in alia opera commutari* possunt, casu nempe, ubi impedimentum vere aut moralis impotentia adest, si *excipias confessionem et communionem* (nisi agatur de pueris) et *orationem* necessariam in visitatione ecclesiarum; atque haec commutatio fieri debet in opera alia *ejusdem naturae*, nec aliunde debita, atque non nisi *in actu sacramentalis confessionis* fieri potest. Benedictus XIV. *Inter praeteritos* §§. 53, 55 et 63.

## B. Privilegia praecipua in Jubilaeo concessa.

3. — Haec sunt 1. licentia data poenitenti, eligendi confessarium quemlibet ex approbatis ab episcopo, 2. facultas confessario impertita absolvendi ab omnibus censuris et peccatis reservatis, 3. facultas dispensandi super quibusdam irregularitatibus et impedimentis matrimonialibus, 4. facultas commutandi plura vota. Quae tamen facultates, cum directae sint ad Jubilaei consecutionem, ac veluti praeparatio ipsius, non possunt adhiberi, nisi cum eo, qui et ad consequendum Jubilaeum praeparatus est

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 538, Quaer. 10 in fine.

<sup>2)</sup> Dum ad Jubilaei consecutionem facienda praescribuntur opera, quae ex natura sua mera consilii opera et supererogatoria essent: praescribi

etiam venialium peccatorum confessio iis potest, qui mortalia non habent, etiamsi extra hujusmodi circumstantias atque in abstracte loquendo, venialia peccata confitendi obligatio non adesset. Ita Benedictus XIV. *Inter praeteritos*.

et certum habet propositum adimplendi opera injuncta.} Benedictus XIV. *Inter praeteritos* §. 62.

4. — Quod I. attinet *licentiam eligendi confessarium*, licet monialibus stricte dictis et earum novitiis eligere sibi quemcunque confessarium, dummodo ab actuali Ordinario loci sive pro alio monasterio sive pro monialibus in genere sit approbatus, nec umquam ob demerita reprobatus. Benedictus XIV. in Const. *Celebrationem* 1. Jan. 1751.<sup>1)</sup> Moniales vero votorum simplicium possunt sibi semel eligere confessarium ex simpliciter approbatis. S. Poenit. 17. Jan. 1900.

Pariter regularibus licet confessionem explere apud quemcunque sacerdotem approbatum ab actuali Ordinario loci, etiam saecularem, et absolvi possunt a casibus in eorum Ordine reservatis; quod Alexander VII. in Const. *Unigenitus* concessit.<sup>2)</sup> Ex Bulla extensionis Jubilaei 1900 iisdem licuit etiam confessarium proprii Ordinis solummodo a praelato suo regulari approbatum eligere.

5. — II. Quoad *facultatem absolvendi a censuris et peccatis* sive Pontifici sive Ordinario *reservatis*, observandum est, quod confessarii nequeunt valide absolvere 1. *proprium complicem* in peccato turpi, 2. *reum attentatae absolutionis complicitis*,<sup>3)</sup> 3. *reum falsae accusationis de sollicitatione*, 4. *reum haereseos formalis externatae*, „etiamsi verba Indulti generalia et generalissima sint, nisi haeresis expresse et individualiter nominetur“, ut Bened. XIV. *Inter praeteritos* declaravit,<sup>4)</sup> neque 5. eos, qui ab Apostolica Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico *nominatim excommunicati, suspensi, interdicti* vel in alias sententias et censuras incidisse declarati vel *publice denunciati* fuerint, nisi intra tempus

<sup>1)</sup> Non requiritur ut approbatio illa adhuc perseveret, sed sacerdoti suffragatur etiam approbatio pro monialibus olim accepta, licet revocata, modo nunquam ob demerita, quae ipsas confessiones spectant, expresse fuerit reprobatus. Excipe, si interpretationi Benedictinae adversetur Bulla Jubilaei uti illa anni 1886, quae electionem ex *actu* approbatis exegerat. Cf. Collationes Brugenses p. 199, 1901. Wiener Dioecesanblatt 1901, p. 67.

<sup>2)</sup> S. Alph Lib. VI n. 536 in fine.

<sup>3)</sup> Bulla extensionis Jubilaei 1900 exceptit crimen absolutionis complicitis ter aut amplius admissum.

<sup>4)</sup> Pro Jubilaeo occasione Conc. Vaticani S. P. confessarius indulsit facultatem absolvendi poenitentem ab haeresi formali, *abjuratis prius et retractatis erroribus prout de jure*. S. Poenitentiarum 1. Junii 1869. Haec facultas dehinc semper conceditur, quod testantur s. Poenit. 25. Jan. 1875 et Bullae Jubilaei 1879, 1881, 1886 et 1900.

pro Jubilaeo lucrando concessum satisfecerint et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint. Sic Benedict. XIV. *Convocatis* n. 5 et 6. Excipe, si illi intra praefinitum tempus iudicio confessarii satisfacere non potuerint; tunc enim absolvi possunt in foro conscientiae ad effectum duntaxat assequendi Indulgentias Jubilaei, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt. Ita Pius IX. lit. apost. *Nemo certe* 11. Apr. 1869, et recentiores Bullae Jubilaei. Idem jam pridem s. Alphonsus censuit,<sup>1)</sup> qui addit, absolutum a censuris sub promissione satisfaciendi, non reincidere in eas, si postea non satisfaciat, quia reincidentia non incurritur, nisi de jure exprimat.

Sed hic plures urgent quaestiones practicae discutiendae.

Quaeritur 1. *An absolvi possit a reservatis, qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi Jubilaei?* R. Affirmat sententia communior et satis probabilis, dummodo sit rite dispositus; quia facultas generaliter concessa non est limitanda,<sup>2)</sup> eoque minus, quod data est in favorem animarum.

Per confessionem *invalidam* culpabiliter (seu sacrilegam) non tollitur reservatio peccatorum; et *probabilius* (in Jubilaeo) nec per confessionem *inculpabiliter* invalidam, ut dictum est §. 145 n. 4 sub 5.

Quaeritur 2. *An ille, qui tempore Jubilaei oblitus est confiteri peccata reservata, possit deinde a quocunque confessario absolvi?* R. Aff., quia confessarius prior vel expresse habuit vel merito praesumitur habuisse intentionem, conferendi suo poenitenti per absolutionem omne beneficium, quod potest.<sup>3)</sup>

Item ille, qui confessionem intra Jubilaeum incepit et absolutio a confessario justa de causa dilata fuit, ab omnibus peccatis reservatis postea absolvi poterit, quia coepta causa manet potestas delegati, donec finiatur.<sup>4)</sup>

Quaeritur 3. *An peccet graviter, et reincidat in reservationem, qui absolutus a reservatis non implet opera injuncta?* R. 1. *Neg.* quoad peccatum, quia nulla videtur gravis imposita obligatio, implendi opera pro Jubilaeo injuncta. 2. *Neg.* quoad reservationem, ut ex Const. Benedicti XIV. *Inter praeteritos* §. 86 constat.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 537, Quaer. 7.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 537, Quaer. 4.

<sup>4)</sup> Idem l. c.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 537, Quaer. 6.

<sup>5)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 537, Quaer. 3.

6. — Ulterius III. conceditur confessario *facultas dispensandi super occulta irregularitate ob violationem censurarum duntaxat*, quatenus ad forum externum non sit deducta nec facile deducenda, omni alia irregularitate sive ex delicto sive ex defectu exclusa. Benedictus XIV. *Inter praeteritos*, Pius IX. *Nemo certe* 11. Apr. 1869.

Ex Bulla extensionis Jubilaei 1900 confessarius potuit etiam pro foro tantum conscientiae *dispensare super quibusdam impedimentis matrimonialibus*, nempe — 1. super impedimento *consanguinitatis* et *affinitatis legitimae* in secundo gradu mixto cum tertio, in tertio solo, in tertio mixto cum quarto et in quarto solo, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, in ordine ad matrimonium scienter vel ignoranter sic contractum convalidandum; — 2. super impedimento *affinitatis illicitae* occulto tam primi quam primi mixti cum secundo, aut secundi tantum gradus, sive agatur de matrimonio contracto ut convalidetur, sive etiam de matrimonio contrahendo, dummodo causae graves et canonice sufficientes intersint — ita tamen ut, si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae vel desponsandae, hujus nativitas copulam antecesserit, et non aliter; — 3. tam pro matrimonio contrahendo quam contracto super impedimento *cognitionis spiritualis*; — 4. super impedimento *criminis* occulto, neutro tamen machinante i. e. quando solum concurrunt adulterium et fides data de matrimonio contrahendo post conjugis mortem (quod rursus valet pro matrimonio contracto et contrahendo); — 5. ad *petendum debitum* in casu affinitatis incestuosae matrimonio supervenientis; — 6. ad *petendum pariter debitum* cum illis, qui voto simplici castitatis obstricti matrimonium contraxerunt, illos monendo facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus ac antea voto obstrictos, si conjugum supervixerint.

7. — Denique IV. confessarius gaudet *facultate vota quaecunque*, (non excepto voto commutationem non petendi) *etiam jurata et Sedi Apostolicae reservata in alia pia et salutaria opera dispensando commutandi*. Ubi advertendum, quod cum dicatur: *dispensando commutare*, principaliter attendi debet ad commutationem, ita ut materia substituta non sit exorbitanter minor; secus si dicatur: *dispensatio fiat commutando*;<sup>1)</sup> neutrum vero licet, si simpliciter dicatur: *commutare*, ut liquet ex S. Poenit. 1. Nov. 1899. Excipiuntur tamen 1. vota castitatis et religionis, quatenus illa vota sint perfecta et absoluta, nec non vota in favorem tertii emissa et ab illo acceptata,<sup>2)</sup> atque 2. vota poenalia, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur

1) Bened. XIV. *Inter praeteritos*. S. Alph. n. 536.

seu *votum perseverantiae* in aliqua Congregatione, quod naturam assumit contractus. Vid. Lib. II. §. 61 n. 2.

2) Huc etiam spectat juramentum

S. Alph. Lib. VI. n. 536.

hujusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia. Pius IX. *Nemo certe* 11. Apr. 1869 et Bulla Jubilaei 1900.

Communiter dicunt, quod pro commutatione votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit illa communis, qua motus est S. Pontifex ad Jubilaeum indicendum.<sup>1)</sup>

Qui post obtentas absolutiones a censuris, aut votorum commutationes seu dispensationes, *serium ac sincerum propositum Jubilaei lucrandi ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi mutaverint*, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censerī vix possint: nihilominus *hujusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes ab ipsis obtentae in suo vigore persistunt*. Ita Pius IX. in Encycl. de Jubilaeo 1875 et Leo XIII. in Bulla Jubilaei 1900 declararunt.

8. — *An Jubilaeum pluries lucrifieri potest?* Non potest, nisi hoc in literis Apostolicis specialiter sit expressum. Durante Jubilaeo anni sancti 1900 praesto erat Indulgentia lucranda *pluries* Romae et *bis* extra Urbem pro personis privilegiatis. Hinc ad quaestionem: *An ipsa Jubilaei Indulgentia defunctis applicari possit?* respondit S. Poenit. 10. Maji 1900: „Sanctissimus declarare dignatus est, eos qui bis aut pluries Anni Sancti Jubilaeum lucrantur, posse secunda vice ac deinceps, si ita placuerit, indulgentiam plenariam per modum suffragii defunctis applicare.“

Sed Confessarii praedictis facultatibus uti possunt *hac vice tantum* i. e. „non cum iis poenitentibus, qui post primam Jubilaei acquisitionem iterum in censuras incurrerunt aut peccata reservata commiserunt aut novis votorum commutationibus aut dispensationibus indigent“. *Inter praeteritos* §. 84. Ex his sequi videtur, eum, qui prima vice *non indigebat* gratiis concessis, hac vice vero, qua rursus vult Indulgentiam lucrari, iis indiget, earundem participem fieri. Sed attendi debent pro quovis Jubilaeo decisiones edi solitae.<sup>2)</sup>

9. — In Jubilaeo *anni sancti* seu *ordinario* (et in hoc solo, non tempore quo ad Orbem extenditur), suspenduntur toto anno

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 537, Quaer. 4 in fine.

<sup>2)</sup> In Jubilaeo ad Orbem extenso 1900 Confessarii poterant pluries uti facultatibus extraordinariis erga eun-

dum poenitentem, qui nondum omnia opera injuncta ad Jubilaei indulgentiam lucrandam adimpleverat. Ex mandato Leonis XIII. S. Poenit. 25. Jan. 1901.

aliae Indulgentiae tam plenariae quam partiales pro vivis concessae, non autem suspenduntur Indulgentiae concessae pro defunctis. Imo ex concessione Benedicti XIV. omnes Indulgentiae, etiam illae, quae alias non erant applicabiles defunctis, iis hoc anno applicari possunt.<sup>1)</sup> Excipiuntur a suspensione Indulgentiarum pro vivis: 1. Indulgentiae pro moribundis, 2. Indulgentiae pro oratione *Angelus*, 3. Indulgentiae pro visitatione ss. Sacramenti solemniter expositi (40 horarum), 4. Indulgentiae pro iis, qui comitantur ss. Sacramentum infirmis delatum, 5. omnes Indulgentiae, quae ab alio quam a Papa conceduntur.

### §. 178.

#### Altare privilegiatum.

1. — *Privilegium altaris dicitur privilegium ab Apostolica Sede concessum, vi cuius per Missae celebrationem Indulgentia plenaria applicari potest fidelibus defunctis.* Duplex distinguitur: 1. *locale*, si privilegium certo altari est adnexum; 2. *personale*, si alicui personae conceditur.

Quod I. privilegium altaris *locale* attinet, 1. altare privilegio Apostolico decorandum debet *esse fixum*, nisi in Indulto permittatur portatile; porro *fixum* hic non intelligitur sensu liturgico, sed „altare, quod a loco removeri non possit, non tamen, cuius superior pars sive mensa sit ex integro lapide vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit“. S. C. I. 20. Mart. 1846. „Sufficit ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur“. S. C. I. 26. Mart. 1867. Porro 2. privilegium conceditur *altari* in honorem alicujus Sancti vel mysterii erecto, non lapidi; hinc a) privilegium manet, si ab altari fixo privilegiato rationabili de causa lapis consecratus amoveatur et alius substituatur, S. C. I. 15. Dec. 1841; nec b) privilegium perit, si idem altare sub eodem titulo reaedificetur in alio loco ecclesiae; neque per reconstructionem ecclesiae in eodem loco. S. C. I. 30. Aug. 1847 et 24. Apr. 1843.

<sup>1)</sup> V. rescriptum S. Poenit. 28. Martii 1900: „Non suspensa est facultas impertiendi indulgentiam fidelibus extra articulum mortis v. g. per bene-

dictionem papalem, absolutionem tertiariorum etc.; sed indulgentiae solis defunctis sunt applicandae“.

II. Privilegio altaris *personali*, quod plerumque restrictum est ad certos in hebdomada dies, uti potest sacerdos in quocunque altari sive fixo sive portatili. Sacerdos, qui emisit oblationem, omnia bona opera in defunctorum utilitatem cedendi (§. 176 n. 8), gaudet Indulto altaris privilegiati quotidiani.

2. — Clemens XIII. omnes et singulas totius orbis catholici ecclesias parochiales altari privilegiato et quidem quotidiano ad septennium condecorari voluit, episcopis tamen pro hac gratia tum prima vice tum post elapsa septennia ad S. Sedem recurrentibus.<sup>1)</sup>

Omnia altaria sunt privilegiata die commemorationis omnium fidelium defunctorum S. C. I. 19. Maji 1761, et tempore orationis 40 horarum, 10. Maji 1807.

Privilegium altaris sive locale sive personale non potest *pluribus* defunctorum animabus applicari S. C. I. 29. Feb. 1864. Qui vero Missam pro defuncto celebrat eidemque applicat Indulgentiam plenariam altaris privilegiati, potest eodem die, vi sacrae Communionis in Missae sacrificio peractae, lucrari aliam Indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur s. Communio. S. C. I. 10. Maji 1844.

Sacrificium et Indulgentia altaris privilegiati secundum hodiernam praxim<sup>2)</sup> dividi non possunt, sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum. Idem locum habet, quando fundator aut stipendium erogans imponit onus celebrandi pro defuncto in altari privilegiato. S. C. I. 31. Jan. 1848.

In aliquibus altaribus reperitur inscriptio: „Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis.“ Quomodo intelligenda est haec inscriptio? Respondit S. C. J. 25. Aug. 1897: „Interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in altari, de quo agitur, Missae Sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his Sacrificium applicetur, intelligatur concessa Indulgentia plenaria;

<sup>1)</sup> *Pro praxi.* Quodsi altare privilegiatum in ecclesia parochiali quatale nondum designatum est, ad episcopum dirigenda est petitio hujus tenoris: „Illustrissime et Reverendissime Domine! N. Rector parochiae P. hujus dioecesis, pro ecclesia sua parochiali sancti X. atque in ea sito summo altari, sancto Y. dedicato petit humiliter privilegium quotidianum ad septennium a Clemente P. XIII. die 19. Maji 1759 omnibus ecclesiis paro-

chialibus benigne concessum.“ Versus finem septennii petenda est privilegii prorogatio verbis: „N. Rector Ecclesiae O. petit humiliter confirmationem indulti altaris privilegiati sancti P., quia septennium currens explebitur die mensis hujus anni“ Beringer: Die Ablässe etc. 12. Aufl. S. 442.

<sup>2)</sup> „Hoc enim modo privilegium altaris conceditur a Summo Pontifice.“ Resp. S. C. J. 18. Dec. 1885.

pro vivis ad modum jurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii“. Alterum dubium simul cum priore propositum: „An Indulgentia altaris privilegiati separari possit, quando celebretur Sacrificium pro vivis, ita ut Indulgentia praedicta applicari possit pro defunctis ad libitum Celebrantis?“ eadem Congr. solvit rescripto: „Negative“.

Et Leo XIII. has responsiones ratas habuit et confirmavit.

3. — Quoad efficaciam privilegii altaris S. C. I. die 28. Julii 1840 declaravit, „per Indulgentiam altari privilegiato annexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse Indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.“

4. — Ad hanc Indulgentiam privilegii consequendam requiritur, ut sacerdos diebus non impeditis celebret Missam de *Requie*; quando dies est impedita, sufficit Missam de festo currenti legere. S. C. I. 11. April. 1840 et 11. Martii 1851. Qui habet privilegium personale pro 3 vel 4 Missis in singulis hebdomadibus, Missam de *Requie* celebrare debet diebus non impeditis, seu differre ad dies non impeditos, quatenus in eadem hebdomade occurrant S. C. I. 29. Feb. 1864.

Ad Indulgentiam in altari privilegiato lucranda non requiritur intentio, sive ex parte celebrantis, sive ex parte offerentis honorarium. S. C. I. 12. Mart. 1855.

Nequeunt recipi onera perpetua ac foundationes ad altaria privilegiata. S. C. I. 14. Dec. 1711.

## §. 179.

### **Indulgentia pro articulo mortis concessa.**

Moribundus Indulgentiam plenariam ex variis titulis lucrari potest, etiam sine sacerdotis interventu, ut e. g. si habet res sacras (Crucem, rosarium, numismata etc.) Indulgentiis papalibus instructas, si est sodalis piae alicujus confraternitatis, si frequenter in vita elicuit actus virtutum theologicarum etc. Verum conditiones requiruntur sequentes: 1. ut sit confessus et s. Communionem refectus vel si haec Sacramenta suscipere nequeat, ut saltem contritus sit; — 2. ut nomen Jesu invocet, quod quidem est plerumque praescriptum; — 3. ut secum res habeat, quibus affixae sunt Indulgentiae, scilicet Crucem, rosarium, numismata etc.;



quin tamen necesse sit, easdem habere collo appensas vel manu apprehensas; sufficit, ut ejusmodi res sint prope ipsum in lecto vel pariete, quamvis eas non videat nec de iisdem cogitet. Expediit tamen moribundo lucranda Indulgentiam in mentem revocare.

Moribundus, licet ex variis titulis jus habet ad Indulgentiam plenariam in articulo mortis, nihilominus eam *una vice* tantum lucrari valet, id est, in vero mortis articulo. S. C. Ind. 23. Jan. 1901.

Praefata Indulgentia non est applicabilis per modum suffragii animabus purgatorii, eo quod juxta mentem Summi Pontificis eam concedentis *personalis* est moribundo. Ita ex declaratione Secretarii S. C. Ind. 17. Martii 1886, ex ultima *Raccolta* editione pag. 22 n. 7 a. 1898 et ex ultimo catalogo authentico Indulgentiarum ss. Rosarii a Leone XIII. die 29. Aug. 1899 approbato. — Ad quaesitum: „An illi qui actum heroicum fecerunt, possint, imo si istum actum revocare nolunt, etiam debeant Indulgentiam lucrifactam in articulo mortis pro defunctis offerre?“ respondit S. C. Ind.: *Non esse interloquendum*. Die 23. Jan. 1901.

\* Beringer: Die Ablässe etc. S. 345 u. 478. 12. Aufl. 1900.  
Noldin: De Sacram. n. 317. Collationes Brugenses, op. period. p. 378 a. 1901.

## §. 180.

### Benedictio Apostolica.

1. — Inter titulos ad Indulgentiam in mortis articulo lucranda maxime eminet *Benedictio Apostolica* seu absolutio generalis.<sup>1)</sup>

Benedictus XIV. in Const. *Pia Mater* 5. Aprilis 1747 facultatem impertiendi moribundis Benedictionem Apostolicam Indulgentia plenaria ditatam, quae olim solis episcopis petentibus ad triennium fuit concessa, extendit ad omne tempus, quo episcopi Ecclesiae regimen obtinebunt, adjecta simul facultate subdelegandi sacerdotes saeculares et regulares; atque simul addidit, nec Indultum episcopis concessum per mortem Summi Pontificis, neque

<sup>1)</sup> Sic vocatur, non acsi absolutio ab omnibus peccatis fieret, sed quia omnes remittuntur poenae temporales. — Hodie sub „absolutione generali“ proprie intelligitur benedictio, qua Regularibus cujuscunque Ordinis

semel vel pluries per annum absolutio ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum majorum suorum etc. cum indulgentia plenaria conceditur.

subdelegationem per episcopi subdelegantis cessum vel decessum exspirare.

2. — Impertienda est haec benedictio cunctis, qui non sunt excommunicati, impenitentes, neque in manifesto peccato mortali moriuntur; etiam pueris, qui peccare potuerunt, seu quibus absolutio sacramentalis et Extrema Unctio ministratur S. R. C. (2650) 16. Dec. 1826; item sensuum usu destitutis, delirantibus et amantibus, quibus eadem Sacramenta ministrantur, ex Rubrica hujus Benedictionis.

3. — Conditions ad hanc Indulgentiam infirmis applicandam sunt sequentes:

I. Ex parte *sacerdotis* requiritur 1. ut sit delegatus; quoad moniales non solum stricte tales, earum confessarius ordinarius; — 2. ut adhibeat formulam a Benedicto XIV praescriptam, quae si omittatur ob libri defectum, Indulgentia non confertur, quia non est tantum directiva, sed praeceptiva S. C. I. 5. Feb. 1841 et 18. (approb. 22.) Martii 1879.

Formula incipit cum „Adjutorium nostrum etc.“ Anteriores preces *Pax huic domui* etc. et *Asperges me* etc. ex Rituali tantum dicendae sunt ingrediendo cubiculum et omittuntur in Benedictione, si eam immediate praecesserint extrema Sacramenta. — Si vero periculum in mora, etiam confessio generalis et preces praescriptae omittantur, ac statim Benedictio detur verbis: *Dominus noster Jesus Christus* etc.

Ad evitandum contagium licet etiam formula brevissima uti: „Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.“ Ita S. R. C. (3483) 8. Martii 1879.

II. Ex parte *infirmi* requiritur 1. gravis infirmitas, nempe mortis articulus, sub quo intelligitur non quidem agonia, nec imminens, sed grave mortis periculum, et potest post collata Sacramenta extrema statim dari. S. C. Ind. 18. Dec. 1885. Omnino consultum est, ut sacerdos (praesertim in casu magnae distantiae) infirmo, cui extrema Sacramenta ministravit, statim Indulgentiam illam impertiat, ne forte infirmus praeveniat morte, antequam sacerdos advenire possit. Rubrica hujus Benedictionis dicit: *Solet impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis.* Tunc *Confiteor* ter dici debet, S. C. I. 5. Feb. 1841. Ulterius 2.

requiritur, ut infirmus sit „confessus ac sacra Communionem refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, et nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit.“ Decret. S. C. Ind. 23. Sept. 1775. Et quidem invocatio nominis Jesu, saltem mentalis, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, tamquam conditio *sine qua non* ad Indulgentiam lucrandam requiritur, ex eodem Decreto. Moneri debet, „ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque se paratum offerat ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit“. Res prudentiae est, hanc adhortationem (quae jam in confessione fieri potest) ita moderari, ut aegroti indignatio vel perturbatio evitetur. 3. Requiritur intentio lucrandi Indulgentiam, saltem interpretativa, quod patet ex verbis Rubricae.<sup>1)</sup>

4. — Haec Benedictio iterari potest in diverso morbo, „toties, quoties aliquem in mortis articulo constitutum esse contingit“; sed non in eodem statu morbi, Decr. 23. Sept. 1775, quamvis aegrotus in statu peccati mortalis acceperit applicationem, Decr. 20. Jun. 1836; nam „sicut non iteratur extrema unctio, etsi aegrotus Sacramentum hoc accepit in statu letalis peccati vel postea in peccatum relapsus est, sic non est in casu proposito iteranda benedictio pro lucranda plenaria Indulgentia, quae cum concessa sit a Summis Pontificibus pro mortis articulo, suum effectum sortitur in vero articulo mortis.“

5. — Si pluribus moribundis impertienda est haec Benedictio, tolerari potest praxis, qua semel in plurali numero admonitiones et preces Constitutione Benedicti XIV. praescriptae dicuntur, ipsa vero Benedictionis formula, quae incipit „Dominus noster J. Ch.“ etc. usque ad verba: „tibi concedo in nomine Patris et Filii et Sp. S. Amen“ singulariter singulis pronunciat. S. C. J. 10. Junii 1884.<sup>2)</sup>

## §. 181.

### Translatio et cessatio Indulgentiarum.

1. — Quod I. *translationem* attinet, Pius IX. die 9. Aug. 1852 decrevit, Indulgentias determinatis festis adnexas, aut certis

<sup>1)</sup> Dicitur namque, impertiendam esse Indulgentiam illis infirmis, qui *vel eam petierint — vel verisimiliter petiissent vel dederint signa contritionis.*

<sup>2)</sup> Beringer: Die Ablässe etc. S. 490.

ecclesiis vel oratoriis publicis occasione hujusmodi festorum, aut etiam addictas processionibus, novendis, triduis, quae ipsorum causa fiunt ante vel post festa, *eo casu transferri, quo hujusmodi festa forent translata quoad solemnitatem et externam celebrationem; at vero Indulgentias non transferri, quando tantum officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi transfertur.*

2. — Quod II. *cessationem* Indulgentiarum attinet, 1. Indulgentiae ad certum tempus e. g. ad triennium concessae, elapso hoc tempore cessant; indefinite impertitae nunquam cessant, nisi revocentur;<sup>1)</sup> — 2. cessant per expressam concedentis vel successoris ejus revocationem, notitia accepta; non autem per ipsius mortem, nisi in concessione addita sit clausula: *ad beneplacitum nostrum*; — 3. per totalem immutationem rei, cui connexae erant, ita ut res eadem amplius dici nequeat.

Hinc amittuntur Indulgentiae inhaerentes ecclesiae, si haec fere ex integro sit diruta; non autem, si per successivas reparationes renovetur, etiamsi totaliter, permanet enim eadem ecclesia; nec tunc si nova ecclesia fere in loco, ubi vetus sita erat, sub eodem titulo aedificetur S. C. I. 9. Aug. 1843. Similiter non amittit Indulgentias rosarium, si pauci globuli renoventur, imo etsi totum per partes successive reparatur. Si frangitur funiculus, non perit Indulgentia, quae solis granis adhaeret, S. C. I. 10. Jan. 1839; et idem valet, si frangitur Crux, sed imago Crucifixi permanet.

3. — *An amittuntur Indulgentiae, si res mobilis (e. g. rosarium), cui adnexae sunt, alteri tradatur?* Disting. 1. Si quis hujusmodi rem jam suam fecit (nempe eadem utendo et Indulgentiam lucrando), et alteri tradit pro Indulgentiarum communicatione: tunc Indulgentiae pro utroque cessant; ita sapienter Ecclesia statuit ad praecavendos abusus; secus autem, si quis rem Indulgentiis instructam alteri commodat, non ut lucretur Indulgentiam, sed re illa tantum utatur S. C. Ind. 10. Jan. 1839. Quodsi 2. aliquis rem Indulgentiis decoratam *non suam* fecit, eamque alteri gratis cedit, tunc Indulgentiae non pereunt; imo potest alter, quin Indulgentiae amittantur, tertio cuidam et hic tertius quarto cuidam (hic autem

---

<sup>1)</sup> Censendae sunt perpetuae, si absque temporis restrictione datae sunt. S. Alph. Lib. VI. n. 534.

non amplius alii) donare illam rem, antequam eadem usus sit ad Indulgentiam lucrandam. Omnino gratis res tradi debet, ita ut si quid quocunque titulo sive pretii sive permutationis sive muneris sive eleemosynae requiratur vel accipiatur, Indulgentiae amittantur. S. C. I. 25. Jun. (approb. 16. Julii) 1887.

Ad quaesitum: Utrum post mortem domini alter acquirat dominium Indulgentiarum? S. Cong. Ind. 10. Jan. 1839 respondit: *Negative, quia Indulgentiae non transeunt personam prioris domini.*

§. 182.

### **Incitamenta ad lucrificiendas Indulgentias.**

Fideles omni studio excitentur oportet, ut spirituales Indulgentiarum thesauros, Apostolica liberalitate a Christi Vicariis latissime reseratos, lucrificare satagant. Nonne piaculum dices, pecuniae aliisque terrestribus bonis studio indefesso inhiare, et coelestia haec tantaque Ecclesiae bona, quae facili negotio comparari possunt, leviter negligere? Ut quod volunt et velle debent animarum pastores, re ipsa assequantur, ante omnia 1. Indulgentiarum naturam usumque maxime salutarem populo frequenter exponere, Indulgentias pro tempore lucrandas et condiciones requisitas in ecclesia annuntiare debent. Exemplo imitando eis praelucet B. Clemens Maria Hofbauer, qui propter zelum, quo languente fide catholica de Indulgentiis in nostra urbe concionabatur, anno 1816 coram iudicibus civilibus sistere coactus est. 2. Eundem in finem *Viam crucis*, cujus pium exercitium ut ad fidelium utilitatem magis magisque propagetur Benedictus XIV. valde exoptat, et pias sodalitates copiosis Indulgentiis a Sede Apostolica ditatas in suis parochiis erigere, erectasque fovere et promovere prudenti fervore studeant, imitantes s. Carolum Borromaeum, Franciscum Salesium, s. Alphonsum, aliosque Sanctos plurimos. 3. Non praetermittant, ad exemplum s. Leonardi de Portu Mauritio, fidelibus commendare, ut singulis diebus mane renovent intentionem, omnes per diem lucrandi Indulgentias, variis pietatis exercitiis, quae suscipient, forte adnexas. 4. Optime agent confessarii, si poenitentibus pro satisfactione imponant preces aliave pia opera, quibus conjunctae sunt Indulgentiae; quare poenitentes frequentius lucrari Indulgentias, simul atque facilius pro suis delictis satisfacere

poterunt. Quamvis regulariter Indulgentia acquiri non possit per opus aliunde debitum, ut §. 176 n. 4 dictum est; haec tamen est praxis Romae communis, inde a longo tempore observata, et a Summis Pontificibus tacite approbata.<sup>1)</sup> Fiat etiam apud nos haec praxis communis!<sup>2)</sup>

Nonne vero et *animas Christifidelium in purgatorio detentas* his misericordiae operibus sublevare nobis cordi esse debet? Bellarmin assere non dubitat, poenam purgatorii vix ullos justos nisi ex magna Dei misericordia evadere, ita ut recta via ex corpore ad coelum evolent.<sup>3)</sup> Idem censet s. Alphonsus,<sup>4)</sup> et contestatur s. Theresia dicens: „Quamvis multarum animarum statum mihi Dominus revelare dignatus sit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus nescio, an ulla purgatorium evaserit.“<sup>5)</sup> Et tamen s. Augustinus<sup>6)</sup> et ss. Doctores communiter tradunt, minorem poenam purgatorii esse graviolem omnibus poenis praesentis vitae; atque constat animas, quae sunt in purgatorio, ipsas se juvare non posse, cum non sint in statu merendi. Igitur *mortuo non prohibeas, non deneges, gratiam* Eccli. 7, 37. Certe s. Gertrudis justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidiis et precibus juvabat.<sup>7)</sup> S. Franciscus Xav. a Sede Apostolica vehementer expetebat altaria privilegiata aliaque Indulgentiarum dona pro Indis conversis.<sup>8)</sup> S. Benedictus Joseph Labre omnes, quas poterat, Indulgentias pro animabus illis lucrari satagebat.<sup>9)</sup> B. Clemens Maria Hofbauer fidelibus assidue commendavit, ut Indulgentias fidelibus defunctis applicarent et ipse quoque omnia pia opera et Indulgentias Deo pro illis offerebat, dicere solitus animas purgatorii esse egentissimas et gratias referre maximas.<sup>10)</sup>

1) Vid. Craisson: Manuale totius juris canonici. Ed. 3. Tom. III n. 4580. *Anal. eccl.* in fasc. Martii 1901 ad quaestionem: An per opus alias obligatorium Indulgentia acquiri possit.

2) In hunc finem inservire potest opus saepius citatum, auctore Beringer: Die Ablässe etc. Ibi etiam invenitur ampla de Via crucis instructio.

3) De amissione gratiae Lib. I. cap. 13 versus finem.

4) Der Katechet II cap. 5 n. 67.

5) Ribad. in vita s. Ther. cap. 38.

6) Enarr. in Psalm. 37 n. 3.

7) Offic. festi die 15. Nov. Lect. 6.

8) Epist. 43, 44, 60.

9) Pösl: Leben des Ehrw. Dieners Gottes u. s. w. S. 282. Regensb. 1861. Aufl. 2.

10) Acta Beatif. Positio super virtutibus. Summar. pag. 216, 217. Romae 1873.

## CAPUT V.

## De Sacramento Extremae Unctionis.

## §. 183.

## I n g r e s s i o.

Extrema Unctio est vitae spiritualis corona, perfectam sanitatem spiritualem confert homini,<sup>1)</sup> paratumque hominem reddit ad recipiendam immediate gloriam coelestem.<sup>2)</sup> Hoc denique Sacramento clementissimus Redemptor noster *finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit*, ut Concilium Trid. Sess. 14. Proëm. doctr. de Sac. Ext. Unct. tradit.

Jam vero hujus Sacramenti doctrinas per duas partes absolvemus, quarum *una* veluti praevia erit de notione, veritate et effectibus Extremae Unctionis, *altera* de ejusdem administratione et susceptione, quae proxime spectat ad Theologiam moralem, equidem practice considerando hujus Sacramenti materiam, formam, modum administrationis, ministrum et obligationem administrationis, et quando quotiesque illud conferri possit vel debeat, subjectum ejusdemque obligationem et dispositionem.

## A. Veritates praeviae.

## §. 184.

## Notio et veritas Sacramenti Extremae Unctionis.

1. — Definiri potest Extrema Unctio: *Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam graviter infirmo salutem animae vel etiam corporis per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis*. Appellatur *Extrema Unctio*, quia haec unctio omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiae suae commendavit, ultima administranda est. Etiam *unctio infirmorum*, et *Sacramentum exeuntium* (Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3) nuncupatur, quia infirmis adhibetur, iis praesertim, qui in exitu vitae constituti videantur.

2. — **Doctrina fidei.** Extrema Unctio est vere et proprie Sacramentum, ex Conc. Flor. in Decr. pro Armenis, atque ex

<sup>1)</sup> S. Thom. Suppl. q. 29 a. 4 c.

<sup>2)</sup> Idem 3. q. 65 a. 1.

Conc. Trid. Sess. 14. cañ. 1, ubi definivit: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.*“ Quae fidei veritas deducitur ex verbis notissimis Apostoli Jacobi 5, 14: „*Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*“ Quibus verbis indicantur tria ad essentiam Sacramenti requisita: 1. *signum sensibile*, nempe unctio infirmi oleo et oratio, 2. *promissio gratiae*, nempe alleviabit eum Dominus, dando gratiam; et si in peccatis sit, remittentur ei, per gratiam; 3. *divina institutio*, quam Apostolus denotat, cum fidenter asserat, sacra illa unctione et oratione conferri gratiam divinam; si nullus quidem hominum, sed Christus solus valet signo externo vim gratiae intime connectere. Sed eadem veritas etiam universali et constanti Ecclesiae Traditione manifestatur, cujus documenta exhibet Theologia dogmatica.

Quandonam Christus Dominus Extremam Unctionem instituit? Videtur multis, post suam resurrectionem, veluti complementum et consummationem Sacramenti Poenitentiae, quam tunc temporis instituisse constat. Insinuatam autem seu adumbratam hoc Sacramentum est juxta Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1 verbis Marc. 6, 13: *Ungebant oleo multos aegros et sanabant.*

### §. 185.

#### Effectus Extremae Unctionis.

1. — Eugenius IV. in Decreto pro Armenis docet: „*Effectus vero Extremae Unctionis est mentis sanatio; et in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.*“ Igitur

I. Effectus hujus Sacramenti est *mentis sanatio*.<sup>1)</sup> Confertur enim *gratia sanctificans*, quae apte *sanans* appellari potest.

1. Peccata nimirum tollit, inprimis quidem venialia, attamen etiam mortalia, quae inculpabiliter non sunt remissa (e. g. propter occultum aliquem defectum ministri) per Sacramentum Poenitentiae, vel commissa post illud, si nunc ignorantur vel non sunt con-

<sup>1)</sup> *Sospitas*, inquit s. Thomas, *quae exeuntibus et iter ad gloriam agentibus est necessaria*. Suppl. q. 32 a. 2 ad 2.



fessa, quia infirmus propter privationem usus rationis incapax erat confessionis, nec antea habuit contritionem perfectam, dummodo nunc dispositus sit per attritionem. Hinc Sacramentum Extremae Uctionis, quamvis primario sit Sacramentum vivorum, secundario tamen est Sacramentum mortuorum. Unde colligunt Theologi, fieri posse, ut per hoc Sacramentum salvetur, qui alioquin esset damnandus.

2. Reliquias peccatorum abstergit, quae sunt non solum poenae temporales peccatis jam remissis debitae, sed etiam languor seu infirmitas spiritualis ad bonum et voluntatis inclinatio ad malum, quae duplex affectio multitudine peccatorum contrahitur, unde sequuntur anxietas<sup>o</sup> ob conscientiam vitae male actae, et timor mortis. Ab his omnibus peccatorum reliquiis liberatur seu sanatur animus infirmi, juxta ipsius dispositionem.<sup>1)</sup>

3. Per gratias actuales adnexas *aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et temptationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Ita Conc. Trid. Sess. 14. De Extr. Unct. cap. 2.

II. Effectus Extremae Uctionis etiam est interdum, ubi saluti animae expedierit, *sanitas corporis*. Confert illam Sacramentum hoc probabilius ex opere operato, virtute quadam supernaturali, non tamen subito per modum miraculi, sed sensim et via quadam ordinaria, nempe causas naturales adjuvando.<sup>2)</sup> Quare hunc effectum impediunt, qui non suscipiunt hoc Sacramentum, nisi cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeat. Apposite Bellarmin<sup>3)</sup> quaerit: Cur hodieum ex hoc Sacramento tam pauci beneficium sanitatis recipiunt? quia differunt, inquit, id suscipere, donec de vita desperatum sit, et sine miraculo non possint sanari.

2. — Primarius finis hujus Sacramenti juxta s. Alphonsum<sup>4)</sup> et alios multos, quos citat, est alleviatio seu corroboratio infirmi.

<sup>1)</sup> Cum hoc Sacramentum institutum sit ad tollendas reliquias peccatorum, quae non possunt tolli, nisi prius tollatur ipsum peccatum: ideo hoc Sacramentum consequenter auferre peccatum, quod in anima reperitur, s. Alphonsus Lib. VI. n. 371 cum Doctore Angelico docet.

<sup>2)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 714, Advert. 1 in fine. Munier S. J.: Theol. Wirceb., De Extr. Unct. n. 326.

<sup>3)</sup> De arte bene moriendi Lib. II. cap. 8.

<sup>4)</sup> Lib. VI. n. 721.

Extrema Unctio cum obice gratiae suscepta reviviscit, si intra tempus ejusdem morbi removetur obex, nempe peccatum mortale, elicita saltem attritione seu contritione imperfecta.

\* S. Thomas: In IV Sent. Dist. 23 q. 1 a. 2, Suppl. q. 30 per 3 articulos. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 23 a. 1 q. 1 (docens, Extremam Unctionem esse principaliter contra venialia peccata, et per accidens et ex consequenti ad vigorandam animam etc.). S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 731. *Catechismus Romanus*: P. II cap. 6 q. 14.

## B. De administratione et susceptione Extremae Unctionis.

### §. 186.

#### De materia hujus Sacramenti.

##### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Materia Sacramenti Extremae Unctionis remota est oleum ab episcopo benedictum.* Constat ex allegatis s. Jacobi verbis, et expresse docetur a Conc. Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1, ubi dicitur: „*Ex Apostolica Traditione intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum*“.

Requiritur 1. *oleum*, et quidem olivarum, ut diserte tradit Concil. Florent. dicens: „*Materia est oleum olivae*“, hoc enim solum communi loquendi modo oleum nuncupatur. Id etiam totius Ecclesiae traditione et praxi perpetua confirmatur. — Debet autem oleum, saltem ex Ecclesiae praecepto, esse *simplex* i. e. absque ulla alterius liquoris admixtione. Omnes tamen conveniunt, nihil detrahi Sacramenti validitati, si contra communem et perpetuam Ecclesiae praxim oleo admisceatur aliquid balsami, modo admixtio non sit tanta, ut destruat olei speciem, ita ut non amplius oleum censeatur. <sup>1)</sup>

Requiritur 2. oleum *benedictum* ab episcopo, siquidem Concilium Trident. et prius jam Concilium Florent. expresse loquuntur de oleo per episcopum benedicto, ac praeterea Paulus V. die 13. Jan. 1655, Gregorius XVI. die 14. Sept. 1842, et Pius IX. die 10. Jan. 1852 diserte declararunt, oleum ab episcopo benedictum necessario requiri ad Sacramenti validitatem. — Ex delegatione seu commissione Summi Pontificis benedictionem olei fieri posse a *simplici sacerdote*, res exploratissima est, quam nemini licet in quae-

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. De Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 1 n. 3.

stionem adducere,<sup>1)</sup> ex Decreto Clementis VIII. die 31. Aug. 1595 edito, et a Benedicto XIV in Const. *Etsi pastoralis*, §. 4 renovato et confirmato, in quo permittitur presbyteris Graecis (in Italia) in sacramentali Uctione adhibere oleum a semetipsis benedictum.

An vero ad validitatem Extremae Uctionis necessario requiratur oleum specialiter ad conferendam Extremam Uctionem benedictum seu *oleum infirmorum*, non conveniunt Theologi. Quidquid sit, quod discutere non est hic locus, in praxi omnino est tutius sequendum, quia agitur de Sacramenti valore; ideoque solum in casu necessitatis, quo deesset oleum infirmorum, uti liceret oleo catechumenorum vel chrismate, sub conditione: *Si materia sit valida*, et postea, tempore suppetente, Uctio repetenda esset sub conditione: *Si nondum es Sacramento refectus*, nempe statim ac haberetur oleum infirmorum; sic s. Carolus Borrom. praescripsit.<sup>2)</sup>

2. — Oleum infirmorum quotannis Feria V. in Coena Domini ab episcopo confici sub gravi debet et presbyteris dioecesis distribui, cremato vetere; et vetus non potest adhiberi, postquam novum est consecratum et distributum. Ideoque peccatur contra praeceptum Ecclesiae graviter, si extra necessitatem adhibeatur oleum antiquum.<sup>3)</sup>

Quodsi oleum benedictum infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso reparari potest. Ita Rit. Rom.<sup>4)</sup> Imo haec adjunctio *pluries* iterari potest, quamvis omnibus adjunctionibus consideratis sit major quantitas olei non benedicti, dummodo ea in unaquaque adjunctione sit minor. Ita S. C. C. die 25. Sept. 1862, et Pius VI. die 1. April. 1794.

3. — **Principium II.** *Materia proxima Extremae Uctionis est unctio infirmi per oleum ab episcopo benedictum.* Constat ex Conc. Flor. et Trid., indicatur ab Apostolo Jacobo verbis: *ungentes eum oleo.*

<sup>1)</sup> Ita prae laudatus Summus Pontifex l. c. n. 4. Vid. etiam s. Alph. Lib. VI. n. 709 Dub. 3.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 709 Dub. 2.

<sup>3)</sup> Voit: Vol. II n. 894.

<sup>4)</sup> In casu tantum necessitatis fieri potest hujusmodi additio, uti in Rituali praescribitur; quare Feria V. sacro oleo aliud oleum non consecratum addi nequit. S. R. C. (2883) 7. Dec. 1844 ad 3.

In Decreto Concilii Florentini pro Armenis hic ritus sic describitur: „*Infirmus in his locis unguendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.*“ Quamvis sint plures unctiones, unum tamen est Sacramentum, quia omnes pertinent ad unam significationem interioris medellae.<sup>1)</sup>

4. — Sed quaeritur: *An omnes unctiones in Decreto Concilii Florentini expressae sint de necessitate Sacramenti?*

Resp. 1. Certum est, unctiones *renum et pedum* necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem; tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias, tum quia illa renum honestatis causa semper omittitur in feminis, et interdum etiam in viris, qui dimoveri nequeunt sine gravi incommodo (apud nos semper omittitur etiam in masculis).

2. Non certo constat, an unctiones *quinque sensuum* sint de necessitate Sacramenti. Sententia negans non est improbabilis, quatenus s. Jacobus simpliciter dicit: *ungentes eum oleo*, et ungi homo dicitur, quamvis una tantum corporis pars inungatur. At vero sententia affirmans est communior et tutior; et licet verbis s. Jacobi Apostoli non fiat mentio plurium unctionum, tamen sic colligitur ex usu Ecclesiae et communi doctorum sensu.<sup>2)</sup> Praeterea ex Rubrica Ritualis Romani manifeste eruitur, quinque sensuum unctiones esse habendas veluti essentielles, pedum vero et renum unctiones tantum integrales. Ratio congruentiae secundum Doctorem Angelicum<sup>3)</sup> haec est: Unctio sacramentalis fit per modum curationis: quare in iis partibus adhiberi debet, in quibus sunt radices spiritualis infirmitatis. Atqui quinque sensus sunt radices spiritualis infirmitatis seu peccatorum, quia omne peccatum ex cogitatione nascitur, omnis vero cogitatio a sensu ortum habet; cum nihil sit in intellectu, quod non fuerit in sensu.

Quae cum ita sint, *una unctio non nisi in necessitate ac sub conditione adhiberi debet*, cum obligatione repetendi sub conditione unctiones in singulis sensibus, si moribundus postea respiret. De qua re vide, quae infra habentur §. 188 n. 3. Id denique advertendum, quod Benedictus XIV. prudenter monet: „*Ne vero parochi*

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 706.

<sup>2)</sup> Scholastici in IV Sent. Dist. 23, ubi s. Thomas q. 2 a. 3, s. Bona-

vent. a. 2 q. 3. S. Alph. Lib. VI. n. 710.

<sup>3)</sup> Suppl. q. 32 a. 5 et 6.

*hac libertate (nempe unum sensum inungendi) abutantur, expedit, ut episcopus serio eosdem admoneat a gravis culpa reatu illum non excusari, qui extra casum verae necessitatis vel unam ex quinque sensuum unctionibus praetermittit.*"<sup>1)</sup>

5. — **Significatio olei et unctionis.** Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 1 loquens de Extrema Uctione ait: „*Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat.*“ Videlicet oleum prodest ad restituendam sanitatem, ad fovendum lumen, ad leniendos dolores, ad recreandas vires corporis defatigati: Extrema Uctio confert sanitatem spiritualem vel etiam corporalem, spem fovet, tristitiam, timorem, angorem lenit, animamque aegrotantis confortat ad morbi incommoda levius ferenda et ad tentationes diaboli facilius vincendas.<sup>2)</sup>

Oleum simplex adhibetur sine permixtione balsami, quod propter odorem designat bonam famam; quia ad ingressum in gloriam coelestem non est necessaria bona fama, sed pura seu bona conscientia, quae per oleum significatur.<sup>3)</sup> *In memoria aeterna erit justus, ab auditione mala non timebit.* Ps. 111, 7.

\* S. Thomas: In IV Sent. Dist. 23 q. 1 a. 3, q. 2 a. 3. Suppl. q. 29 a. 4 et 5. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 23 a. 1 q. 3, a. 2 q. 3. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 708—710. Benedictus XIV.: De Synodo Dioecesaana Lib. VIII. cap. 1 et 3.

## §. 187.

### De forma Extremae Uctionis.

1. — Forma hujus Sacramenti sunt verba: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.* Constat ex Conc. Florent. et Trident. Sess. 14. cap. 1 de Ext. Uctione, atque ex Rit. Romano. Essentialia sunt verba: *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti,* cum verbo sensum exprimente, *per visum, auditum* etc.<sup>4)</sup>

Notat Rituale Romanum, quod cum sacerdos ungit partes, quae pares sunt, prout oculos, aures etc., non absolvat formam, antequam ambas perunxerit.

<sup>1)</sup> De Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 3 n. 5.

<sup>2)</sup> Cf. *Catech. Rom.* P. II cap. 6 q. 5.

<sup>3)</sup> S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 23 a. 1 q. 3. S. Thom.: Suppl. q. 29 a. 4 ad 1.

<sup>4)</sup> Gury: Tom. II n. 683. Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 711.

2. — Forma hujus Sacramenti est *deprecativa*, non indicativa, sicut in aliis Sacramentis, eo quod Extrema Unctio adhibetur, ut praeter spiritualem gratiam, quam tribuit, etiam corporalem sanitatem restituat aegrotis; cumque sanitas corporis sit effectus, qui potissime a Dei benignitate pendet, hinc conveniens est, precatione uti ad illam a Deo impetrandam. <sup>1)</sup>

Apte potius in hoc Sacramento, quam in aliis fit mentio de *miseriordia Dei*; quia misericordia respicit miseriam, et datur hoc Sacramentum in statu miseriae, nempe infirmitatis. <sup>2)</sup>

### §. 188.

#### Ritus in administratione Extremae Unctionis observandi.

1. — Utitur Ecclesia in hoc Sacramento graviter infirmis conferendo precibus et unctionibus.

I. *Preces*. Nullum est Sacramentum, quod pluribus precibus administretur quam Extrema Unctio, quoniam eo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adjuvandi sunt. <sup>3)</sup>

Omittere orationes in Rituali praescriptas extra casum necessitatis, est mortale. Recitare psalmos poenitentiales et Litanias, est tantum de consilio, ut *probabilius* censet s. Alphonsus; <sup>4)</sup> de iis enim in Rituali Romano sic tantum dicitur: *Dum infirmi sacro liniuntur oleo, dicuntur flexis genibus ab adstantibus*.

II. *Unctiones* omnes fieri debent *pollice* (et quidem a parte interiori), qui ad singulas unctiones, nempe oculorum, aurium etc., oleo est intingendus, per modum crucis. Omittere signum crucis inter ungendum, non est nisi veniale, imo si necessitas urgeat, nullum peccatum. <sup>5)</sup>

Non licet uti *virgula*, nisi forte in casu morbi contagiosi; nam ad quaesitum: *An in dioecesi, in qua invaluit usus pro Extrema Unctione stilum seu virgulam argenteam adhibendi, usus ipse tuto continuari possit?* S. R. C. respondit: *Negative, remota necessitatis causa*. Die 9. Maji 1857 n. 3051.

Unctiones geminae adhibendae sunt *geminis* sensuum organis e. g. utrique oculo, incipiendo a parte dextera, sub una forma,

<sup>1)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 6 q. 7.

<sup>2)</sup> S. Thom. Suppl. q. 29 a. 9 ad 2.

<sup>3)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 6 q. 7.

<sup>4)</sup> Lib. VI. n. 727.

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 728.

non tamen necessitate Sacramenti, sed praecepti tantum; quocirca ex gravi causa, si adsit periculum infectionis vel si infirmus nequeat ad latus verti, sufficit unum organum ungere.<sup>1)</sup>

Inter unctiones est servandus *ordo partium* in Rituali designatus, necessitate praecepti, non Sacramenti, ita ut ordinem invertere graviter illicitum communiter reputetur.

2. — *Oculi* unguuntur super palpebras, *aures* in ima auricula, *nares* in summitate nasi unica unctione, *os* compressis labiis unica unctione, qua utrumque labium tangitur; sufficit tamen labium vel superius vel inferius ungere; *manus* interius ungi debent fidelibus, sacerdotibus exterius. *Pedes* liniuntur in parte inferiori (in plantis), juxta s. Carolum Borromaeum, s. Alphonsum<sup>2)</sup> aliosque plures, et convenientius, quia sensibilitas et usus pedis est praecipue in parte ejus inferiori, sicque habetur simul analogia cum unctione manuum, quae interius, ubi major est sensibilitas et usus, liniuntur. Possunt tamen pedes ungi in parte superiori (non in plantis), ubi sic fert consuetudo recepta; etenim episcopo Rhedonen. sciscitanti: *Utrum pedum pars superior, an inferior ungenta sit in Sacramento Extremae Unctionis*, S. R. C. (2743) 27. Aug. 1836 respondit: *Nihil innovandum*. Quisque igitur observet Rituale vel usum dioecesanum. Si infirmus pedes vertere non valeat, liniuntur ex parte, qua commode ungi possunt.

Si quis est aliquo *membro mutilatus*, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma (Rit. Rom.); quamvis enim infirmus non habeat membrum, tamen potentiam animae habet, ad quam membrum refertur, et peccare potest interius per desiderium illicitum, quod membro deficienti respondet.<sup>3)</sup>

Si renes non ungantur, alia corporis pars ungi non debet, ex Rubrica Ritualis Romani.

3. — *Quid faciendum est in casu mortis instantis?* Sacerdos omissis orationibus, quae unctiones praecedunt, et praemissa tantum confessione sacramentali vel saltem absolutione, si opus sit, incipiat *Confiteor* etc. Si periculum nec hoc dicere permittat, statim incipiat: *Per istam sanctam Unctionem* etc.

Ubi timendum, ne moriatur infirmus, antequam omnes unctiones praescripto modo peragantur, sacerdos faciat unam unctionem

<sup>1)</sup> Idem n. 710.

<sup>2)</sup> Idem n. 711.

<sup>3)</sup> V. s. Thom. Suppl. q. 32 a. 7.

sub conditione: *si valeat*, in aliquo sensu, consultius in fronte (cum omnium sensuum nervi descendant e capite), hanc formam adhibens: *Per istam s. Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, odoratum, gustum, tactum et gressum*, ideo praemittendo verbum *deliquisti*, quia si moribundus exspiret, antequam hoc verbum proferatur, certo nullum est Sacramentum. Quodsi moribundus respiret, unctiones in singulis sensibus peragendaes sunt sub conditione: *Si nondum es hoc Sacramento refectus* etc., cum forma singulis unctionibus conveniente.<sup>1)</sup>

Si vero dum inungitur, infirmus decedat, sacerdos ultra non procedat. Rit. Rom. Statim commendationem animae: *Subvenite Sancti* etc. pro defuncto dicat. Quodsi dubitet, an vivat adhuc sive ab initio sive inter unctiones, sacerdos unctiones omnes vel restantes peragere debet sub conditione, dicens: *Si vivis, per istam sanctam Unctionem* etc.<sup>2)</sup>

Orationes in periculo mortis omissae, postea si infirmus adhuc vivat, supplendae sunt.<sup>3)</sup>

## §. 189.

### De ministro Extremae Unctionis.

1. — **Principium I.** *Solus sacerdos est minister hujus Sacramenti.* Quod dogmatica certitudine constat ex definitione Concilii Trid. Sess. 14. de Ext. Unct. can. 4, et perpetuo Ecclesiae sensu verbisque s. Jacobi jam citatis confirmatur.

Sufficit *unus* sacerdos, nec obstant verba s. Apostoli: *inducat presbyteros*, quandoquidem s. Jacobus non numerum, sed qualitatem ministrantium significare voluit. Potest quidem hoc Sacramentum valide conferri a pluribus sacerdotibus eidem infirmo, si singuli diversum sensum ungant ungenderoque formam huic sensui convenientem pronuntient; nec alius ungat sensum et alius verba formae proferat: attamen usus est in Ecclesia latina, ut unus tantum sacerdos integrum Sacramentum perficiat, cui mori

<sup>1)</sup> V. s. Alph. Lib. VI. n. 710.  
Benedictus XIV. De Syn. Lib. VIII.  
cap. 3 n. 4.

<sup>2)</sup> Rit. Rom. De Herdt: Sacrae  
liturg. praxis Tom. III n. 205.

<sup>3)</sup> Rit. Rom. S. Alph. Lib. VI.  
n. 727.



omnes sub letali culpa se conformare tenentur.<sup>1)</sup> Quod Graecos attinet, Benedictus XIV. in Const. *Etsi pastoralis* §. 5 dicit: „*Nihil refert, utrum Extrema Unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant et asserant, illud Sacramentum servata debita materia et forma ab uno presbytero valide et licite confici.*“

2. — **Principium II.** *Quamvis omnis sacerdos valide potest hoc Sacramentum administrare, soli tamen parochi id de jure competit.* Quare graviter peccant, qui secluso casu necessitatis, sine parochi licentia aegroti sacramentalem Uctionem exhibere praesumunt; imo religiosi insuper incidunt ipso facto in excommunicationem Apostolicae Sedi reservatam, vi Constitutionis Pii IX. *Apostolicae Sedis* art. IV, ubi declaratur hanc censuram incurrere *Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Uctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.*<sup>2)</sup> In casu necessitatis, si parochus (vel ejus vicarius) absit vel ministrare nequeat vel nolit vel pro petenda licentia adiri non possit, quivis sacerdos hoc Sacramentum licite confert; tunc enim actus caritatis, non auctoritatis abusus exercetur. Imo potest quivis sacerdos hoc Sacramentum ministrare ex consensu parochi probabiliter praesumpto.<sup>3)</sup>

3. — **Principium III.** *Sacerdos curatus ratione officii ex justitia tenetur sub gravi subditos morbo periculoso laborantes Extrema Uctione munire.* Alius sacerdos absente pastore ad id ex caritate obligatur sub levi, nisi tamen aegrotus (e. g. phreneticus) sine omnibus Sacramentis esset moriturus vel grave scandalum sequeretur: tunc enim sub gravi peccato obligaretur.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. De Syn. Lib. VIII. cap. 4 n. 5. S. Alph. n. 724.

Quando sacerdos inter unctiones deficit, alius si statim haberi possit, restantes supplere debet, nec iterare prius factas. Secus, si alius sacerdos post notabilem moram (e. g. quadrantem) adveniat; tunc enim omnes unctiones sub conditione repetere debet. S. Alph. n. 724 in fine.

<sup>2)</sup> Haec censura jam statuta est in Clementina 1 de privilegiis, et

adjecta limitatio, quae non est abrogata per Constitutionem Pii IX., his verbis: „*Sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex praemissis volumus quoad hoc praedictum generari.*“ Vid. *Avanzini: De Constit. Apostolicae Sedis* Ed. 2. pag. 55.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 722.

<sup>4)</sup> Idem n. 729.

Non nisi in casu necessitatis hoc Sacramentum *sine ministro* serviente conferre licet. *Mulier* ad officium ministrantis numquam est adhibenda.<sup>1)</sup> Quando clericus vel saecularis inveniri facile nequeat, vel in casu morbi contagiosi sacerdos ipse orationibus respondeat.

Sub obligatione gravi sacerdos hoc Sacramentum administrans *superpelliceo* (rochetto), *stolaque violacea* indutus esse debet. Nec sola stola super communem vestem illud administrare licet. S. R. C. (2650) 16. Dec. 1826. Excipit tamen s. Alphonsus<sup>2)</sup> casum, quo vestes praescriptae deessent et infirmus decederet sine Sacramento; quia non praesumendum, quod Christus voluisset infirmum, ne vestes sacrae omitterentur, tanto bono privari.

4. — Oleum infirmorum asservari debet in Ecclesia, excepto casu magnae distantiae ab ecclesia; quo casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam. Ita S. R. C. (2650) 16. Dec. 1826.

### §. 190.

#### De subjecto Extremae Uctionis.

##### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Subjectum hujus Sacramenti capax sunt christiani infirmi, qui rationis usum adepti sunt et de vita periclitantur.* Singula disertius explicanda.

Capaces Extremae Uctionis sunt 1. *christiani* seu baptizati, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, quae Christus Dominus pro suorum salute instituit. *An vero Extrema Unctio dari potest infirmo adulto statim post baptismum?* Communiter et recte Theologi affirmant, tum quia per Baptismum non absterguntur reliquiae peccatorum actualium ante Baptismum commissorum, nempe torpor ad bonum ac pronitas ad malum, tum quia primarius finis s. Uctionis non tam est remissio culparum, quam corroboratio et alleviatio infirmi,<sup>3)</sup> ut supra §. 185 n. 2 habitum est.

2. *Qui rationis usum adepti sunt*, juxta verba Ritualis Romani; quia secus frustra adhiberentur verba: *indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum etc. deliquisti.*

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 724.

<sup>2)</sup> Idem n. 726.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 721.

Hinc *a)* nequeunt sacramentaliter ungi *pueri*, qui nondum ad usum rationis pervenerunt. Denegari autem hoc Sacramentum nequit parvulis usum rationis habentibus, quamvis non valeant s. Eucharistiam percipere, ut Benedictus XIV. docet.<sup>1)</sup> Hi igitur confessione et absolutione praemissa hoc remedio tam salutari reficiantur. In dubio de rationis usu ungenti sunt sub conditione: *Si capax es.*

*b)* Non potest Extrema Unctio conferri *perpetuo amentibus*; secus vero, si lucida intervalla habuerint. Item ungenti sunt *phrenetici*, ac ubi resistunt, tenendi vel etiam ligandi sunt.<sup>2)</sup> — Nec excludendi, qui in actu peccati (e. g. ebrietatis) sunt sensibus destituti sine ullo poenitentiae signo. Neque adjici debet conditio „si dispositus seu dignus es“; nam Extrema Unctio absolute conferri debet, dummodo homo capax est ad Sacramentum Unctionis valide recipiendum. Sed conditio „si capax es“ locum habet, quando dubium est, num valide possit accipere Sacramentum ex defectu voluntatis, sacram unctionem recipiendi.<sup>3)</sup> V. infra.

*c)* Infirmis, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud Sacramentum petierint seu verosimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde *loquelam amiserint* vel *amentes effecti* sint aut *non sentiant*, nihilominus praebeatur. Sic Rit. Rom.

Subjectum ejusdem Sacramenti sunt 3. *infirmi, qui de vita periclitantur*, ex definitione Conc. Flor. in Decreto pro Armenis et Concilii Trid. Sess. 14. de Ext. Unct. cap. 3. Hinc *a)* inungi nequeunt *puerperae* ob partus dolores, nisi ob gravissimos cruciatus laborent infirmitate periculosa, vel difficilem operationem chirurgicam sint subiturae; nec *capite plectendi, proelium inituri, periculosam navigationem suscepturi, aliave pericula subituri*; quia nulla corporis infirmitate laborant. *b)* Non negari debet hoc Sacramentum *senibus*, qui viribus exhaustis in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate, ut Rituale Rom. loquitur.

<sup>1)</sup> Se Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 6 n. 2.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 732. Rit. Rom. dicit: *Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verosimiliter possit*

*quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.*

<sup>3)</sup> Cf. Lehmkühl: II. n. 577. Göpfert: III. Band n. 201. Auflage 2.

2. — **Principium II.** *Ad Extremam Unctionem cum fructu accipiendam in eo, qui rationis est compos et conscius peccati mortalis, requiriter peccatorum confessio; quia hoc Sacramentum est complementum Sacramenti Poenitentiae, et Sacramentum vivorum. Ideo etiam infirmus, si jam non possit sua peccata confiteri, nihilominus absolute saltem conditionata ante Unctionem donandus est, <sup>1)</sup> praemisso actu contritionis juxta dicta §. 166 de absolute moribundorum.*

Ordinarie autem, nisi obstet causa rationabilis (v. g. si infirmus ob vomitum communicare nequeat), praemittenda est non tantum confessio, sed etiam communio, ex generali consuetudine Ecclesiae, quae Unctionem tamquam minus necessariam postponit. <sup>2)</sup> Tunc bis recitari debet *Confiteor*, nempe ante Communionem et ante Unctionem. S. C. Ind. 5. Feb. 1841.

*Impoenitentibus, et iis qui in manifesto peccato mortali moriuntur, atque excommunicatis hoc Sacramentum penitus denegari debet, ex Rit. Rom. Administrandum tamen est infirmo in omni dubio, an sit in statu peccati mortalis vel sit sufficienter dispositus, quia in extrema necessitate praesumendum est in favorem hominis, pro quo instituta sunt Sacramenta. <sup>3)</sup> Item praesumi debet, quod quivis catholicus velit sibi dari hoc Sacramentum, quamvis nec petierit nec ullo modo nunc sensu utatur; qui enim est in Ecclesia et in ea vult mori, vult ejus Sacramentis juvari debito tempore. Et hic voluntas interpretativa sufficit. <sup>4)</sup>*

\* S. A l p h o n s u s: Theol. mor. Lib. VI. n. 712, 713, 716—721.  
B e n e d i c t u s XIV. De Synodo Dioec. Lib. VIII. cap. 5 et 6.

### C a s u s.

3. — *Heraclius sacerdos vocatur ad moribundum, liberalismo religionis perditisque moribus satis notum, qui non petiit acciri sacerdotem, ac nunc sensibus est destitutus. Quid Heraclius? conditionate eum absolvit et Extremam Unctionem ei ministrat. An recte?*

<sup>1)</sup> *Concil. Prov. Coloniens. a. 1860 P. II Tit. II cap. 15. Conc. Prov. Quebec. II. a. 1854 Decret. XI §. 1. Conc. Prov. Quitens. I. a. 1863 Decret. III. n. 13.*

<sup>2)</sup> S. A l p h. Lib. VI. n. 716. Rit. Rom. — Olim Extrema Unctio, tamquam poenitentiae complementum, ante viaticum ministrari solebat.

<sup>3)</sup> L a C r o i x: Lib. VI. P. 2 n. 2111.

<sup>4)</sup> Idem l. c. n. 2107. B e n e d i c t u s XIV.: De Syn. Lib. VIII. cap. 6 n. 5: „Porro de quolibet fidei, de quo contrarium non constat, praesumendum est, fuisse hoc Sacramentum petiturum, si potuisset.“

Resp. 1. Recte egit, eum conditionate absolvendo, quod patet ex dictis §. 166 n. 2. Sed omnino debuisset ante absolutionem moribundo per brevissima verba actum contritionis, et prius adhuc actus fidei, spei et caritatis suggerere, ut si forte rationis compos esset et auditus nondum emortuus (quod evenire potest, ut pariter diximus §. 166 n. 1), ad Sacramentum certius disponderetur. 2. Viaticum ipsi ministrare recte omisit ob periculum irreverentiae. 3. Eodem jure, quo moribundum conditionate absolvit, eundem conditionate oleo infirmorum ungere potuit et debuit, coll. n. 1 et 2. Denique 4. etiam Benedictionem Apostolicam (abbreviata formula, si periculum in mora) impertire moribundo illi debuisset, coll. 180 n. 2.

## §. 191.

### Quando et quoties Extrema Unctio ministrari possit vel debeat.

#### PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Extrema Unctio infirmis conferri debet, quando urget proximum periculum mortis; conferri valide et licite potest, statim ac prudenter judicatur infirmitas periculosa, quamvis mors nondum proxime instare videatur.* Haec sapiens est s. Alphonsi distinctio, Ecclesiae Decretis et doctrina communi fundata.<sup>1)</sup> Generatim, quoties s. viaticum infirmo ministratur, etiam Extremam Unctionem ipsi dari expedit.

Gravissime vero peccant, qui Sacramentum suscipiendum differunt ad illud tempus, quo aegrotus vita et sensibus destitui incipit; quia timendum, ne moribundus absque hoc firmissimo animae praesidio decedat, vel saltem uberiori privetur gratia, quae in ipsum redundaret, si sui compos ungeretur, propter meliorem dispositionem; et quia impeditur sanatio corporis per hoc Sacramentum consequenda, quae morte jam invalescente non nisi per manifestum miraculum recuperari posset.<sup>2)</sup>

2. — **Principium II.** Sacramentum Extremae Unctionis *iterari* potest 1. in diversa infirmitate periculosa, et 2. in eadem infirmitate diuturna, si aegrotus periculo mortis eripi visus iterum in idem periculum incidat. Primum constat ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3: „*Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem convalescerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*“ Alterum habet Rituale Romanum: „*In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet,*

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 714, Advert. 2.

<sup>2)</sup> S. Alph. l. c. Advert. 1.

*nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convalescit, iterum in periculum mortis incidat.*"

Stante dubio an status morbi sit mutatus, parochi propendeant ad Sacramenti iterationem, Benedictus XIV. inquit,<sup>1)</sup> eo quod haec iteratio conformior est veteri Ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obvenit.

\* S. Thomas: In IV Sent. Dist. 23 q. 2 a. 4. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 23 a. 2 q. 4. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. VI. n. 714 et 715. Benedictus XIV.: De Synodo Dioecesana Lib. VIII. cap. 7 et 8.

### §. 192.

#### De obligatione suscipiendi Sacramentum Extremae Unctionis.

1. — Exstare obligationem suscipiendi hoc Sacramentum, nullum dubium esse potest. Praeterquam quod verbis Apostoli: „*Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae etc.*“ vix simplex consilium (ut aliqui putant) exprimatur, sed verum praeceptum (ut alii verius judicant), alioquin credibile non est, Christum Dominum mero hominum reliquisse arbitrio suscipiendi vel renuendi tantum Sacramentum, quo tamquam firmissimo praesidio finem vitae munivit, ut Concil. Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. in Proëm. docet. Certe Doctor Angelicus, quamvis doceat, Extremam Unctionem non pertinere ad Sacramenta ita necessaria, ut sine his *non possit haberi finis*, nempe salus aeterna: tamen addit, illam accenseri Sacramentis illis *necessariis*, sine quibus *non habetur finis ita convenienter*;<sup>2)</sup> et dum ait, Poenitentiam esse *majoris necessitatis* quam Extremam Unctionem,<sup>3)</sup> etiam hanc necessariam esse affirmat; rursus observans, *omnia Sacramenta esse aliquo modo necessaria*,<sup>4)</sup> aliquam quoque Extremae Unctionis necessitatem adstruit. Ex Conc. Trid. Sess. 7. can. 4 necessitatem Sacramentorum universim definit. Jam vero, quod est necessarium homini, non est liberum ipsi et mere consultum. Denique Conc. Trid. Sess. 14. de Ext. Unct. cap. 3 loquens de iis, *qui et suscipere et ministrare hoc Sacramentum debent*, per ultimum verbum indubie praeceptum indicat.

<sup>1)</sup> De Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 8 n. 4.

<sup>2)</sup> 3. q. 65 a. 4.

<sup>3)</sup> 3. q. 65 a. 3 c.

<sup>4)</sup> Ibid. ad 1.

*An vero obligatio haec gravis est?* Valde probabiliter (ne plus dicam) gravis est,<sup>1)</sup> quamvis non desint, eam levem tantum reputantes. Ratio 1. est, quia materia, circa quam praedicta obligatio versatur, gravis est; siquidem Extrema Uctio est *coelestis medicina, non animae tantum, sed etiam corpori salutaris* (Rit. Rom.), *firmissimum praesidium in vitae fine* (Conc. Trid.), praeparatio hominis, ut recipiat immediate gloriam (S. Thom.) etc.; ergo gravis etiam statuenda est obligatio. 2. Quia hoc Sacramentum (ut ait s. Thomas) comparatur ad Poenitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum: atqui gravis est obligatio recipiendi Confirmationem coll. §. 83 n. 3; ergo talis quoque erit obligatio suscipiendi Uctionem. 3. Quia Ecclesia vult omne studium omnemque diligentiam adhiberi, ut periculose decumbentes hoc reficiantur Sacramento; unde colligere licet, Ecclesiam in eo agnoscere rem gravem, ideoque obligationem gravem et suscipiendi et ministrandi hoc Sacramentum. Ceterum id ex contemptu vel cum gravi scandalo omittere, omnes fatentur esse peccatum mortale.

2. — Quanti fieri debeat hoc venerabile Sacramentum, sequens exemplum a sancto Bernardo fideliter literis commendatum<sup>2)</sup> facile omnibus persuadere potest. S. Malachias episcopus Hiberniae rogatus est a viro nobili, ut ejus uxorem infirmam ungeret oleo. Cumque pararet Sacramentum Uctionis mulieri illi conferre, visum est omnibus differendum potius usque ad mane. Erat enim vespera. Acquievit Malachias, et data benedictione super aegram exivit cum presbyteris qui secum erant. At vero post modicum mortua est mulier; et consternatus animo sanctus episcopus sibi imputavit, quod fraudata Sacramenti gratia obierit, et orans cum suis presbyteris totam noctem duxit pervigilem. Mane facto femina mortua aperit oculos et, ut solent qui de gravi somno evigilant, fricans sibi manibus frontem et tempora, super lectum se erigit et s. Malachiam devote salutat. Hic gratias Deo agens unxit eam, sciens in hoc Sacramento remitti peccata et quod oratio fidei salvet infirmum. Convaluit mulier, et vivens incolumis tempore aliquanto, in bona confessione iterum obdormivit et migravit ad Dominum.

<sup>1)</sup> Ita s. Alphonsus: H. A. Tr. 17 n. 12. Praxis Confess cap. 7 n. 107.

<sup>2)</sup> De Vita s. Malachiae episcopi Hiberniae cap. 24.

## §. 193.

**E p i l o g u s.**

*Ex auctoris antiqui, sed ignoti opere: De visitatione infirmorum.*<sup>1)</sup>

„Tu igitur, care mi, ad modicum migraturus de mundo, tantam et tam ineffabilem benignitatem Domini Dei tui ne spernas. Morbus hic corporis, medicina est spiritualis. Tecum revolve, quoniam si contra Deum praesumseris murmurare, et morbum velis nolis sustinebis, nec murmurando sanaberis; imo anima debilitaberis, dum contra Deum tuum, patrem tuum, medicum tuum, magistrum tuum mansuetissimum — murmuraveris. Meis igitur acquiesce consiliis, et gravamen corporale fac tibi antidotum spirituale.“<sup>2)</sup>

„Nec praetermittendum est illud Apostoli Jacobi praeceptum: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini Jesu, et oratio fidei salvabit infirmum.* Ergo sic roges de te et pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, immo per Apostolum suum Dominus. Ipsa videlicet olei sacrati delibutio, intelligitur Spiritus Sancti typicalis unctio.

Illud etiam vivificum Dominici corporis supplementum suscipere, fili mi, non renuas: quin potius illud avidissime quaeras, fideliter comedas. Cibus enim ille incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum: redemptionis tuae pretium, Redemptoris monumentum, et redempti munimentum.

De confessione te (jam) breviter commonefeci .. Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubescunt, sive dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram et lepram discernere per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo, ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario: — nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges sacerdotem, et fac ipsum conscientiarum tuarum penitissimarum participem.“<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Inter opera s. Augustini, Append. Tom. VI. Edit. Maur.

<sup>2)</sup> Lib. I. cap. 6.

<sup>3)</sup> Lib. II. cap. 4.



## CAPUT VI.

## De Sacramento Ordinis.

## §. 194.

**Transitio.**

1. — Quinque prima Sacramenta in praecedentibus considerata hominem perficiunt quoad propriam personam; nam ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem ordinata sunt. Duo ultima Sacramenta hominem perficiunt respectu totius communitatis, etenim ad totius Ecclesiae regimen et multiplicationem referuntur.<sup>1)</sup> Priora diversis singulorum fidelium vitae spiritualis quasi stadiis, posteriora Ecclesiae ipsius vitae conservandae aptissime respondent.<sup>2)</sup>

2. — Incipientes de Sacramento Ordinis tractare, *primum* veritates dogmaticas de natura, divisione et effectibus Ordinis paucis delineabimus, *deinceps* pluribus explicabimus doctrinas practicas, propius ad disciplinam nostram spectantes, quae sunt 1. de officiis et excellentiis singulorum Ordinum, 2. de ritibus in collatione Ordinum observandis, 3. de tempore et loco ordinationis, 4. de Missa ordinationis et Communionem ordinatorum, 5. de precibus et Missis, quae ab ordinatis sunt persolvendae, 6. de conditionibus in ministro et subjecto requisitis, 7. de pia et religiosa ordinandorum dispositione, 8. de virtutibus, quae singulis congruunt Ordinibus.

## A. Veritates dogmaticae praemittendae.

## §. 195.

**De natura et divisione Ordinis.**

1. — Nomen ordinis dupliciter intelligi potest, passive et active, v. Lib. I. §. 17 n. 1. Quoad rem nostram Ordo 1. *passive* consideratus est gradus potestatis spiritualis, major vel minor, relate ad ejusdem potestatis finem, qui est s. Eucharistia; quo sensu dicere solemus e. g. hunc vel illum habere Ordinem Diaconatus vel Presbyteratus. Ordo 2. *active* spectatus seu ordinatio est ritus

<sup>1)</sup> Conc. Florent. in Decr. pro Armenis. S. Thom. 3. q. 65 a. 1.

<sup>2)</sup> Conc. Prov. Colon. a. 1860 Tit. VIII cap. 29.

sacer, quo certus quidam gradus potestatis spiritualis alicui confertur; hinc loquimur de ordinatione Subdiaconi, Diaconi etc. Dum sermo fit de Sacramento, Ordo active intelligitur.

2. — **Assertio I.** *In Ecclesia sunt plures Ordines*, ex definitione dogmatica Concilii Trid. Sess. 23. can. 2, qui ab eodem Concilio Sess. 23. cap. 2 ita recensentur: Ordo sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistae, Lectoris, Ostiarii. Apex omnium Ordinum est sacerdotium, quod est primi et secundi ordinis, seu episcopatus et presbyteratus.

Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus vocantur Ordines *maiores* et *sacri*, a) quia in majori dignitate collocant ordinatos, b) quia potestatem conferunt propinquiorem in corpus Christi, c) quia adnexum habent votum castitatis, quo corpus Deo dicatur, atque ad majorem obligant sanctificationem. Reliqui Ordines appellantur *minores*, quia licet sint ritus sacri et eximiam conferant dignitatem, minus tamen praestant quam Ordines praedicti. Prima *Tonsura* non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, ut communiter docent,<sup>1)</sup> et constat etiam ex Conc. Trid. Sess. 23. cap. 2, de Ref. cap. 6 et 10, ubi Tonsura semper ab Ordinibus distinguitur, et ex Catechismo Romano.<sup>2)</sup>

3. — **Assertio II.** *Ordo seu ordinatio saltem aliqua est Sacramentum.* Est doctrina fidei contra Lutherum et alios, ex Conc. Flor. in Decr. pro Arm., et ex Conc. Trid. Sess. 23. can. 3 sic definiente: „*Si quis dixerit, Ordinem seu sacram ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, — — anathema sit.*“

**Assertio III.** *Ordinatio sacerdotis est vere et proprie Sacramentum.* Est dogma fidei, ex Conc. Trid. Sess. 23. can. 1 et 4, et exinde deducitur, quod est de fide, aliquam ordinationem esse Sacramentum; at nulla in particulari est, cui id magis competat, quum per sacerdotis ordinationem conferatur potestas supernaturalis consecrandi Eucharistiam et poenitentes subditos absolvendi a peccatis.

**Assertio IV.** *Ordinatio episcopi est vere et proprie Sacramentum, a presbyteratu distinctum.* Est doctrina certa et omnino tenenda,<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Thom.: In IV Sent. Dist. 24 q. 3 a. 1, s. Bonaventura, s. Alphonsus, etc.

<sup>2)</sup> P. II cap. 7 q. 13, ubi prima Tonsura dicitur quaedam praeparatio ad Ordines accipiendos.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 738. Perrone: De Ordine n. 78. Schwetz: Theolog. dogm. Vol. III §. 140. Schouppé: Element. Theol. dogm. Tom. II. Tr. 16 n. 48.

nam colligi potest ex Conc. Trid. Sess. 23. can. 4, 5 et 6; porro fide divina credendum est, episcopos esse superiores presbyteris, ex eod. Conc. can. 7, concurrunt quoque omnia ad Sacramentum requisita.

**Assertio V.** *Ordinatio diaconi est vere et proprie Sacramentum, ex sententia communi et certa; etenim adest in illa signum visibile, collatio gratiae, et divina institutio. Cf. Conc. Trid. l. c. can. 4 et 6.*

Quaeritur: *An Subdiaconatus et Ordines minores sint Sacramenta?* Negant cum nonnullis antiquioribus plerique recentiores Theologi, inter quos eminet s. Alphonsus.<sup>1)</sup> Et merito, siquidem nihil constat de divina eorum institutione, non iidem omnes vigent in Ecclesia graeca, deest ritus Ordinis Sacramento consuetus, nempe manuum impositio, nec exprimitur gratiae collatio.<sup>2)</sup>

4. — Ad sacerdotium, tamquam communem finem, reliqui Ordines cuncti tendunt. Porro sacerdotii initium est Presbyteratus, sacerdotii apex et complementum est episcopatus. Unde habetur, quod pluritas Ordinum in sacerdotio unitur.<sup>3)</sup>

## §. 196.

### Effectus Sacramenti Ordinis.

1. — Duo sunt hujus Sacramenti principales effectus: 1. *character* indelebilis, cui inhaeret sacerdotalis potestas in corpus Christi reale et mysticum, — 2. *gratia sanctificans*, et quidem secunda, quae *ministerialis* dici potest, cui adnexae sunt gratiae actuales suo tempore dandae ad Ordinis munia rite sancteque adimplenda.

Ordines minores, et probabilius Subdiaconatus, quia non sunt vere Sacramenta, characterem sacramentalem non imprimunt. Cum vero non sint nuda officia et ministeria, sed veri Ordines, ac proin stabilitatem essentialiter involvant, characterem et ipsi

1) Lib. VI. n. 737, *Secunda pars.*

2) Dicit tamen Conc. Trid. Sess. 23. cap. 17 de Ref., sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptas esse.

3) S. Bona Ventura: Centiloq. P. III Sect. 53 ait: „*Quamvis septem*

*sint gradus, unum est tantum Ordinis Sacramentum, sicut unam dicimus epistolam, quamvis habeat multas partes.*“ Et s. Alphonsus Examen ordinand. cap. 2 n. 27: *In Ordine sacerdotii alii vel continentur eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter respectu ad episcopatum.*“

conferunt, nempe legalem et ecclesiasticum, ad instar gradus honorifici in civitate aut scientifici in academiis.<sup>1)</sup> Nihilque dubitandum, quin Ordinibus illis, qui non sunt proprie Sacramenta, et ipsi primae Tonsurae, adnexa sint gratiae auxilia ratione precum Ecclesiae, juvantia impletionem officiorum, quae iisdem respondent.

2. — Qui jam Subdiaconatus Ordine insignitus est, ei liberum non est, statui clericali renuntiare; sed *in Ecclesiae ministerio semper debet esse mancipatus*. Qui Ordines minores suscepit, lege ecclesiastica non impeditur, quominus ad laicorum statum redeat. „Valde tamen timendum est, ait s. Alphonsus,<sup>2)</sup> ne in malo statu existat ille, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab eo recedit, ut saeculo fruatur.“ Sed qui non est vocatus, omnino recedere debet, quia illicite se intrusit.

## B. Doctrinae practicae de Ordine.

### §. 197.

#### Singulorum Ordinum officia et excellentiae.

1. — Incipiendum est a prima *Tonsura*, quae est praeparatio quaedam ad Ordines suscipiendos. Quemadmodum enim homines ad Baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus praeparari solent: ita iis, qui Deo dicantur per capillorum abscissionem, veluti aditus ad Ordinis Sacramentum aperitur.<sup>3)</sup> Vel eodem fere modo se habet tonsuratus respectu eorum, qui sunt ordinati, quo novitius se habet quoad eos, qui professionem emisserunt in religiosa familia.<sup>4)</sup>

Per Tonsuram baptizatus Deo specialiter dicatur ejusque cultui consecratur, quod significant verba, quae a tonsurando proferuntur: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi* Ps. 15, 5; — porro e statu laicorum ad statum clericalem evehitur, fitque habilis ad suscipiendos Ordines et capax jurium ac beneficiorum ecclesiasticorum, quod episcopus completo Tonsurae ritu dicit verbis: *Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis.*

<sup>1)</sup> Ita Schouppé Tom. II De Ordine n. 88. Ed. 7.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 785.

<sup>3)</sup> Ita Catech. Rom. P. II cap. 7 q. 13.

<sup>4)</sup> Voit: Th. m. P. II n. 938.

Tondentur *capilli*, ad significandam contemptionem fastus mundani et abdicationem saecularis desiderii pro amore Christi.<sup>1)</sup> Tondentur capilli *ad similitudinem coronae* ex Apostolorum traditione, et primum quidem omnium Apostolorum principem hanc consuetudinem induxisse ferunt; fitque *a)* in memoriam spineae coronae, quae Salvatoris nostri capiti fuit imposita, quo clerici monentur, ut in suis moribus Christi similitudinem prae se ferant; *b)* ad declarandam regiam dignitatem, quae clericis quodam modo convenit, quatenus Deo specialiter dicati passionibus suis impellent, ac perinde cum Christo regnaturi sint in aeternum; *c)* ad significandam perfectioris vitae professionem, ad quam tonsurati tenentur, quum circuli forma omnium sit perfectissima.<sup>2)</sup>

2. — Officia et excellentiae Ordinum singulorum, sicut Ordines ipsi, gradibus differunt, ut ex sequentibus patet.

I. Officia *Ostiarum* sunt, ecclesiae et sacrarii claves, vasa sacra, omnemque ecclesiae suppellectilem custodire, ecclesiam aperire dignis, claudere indignis (i. e. infidelibus, excommunicatis), pulsare campanam ad populum fidelem in ecclesia congregandum, et cymbalum sub ipso sacrificio, aperire librum ei, qui praedicat; item curare, ne quis dum ss. Missae sacrificium peragitur, propius quam par est, ad rem sacram accedat.

Praestantia Ordinis hujus aestimari potest ex dignitate eorum, qui praeficiuntur ad custodiam regii palatii et thesauri: quidni longe major dignitas sit eorum, qui praeficiuntur ad custodiendam Dei domum et curanda sacratissima, quae in ea recluduntur. Spectabat ad praerogativas Levitarum V. T., quod excubabant ad quatuor partes domus Dei. 1. Paral. 9.<sup>3)</sup>

II. *Lectorum* partes sunt, in ecclesia ex pulpito ei, qui praedicat, s. scripturam legere, in Missarum solemniis cantare *Introitum*, *Graduale*, *Alleluja*, lectiones horarum canonicarum et prophetias in ecclesia legere vel cantare, libros sacros diligentur custodire, catechizare seu rudimenta fidei exponere, benedicere panem et omnes fructus novos.

<sup>1)</sup> Colligitur ex admonitione episcopi: „*Oremus, fratres carissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum, qui ha-*

*bitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento ac saeculari desiderio corda eorum defendat etc.*“

<sup>2)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 7 q. 14.

<sup>3)</sup> V o i t P. II. n. 969.

Tanta visa est s. Cypriano dignitas Lectoris, ut Confessores Aurelium et Celerinum in praemium suae confessionis Lectoratus Ordine sublimaret.<sup>1)</sup> Refert s. Gregorius Nazianz.,<sup>2)</sup> Julianum imperatorem, priusquam a fide defecisset, honori sibi duxisse, si ad Lectoris gradum proveheretur.

III. Ad *Exorcistam* pertinet, imponere manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos, et ab obsessis depellere spiritus immundos; item indignos a communione excludere, nec non aquam ad ministerium Baptismi requisitam sacerdoti ministrare.

Excellentiam hujus Ordinis colligere inde satis licet, quod Exorcistae in Pontificali appellantur „*spirituales imperatores, medici Ecclesiae gratia curationum.*“

IV. *Acolythis* functiones sunt, inter Missae sollemnia Subdiacono et Diacono inservire, luminaria ecclesiae accendere, eaque accensa inter Missae sacrificium deferre, vinum et aquam ad Eucharistiam praeparare ac ministrare, thuribulum deferre, privatis Missis servire.

Acolythorum Ordo est praecipuus inter minores. Si honorificum sibi existimabat s. Wenzeslaus, Bohemiae dux, suis manibus triticum serere et vinum exprimere, quibus in Missae sacrificio uterentur sacerdotes:<sup>3)</sup> quanta erit dignitas Acolythis, qui vel subministrat vinum ad conficiendum sanguinem Christi in offerenda Eucharistia! In deliciis habuit s. Vincentius a Paulo, postquam ipse celebraverat Missam, in alia Missa servire sacerdoti; et idem legitur de s. Thoma Aquinate, Angelico Doctore,<sup>4)</sup> quod tamen proprium est Acolythorum.

V. Munus *Subdiaconi* est, sacra linteamina (corporalia et pallas altaris) abluere, aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ad altare ministrare, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre, Epistolam alta voce in Missa legere, crucem in supplicationibus gestare.

Constat ex epistolis s. Cypriani, non paucos fuisse ex sanctis Confessoribus, qui post atrocissimas aerumnas pro fidei confessione toleratas honori sibi duxerunt, quod minima officia in ecclesia peragere potuerint; et s. Cyprianus ipse, dum Dei servitio se consecravit, petiit pro scopanda ecclesia et ad minimas etiam

<sup>1)</sup> Epist. 33 et 34.

<sup>2)</sup> Orat. apol. 4. (al. 3.)

<sup>3)</sup> Die festo 28. Sept. Lect. 5.

<sup>4)</sup> Surius die 7. Martii §. 10.

et vilissimas functiones sacri ministerii obeundas adhiberi. Unde pronum est conjicere, quanta sit dignitas, quantus honor, Subdiaconi munia subire in ipso sacrificio divino.

VI. *Diaconum* oportet ministrare sacerdoti ad altare, cantare Evangelium in Missae sacrificio, baptizare et Eucharistiam ministrare (tamquam minister extraordinarius), et praedicare.

Hujus Ordinis dignitatem considerans Ecclesia per Pontificem provehendis ad illum dicit: „— *cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis.*“ Certe s. Martinus, episcopus Turo-nensis, cum s. Hilarius Pictaviensis eum in Diaconum vellet ordi-nare, tanta excellentia se indignum reputans satius duxit, ut in Acolythorum numerum redigeretur. S. Ephraem Syrus, s. Ste-phanus, Ordinis Grandimontensis institutor,<sup>1)</sup> et s. Franciscus Seraphicus perquam honorificum censebant, Diaconos esse; ad sacerdotium ascendere humilitatis studio recusarunt.

VII. Ad *presbyterum* praecipue spectat, ss. Missae sacrificium offerre, a peccatis absolvere, aliaque Sacramenta (si Confirmationem et Ordinem excipias) dispensare, benedicere, praeesse, praedicare.

*Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est*, Pon-tifex dicit consecrandis in Presbyteratus officium. Dignitas sacer-dotalis longe superat regiam, imo et angelicam dignitatem. Ipsi Deiparae Virginis Mariae dignitati illam comparandam censet s. Augustinus exclamans: „*O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius velut in utero Virginis incarnatur!*“ En, s. Augustinus per vim populi ad sacerdotium provectus est, et periculosissimum hoc ministerium judicans tempore ordinationis suae, ut ipse fatetur,<sup>2)</sup> lacrimas fudit. S. Gallus, quamvis plurimos sui magistri (sancti Columbani) sectatores magno virtutum supe-raret incremento, et admirabili s. scripturae intelligentia excelleret, tamen invitus, omnium votis, ad sacerdotii evectus est dignitatem.<sup>3)</sup> S. Joannes de Matha ad sacrum Presbyteratus Ordinem prae humilitate reluctans a Parisiensi antistite promotus est.<sup>4)</sup> S. Jo-annes a Cruce,<sup>5)</sup> s. Philippus Nerius,<sup>6)</sup> s. Joannes Francisc. Regis,<sup>7)</sup> s. Paulus a Cruce<sup>8)</sup> ex obedientia facti

1) Surius die 8. Feb. Martyr. illustrat., Edit. nova Tom. II pag. 124—125.

2) Epist. 21 (al. 148) n. 2.

3) Off. d. 16. Oct. Lect. 4.

4) Offic. diei fest. 8. Feb. Lect. 4.

5) Off. diei 24. Nov. Lect. 4.

6) Off. diei 26. Maji Lect. 4.

7) Bulla Canoniz. Clemens XII. §. 6.

8) Off. d. 28. April. Lect. 5.

sunt sacerdotes. S. Petrus Claver S. J. Apostolus Cartagenae in India occidentali, rogavit superiores, ut ipsi differrent Presbyteratus collationem, semetipsum indignum reputans tanto honore; serius reluctans sacerdotio decoratus est.

3. — Septiformi Ordinum officio, ut sapienter s. Bonaventura<sup>1)</sup> observat, ipse Dominus usus fuit; ex cujus proinde exemplo magis adhuc elucet ss. Ordinum dignitas. Enimvero Christus fuit *Ostiarius*, quando consulturus honori templi sacri, facto flagello ejecit negotiantes de templo, nec sinebat, ut quisquam transferret vas per templum Marc. 11, 16. Fuit *Lector*, quando stans in medio seniorum legit in synagoga, assumpto Isaiæ libro Luc. 4, 20. Fuit *Exorcista*, quando saliva sua tetigit linguam surdi et muti Marc. 7, 34, et sanavit obsessos. Ostendit se *Acolythum*, quando dixit: *Ego sum lux mundi* Joan. 8. Fuit *Subdiaconus*, quando lavit pedes discipulorum, et linteo se praecinxit Joan. 13. Fuit *Diaconus*, quando post coenam corpus et sanguinem suum dispensavit discipulis suis. Fuit *sacerdos*, dum se ipsum in ara crucis obtulit, idem, sacerdos et hostia; et rursus, quando in coena panem in corpus, et vinum in sanguinem convertit.

4. — Quoad exercitium Ordinum haec sunt adhuc notanda: *Qui caret Ordine Presbyteratus vel Episcopatus*, invalide exercet ejusdem Ordinis functiones, et gravissimum sacrilegium committit. *Destituti aliis Ordinibus*, licite eos exercent, si sint minores; illicite, si sint Subdiaconatus vel Diaconatus; graviterque peccat clericus, qui actum sacri Ordinis non suscepti scienter et *solemniter* exercet, et ipso facto irregularitatem incurrit, prouti e. g. si clericus sine Ordine Diaconatus cantat Evangelium intra Missae sollemnia cum stola; secus vero, si actum Ordinum majorum non solemniter exercet i. e. Diaconatus sine stola, Subdiaconatus sine manipulo.<sup>2)</sup>

Deficiente Subdiacono pro Missa solenni, data necessitate, potest permitti, ut substituatur clericus saltem Tonsura insignitus, qui inserviat Missae solenni, sed paratus absque manipulo. S. R. C. (2002) 5. Julii 1698 et (2965) 22. Julii 1848.

Concilium nostrum Provinc. a. 1858 Tit. III cap. 10 statuit: „*Clericis in minoribus constitutis neque in sacrosancti sacrificii celebratione, neque in aliis functionibus sacris Diaconi vel Subdiaconi officio fungi fas est; excepto tamen necessitatis casu, quo Acolythi Subdiaconi partes vestem ei propriam sine manipulo induti persolvere possunt.*“

<sup>1)</sup> Centiloq. P. III Sect. 53.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 754. Lib. VII n. 358 et 359.



## §. 198.

**De ritibus in collatione Ordinum observandis.**

1. — Duo praevidentur sunt notanda: 1. *Ordinatio per gradum fieri debet*, ex praecepto gravi.<sup>1)</sup> Attamen unius Ordinis collatio ante alium est valida, si excipias Episcopatum, qui absque Presbyteratu est nullus. Qui ordinatur sine Tonsura, graviter quidem peccat contra praeceptum Ecclesiae, sed valide ordinatur, nec illam postea recipere tenetur.<sup>2)</sup>

2. Non semper certo constat de essentiali materia et forma Ordinum; *tutius vero omnino est faciendum*, quia agitur de valore Ordinum, juxta dicta Lib. I. §. 80 n. 2, nec quid in Pontificali praescriptum omittere vel immutare fas est. Quodsi aliquid circa materiam vel formam in Ordinum collatione defecerit, tunc aut tota ordinatio erit sub conditione iteranda, aut solus defectus supplendus, pro rei omissae qualitate. Defectus occultus occulte suppleri debet ad scandalum vitandum.<sup>3)</sup>

Notandum quod ea, quae in collatione tonsurae et Ordinum minorum ut essentialia ab ecclesia requiruntur, si deficient, etiam suppleri possunt per voluntatem ecclesiae. E. g. Pius IX. exposito dubio, an alumno valide collata sit tonsura, eo quod capilli non capitis sed comae fictitiae, quam gestare solebat, ei fuerint detonsi, sanavit quemcumque defectum, adeo ut nihil fuerit ulterius innovandum. S. R. C. (2919) 23. Sept. 1846. Idem docent aliqui de Subdiaconatu, sed plures rectius negant.<sup>4)</sup>

**A. Ritus Ordinum minorum.**

2. — I. *Ostiaratus*. Materia ejus remota sunt claves ecclesiae, proxima est traditio clavium, quae a clericis manu dextera sunt tangendae. Forma habetur in verbis, quae episcopus profert ad clavium traditionem: *Sic agite etc.*

Archidiaconus tenetur ipse ad portam ecclesiae ducere promotos ad Ostiaratum. S. R. C. (1583) 14. Nov. 1676 in Bituntina ad 4. Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores ecclesiae, non est stricte necessarium, ut claudat et aperiat cum clavi. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 in una Marsorum ad 5.

3. — II. *Lectoratus*. Ejus materia remota est liber Lectionum; traditio ejusdem, quem omnes manu dextera tangere debent, est

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 793.

<sup>2)</sup> Idem Lib. VI. n. 758.

<sup>3)</sup> Idem: Examen ordinand. cap. 3 n. 47.

<sup>4)</sup> Cf. Lehmkühl: Th. mor. II. n. 586; Goepfert, Marc etc.

materia proxima. Verba in traditione libri prolata: *Accipite, et estote etc.*, constituunt hujus Ordinis formam.

4. — III. *Exorcistatus*. Rituale, ubi exorcismi scripti sunt (ex Constit. Benedicti XIV. *Sollicitudini*), cujus tamen loco dari potest Pontificale vel Missale (ex Rubr. Pontific. Rom.), est materia hujus Ordinis remota; ejusdem libri, quem manu dextera singuli tangunt, traditio est materia proxima. Forma sita est in verbis traditionis: *Accipite, et commendate etc.*

5. — IV. *Acolythatus*. Materia hujus Ordinis remota sunt urceoli vacui vel saltem unus, et candelabrum cum cereo exstincto; materia proxima est horum traditio. Forma sunt verba, quae traditionem comitantur: *Accipite ceroferarium etc., Accipite urceolum etc.*

Ad quaesitum: An instrumentum *Bugia* cum candela pro episcopis ad librum, possit esse materia Ordinis Acolythorum, loco candelabri seu ceroferarii? S. R. C. respondit: *Negative*. Die 8. Jun. 1709 in Bracharen. ad 4, n. 2194.

Ad quaesitum: Num *Amen*, quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum in ordinatione, dicendum sit ab ipso ordinando vel ab adstantibus? S. R. C. respondit: *Juxta consuetudinem, ab ordinando*. Die 12. Nov. 1831 n. 2682.

## B. Ritus Ordinum majorum.

6. — I. *Subdiaconatus*. Materia remota hujus Ordinis sunt calix vacuus cum patena vacua superposita, et liber Epistolarum; traditio utriusque constituit materiam proximam. Forma consistit in verbis traditionem comitantibus.<sup>1)</sup> Disputatur quidem, num utraque traditio sit essentialis; ast in praxi juxta dicta ab initio n. 1 est utraque cum forma correspondente adhibenda; et si quid omissum fuerit, suppleri debet tempore opportuno.<sup>2)</sup>

Calix et patena, quae Subdiacono traduntur, *consecrata* esse debent; quia ejus officium est circa vasa sacra.<sup>3)</sup>

In ordinatione generali, quae fit Sabbato sancto, etiam privata, monitio promovendis ad Subdiaconatum facienda est *ante Litanias*, servata Pontificalis rubrica. S. R. C. (2616) 28. Julii 1821 ad 4.

<sup>1)</sup> Ex Pontificali calicem cum patena successive manu dextera singuli tangant, episcopo proferente formam: *Videte, cujus ministerium etc.*

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 746. Scavini Lib. III. n. 534. Ed. XIII.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 747. Si vasa consecrata non sint, Ecclesia repeti jubet ordinationem sub conditione.

Quum ordinandi ad Litanias Sanctorum se prosternunt, tenentur induti esse amictu (non tamen super caput), alba et cingulo, ac secum in brachiis sacra paramenta deferre.

Amictus, quem episcopus imponit ordinando ad Subdiaconatum super caput, est demittendus super scapulas post impositionem, non tenendus in capite usque ad finem orationis. S. R. C. (2956) 11. Sept. 1847 in Veron. ad 2.

Si Missa ordinationis non fit in cantu, Subdiaconus *legat*, non cantet, Epistolam, dum episcopus legit. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 in una Marsorum ad 9. Et postquam Subdiaconus Epistolam legerit, non debet osculari manum episcopi stantis ad altare. S. R. C. (3006) 25. Sept. 1852 in una Venetiarum ad 5.

7. — II. *Diaconatus*. Quoad materiam et formam essentialem hujus Ordinis triplex datur sententia: 1. Alii dicunt, solam traditionem libri Evangeliorum cum sua forma esse de essentia. 2. Alii docent, solam manus impositionem esse materiam necessariam, et verba tunc prolata esse formam. 3. Alii opinantur, tam libri traditionem quam manus impositionem esse de essentia Sacramenti. Quamvis *secunda* sententia omnino videatur praeferenda,<sup>1)</sup> in praxi tamen sequenda est tertia sententia, tutius enim est eligendum coll. n. 1; ideoque si traditio libri est praetermissa, supplenda erit cum prolacione suae formae, ex S. R. C. (2767) 16. Junii 1837, tota vero ordinatio repetenda erit, si manus impositio non est facta, ex cap. *Presbyter, de sacr. non iterandis*.<sup>2)</sup> Certe hic Ecclesia supplere nequit.

Quando Ordines conferuntur sine cantu, Diaconus ex novis ordinatis Evangelium *legat*, non cantet. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 in una Marsorum ad 9. Et tunc dicto *Munda cor meum*, non debet benedictionem petere et manum episcopi deosculari; et episcopus osculari debet Missale suum, non illud quo usus est Diaconus. S. R. C. (3006) 25. Sept. 1852 in Venet. ad 5.

8. — III. *Presbyteratus*. Quoad materiam et formam hujus Sacramenti *alii* dicunt, solam instrumentorum traditionem cum verbis eam comitantibus, *alii*, traditionem instrumentorum et tertiam manuum impositionem cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum etc.*, *alii* denique secundam tantum manuum impositionem,<sup>3)</sup> quando

<sup>1)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 748.

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 758 in fine.

<sup>3)</sup> *Prima* impositio utriusque manus fit super caput cujuslibet

ordinandi ab episcopo nihil dicente, et post eum a sacerdotibus qui adsunt. Hanc impositionem statim sequitur secunda, quae cum prima

nempe Pontifex, solus orans, cum sacerdotibus adstantibus tenet manum dexteram extensam super ordinandos, esse de necessitate et essentia Sacramenti. Etiam si ultima haec sententia sit valde probabilior,<sup>1)</sup> in praxi tamen tutius est tenendum, quocirca 1. si ordinatio facta est sine secunda manuum impositione, tota sub conditione iteranda est, 2. si ordinatio evenit sine traditione instrumentorum, totam ordinationem sub conditione esse repetendam, S. C. C. declaravit in aliquo casu particulari, de quo Benedictus XIV. loquitur,<sup>2)</sup> 3. si defectus contigit in tertia tantum manuum impositione, haec suppleri debebit, quin tota repetatur ordinatio.

9. — Specialia notanda 1. *quoad traditionem instrumentorum.*

*Cuilibet* successive episcopus tradit calicem cum patena, dicens: *Accipe potestatem* etc.

Ordinandus *cuppam calicis et patenam* simul tangere debet, ex Rubr. Pontif. Non est necessarium, tangere etiam hostiam; quamvis melius sit, si fiat.<sup>3)</sup> Probabilissimum est, valide eum ordinari, qui hostiam tangit, non autem patenam; quia hostia et vinum sunt materia substantialis sacerdotii, et calix atque patena solum ad continendas illas materias ex praecepto Ecclesiae adhibentur; in praxi tamen non est recedendum a Rubrica.<sup>4)</sup>

In *calice vinum cum aqua*, et *super patenam hostia* adsit, ex praescripto Pontificalis. Juxta s. Alphonsum<sup>5)</sup> et alios *probabilius* ex necessitate validitatis tradi debet utraque species, nempe vini et hostiae cum calice et patena, quia secus non exprimeretur potestas sacerdotalis ad integrum sacrificium, et ex Decreto Eugenii IV. materia presbyteratus est *calix cum vino et patena cum hostia*. Hinc S. C. Inq. 11. Jan. 1899 (confirmante S. Pontifice) decrevit, ordinationem iterandam esse ex integro sub conditione et secreto, quia ex inadvertentia ordinandis traditus est *calix absque vino*; et idem decrevit die 17. Jan. 1900, casu quo in ordinatione *hostia* super patenam defuerat.<sup>6)</sup>

quasi unum morale constituere videtur, unde aliqui AA. de duplici, non de triplici manuum impositione loquuntur. Cf. Lehmkuhl, Génicot etc.

<sup>1)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 749. Traditio instrumentorum et tertia manuum impositio tamen sunt materia integralis, juxta hanc sententiam.

<sup>2)</sup> De Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 10 n. 1 et 13.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 752.

<sup>4)</sup> S. Alph. n. 751.

<sup>5)</sup> Lib. VI. n. 750.

<sup>6)</sup> Anal. eccl. Vol. 7 p. 145 et Vol. 8 p. 104.

Ex Rubrica Pontificalis ordinandi *tangant* cuppam calicis et patenam, et *Pontifex moneat ordinandos, quod instrumenta tangant*. Ex tanta Ecclesiae cura de contactu instrumentorum plures colligendum esse putant, ad validitatem ordinationis requiri contactum, et *physicum* quidem, quum in omnium sensu vox *tangere* proprie significet physicam apprehensionem, ac insuper Pontificale explicando notet: *ipsi illum* (calicem et patenam) *accipiunt inter indices et medios digitos*.<sup>1)</sup> S. R. C. quidem „ad scrupulum Ephraem Chasteau, nempe se non tetigisse tactu physico calicem in sua ordinatione ad Presbyteratum“, (1221) 3. Dec. 1661 respondit: *posse continuare celebrationem ss. sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia*. Ast non satis cognoscitur factum, de quo illud responsum est datum, an nempe Ephraem tantum omiserit tangere calicem, non vero patenam, et an non scrupulus, se non tetigisse calicem, fuerit dubium vanum et inane, ideoque contemnendum. Hinc in re tanti momenti omnino tutius faciendum est.

Non requiritur simultaneitas physica temporis inter traditionem instrumentorum et formae prolationem, sed sufficit *simultaneitas* seu coexistentia *moralis*, ita ut inter materiam et formam sit illa unio, quae reddit actionem moraliter unam et quae una dici potest sine interruptione.<sup>2)</sup>

10. — Notanda 2. *quoad manuum impositionem*.

In ordinatione presbyterorum servandam esse praxim Ecclesiae Romanae, quae manus ordinandis imponit in *prima* tantum oratione: *Oremus, fratres carissimi*, non autem in oratione: *Exaudi nos*, mandavit S. R. C. (2851) 18. Feb. 1843 in Anicien. Rursus ad quaesitum: An post impositionem manuum, dicta manu dextera extensa super illos oratione: *Oremus, fratres carissimi*, et verbis dictis: *Oremus, flectamus genua*, debeant denuo Pontifex et praesentes sacerdotes manum extendere super ordinandos, dum dicitur: *Exaudi nos etc.*? S. R. C. (3105) 14. Martii 1861 Briocen. ad 1 respondit: *Detur Decretum in Anicien. d. 18. Feb. 1843*.

Casu quo prima quidem impositio manuum facta est, sed *sine tactu physico* per episcopum et assistentes sacerdotes, S. C. Inq. (approb. Leone XIII.) 4. Julii 1900 decrevit, ordinationem iteran-

<sup>1)</sup> Vid. s. Alph. n. 743, qui addit sufficere tactum mediatum, nempe si contigatur calix, patena aut liber medio aliquo velo vel chirotheca; qui enim

sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur.

<sup>2)</sup> Card. De Lugo: Tract. de Sacr. d. 22. n. 99. Noldin: De Sacr. n. 460.

dam esse ex integro sub conditione et secreto, quocumque die. Et idem decretum repetiit die 22. Aug. 1900, quia omissae sunt prima et secunda manuum impositio, quibus dein suppletum est post communionem.<sup>1)</sup>

Si post tactum physicum capitis ordinandorum episcopus manum extensam habuit super ordinandos, saltem immediate ante recitationem *Oremus* etc., certo valida est ordinatio. S. C. Inq. 12. Sept. 1877. Si autem nequidem immediate ante recitationem *Oremus* etc. illa manus extensio facta est, ordinatio iteranda est secreto et sub conditione, quocumque die. S. C. Inq. (appr. S. Pontifice) 30. Nov. 1898.<sup>2)</sup>

Episcopus perturbavit formam postremae (tertia) manuum impositioni adnexam, dicendo: *quorum remiseras peccata, retenta sunt, et quorum retinueris, remissa sunt.* Quid? S. Inquis. Congr. die 27. Maji 1840, approbante Gregorio XVI., respondit: *Sub conditione in privato Oratorio, quovis anni tempore, suppleatur a quovis episcopo induto de more, tertia manuum impositio et forma respectiva: Accipe Spiritum Sanctum etc., non tamen repetendo caeremonias accidentales antea adhibitae.* Et idem S. R. C. (2836) 22. Maji 1841 respondit.

11. — Notanda 3. *quoad subordinationem duplicis materiae.* Necessesse est etiam, ut manuum impositio praecedat instrumentorum traditionem, idque ex Decreto S. C. Inq., quae requisita circa quandam ordinationem, in qua prius oblita et postea suppleta fuerat prima et altera manuum impositio, respondit die 3. Maji 1899: *Dummodo in casu proposito repetitio formae et manuum impositio facta fuerit ante instrumentorum traditionem, acquiescat.* Quid autem, si facta fuisset post instrumentorum traditionem? Certe iteranda erit ordinatio ex integro et sub conditione, ut in casu Benedicti XIV. supra (n. 8 sub 2) allato.<sup>3)</sup>

12. — IV. *Episcopatus.* Manuum impositio, quae fit a consecrante episcopo, est hujus Ordinis materia necessaria; verba tunc ab eodem prolata, constituunt necessariam formam. Nec impositio libri Evangeliorum super cervicem et scapulas consecrandi, neque unctio capitis et manuum est essentialis.

In consecratione episcopi *duo episcopi* assistere debent episcopo consecranti; attamen Sancta Sedes pluries dispensavit, ut loco duorum episcoporum assisterent duo presbyteri.

<sup>1)</sup> Anal. eccl. Vol. 8 p. 339 et 407.

<sup>3)</sup> Anal. eccl. Vol. 8 p. 502.

<sup>2)</sup> Anal. eccl. Vol. 7 p. 60.

Consecrandus albo, consecrator et assistentes colore temporis vel officio Missae conveniente uti debent. S. R. C. (1265) 16. Junii 1663 in Granaten. ad 2.

## §. 199.

**Tempus et locus ordinationis.**

1. — Prima *Tonsura* seu clericatus quocunque die, hora et loco conferri potest. Ita Pontif. Rom.

Ordines *minores* impertiri possunt singulis dominicis et festivis diebus de praecepto vel in festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem. S. R. C. (2705) 16. Martii 1833 in Claramonten.<sup>1)</sup> Conferri possunt ubicunque, etiam extra Missarum solemniam, mane tamen. Pontif. Rom. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 1. Congruum tamen est, ut intra Missam conferantur.<sup>2)</sup>

Ordines *majores* ex Conc. Trid. Sess. 23. cap. 8 publice in ecclesia cathedrali vel digniori ecclesia dioecesis dari possunt, sed tantum inter Missarum solemniam, his diebus a jure praescriptis: a) sabbatis quatuor temporum, b) sabbato ante Dominicam Passionis, c) sabbato ante dominicam Paschatis. Dispensatione obtenta a Papa conferri possunt etiam aliis diebus, nempe dominicis vel festis de praecepto adhuc vel ab Apostolica Sede abrogatis. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 in una Marsorum.<sup>3)</sup> Hinc expressio: ordinare *in temporibus*, nempe a jure praescriptis, et *extra tempora*, obtenta dispensatione.

2. — In conferendis Ordinibus observari debent *Interstitia*, quae diversa sunt pro Ordinum diversitate. Possunt tamen omnes Ordines minores alicui una die conferri. Quatuor minores simul

<sup>1)</sup> Quum diversae opiniones circumferantur in concilio Claramontensi circa haec verba Pontificalis Romani: „*Minores Ordines possunt conferri in dominicis et festis duplicibus*“, ad certam in re legem stabiliendam, S. R. Congregationi datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignaretur. S. R. C. respondit: *Minores Ordines conferri possunt in festis de praecepto vel in festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem.* Die 16. Martii 1833 in Claram. n. 2705.

<sup>2)</sup> Benedictus XIV. De Syn. Lib. VIII. cap. 11 n. 4.

<sup>3)</sup> Si episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre *in diebus Apostolorum ceterisque per Apostolicam Sedem abrogatis?* hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores? S. R. C. respondit: *Affirmative ad 1. partem, etiam ad 2., sed mane tantum.* Die 12. Nov. 1831 ad 1 (n. 2682), item 18. Feb. 1843 Anicien. n. 2852.

cum Subdiaconatu eodem die uni eidemque dare, sub gravi prohibitum est in jure cap. 2 *de eo, qui furtive*. Suscipiens duos sacros Ordines eodem die suspensionem ipso facto ab ultimo Ordine suscepto, et insuper irregularitatem incurrit.<sup>1)</sup>

### §. 200.

#### **Missa ordinationis et Communio ordinatorum.**

1. — I. *Missa ordinationis*. Sabbato quatuor temporum vel aliis diebus a jure praestitutis §. 199 n. 1 episcopus ordinationes faciens Missam non de Sancto, qui forte illis diebus occurrit, sed *de feria* cum oratione pro ordinandis et reliquis suffragiis, sine commemoratione Sancti occurrentis, extra haec tempora vero Missam de festo occurrente celebrare debet. S. R. C. (1049) 26. Jan. 1658.

Idem episcopus, qui Ordines confert, etiam Missam celebrare debet; *secus divideretur mysterium unitatis*, ut cum Innocentio III.<sup>2)</sup> loquitur Benedictus XIV.<sup>3)</sup> Valida tamen esset ordinatio, si alius ordinaret, alius celebraret, ut S. C. Concilii declaravit, quia Missa non est de essentia ad Ordinum validitatem.<sup>4)</sup>

2. — Presbyteri neoordinati debent una cum episcopo ordinante Missam legere, incipiendo demum ab oratione: *Suscipe sancte Pater*. Pontif. Rom. S. R. C. (2404) 20. Sept. 1749 in Jaurinen. ad 1. Ipsi vere cum episcopo consecrant, quamvis unum efficiant sacrificium; quapropter curare debent, ut verba consecrationis eodem momento cum episcopo pronuntient, seu ut quoad fieri potest, simul cum episcopo formam absolvant. Ita Pontif. Rom.<sup>5)</sup> Etiam *Evangelium in fine* Missae dicere debent una cum episcopo. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 12.

Etsi ordinatio presbyteri fiat in cantu, et praefatio aliaque ab episcopo cantentur, haec ab ordinatis *sine cantu* legenda sunt. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 11. Presbyteri omnes illas, quas episcopus ordinans sub sacrificio facit, actiones facere non debent.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 796, 797.

<sup>2)</sup> In Cap. *Quod sicut* §. 1. De Elect.

<sup>3)</sup> De Syn. Dioec. L. VIII. c. 11. n. 5.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. L. VIII. c. 11 n. 5—7.

<sup>5)</sup> Si vero quispiam forte ante episcopum consecrationis verba pronuntiaverit, *nihil fieri contra debitam reverentiam Sacramenti*, ait Bened. XIV. De Missae Sacr. Lib. III. c. 16 n. 7, cum Vasquez.



S. R. C. (2404) 20. Sept. 1749 ad 3. Missam legere debent non stantes, sed genuflexi S. R. C. (2404) 20. Sept. 1749 ad 2.

3. — II. *Communio ordinatorum*. Praecepta est sub mortali Communio presbyteris, ut sacrificium compleant, siquidem vere cum episcopo celebrant; diaconis et subdiaconis non nisi sub levi, quum illa non habeat necessariam relationem ad eorum ordinationem.<sup>1)</sup> De consilio autem ss. Eucharistiae susceptio est pro ordinatis in minoribus; et sane Ordines minores coll. §. 199 n. 1 etiam extra Missam dari possunt.<sup>2)</sup>

Diaconi et subdiaconi in sacra ordinatione *Confiteor* dicere debent post Communionem presbyterorum. S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 10.

In Communione, etiam dum ordinati in minoribus communicantur, episcopus uti debet forma: *Corpus D. N. Jesu Christi custodiat te etc.* S. R. C. (2682) 12. Nov. 1831 ad 16. Extra casum ordinationis haec formula non est adhibenda, sed communis. S. R. C. (3012) 7. Maji 1853 Grossetana ad 3.

## §. 201.

### Preces et Missae ordinatis ab episcopo impositae.

1. — Preces, quae singulis ad primam Tonsuram et ad minores Ordines promotis ab episcopo praescribuntur, possunt ab eis alternatim persolvi.

*Nocturnus talis diei*, quem subdiaconis et diaconis episcopus praescribit, intelligitur de unico Nocturno feriali vel de primo festi aut Dominicae cum suis Antiphonis in Psalterio, et quidem cujuscunque diei, quem episcopus designare potest, sive ipsius diei quo habet ordinationem, sive alterius pro suo arbitrio. Quodsi episcopus non designet certum diem, cujus Nocturnus recitari debeat, dicendus est Nocturnus ferialis vel primus festi aut Dominicae, prouti ordinatio in feria, festo aut Dominica facta est. S. R. C. (4042) 27. Junii 1899.

2. — Missae, quarum celebratio injungitur ordinatis ad presbyteratum, nempe *de Spiritu Sancto*, *de B. Maria Virgine et pro fidelibus defunctis*, tamquam Missae votivae dici debent diebus per-

<sup>1)</sup> Pontif. dicit: — „ad quos (majores Ordines) ordinati omnes debent communicare; ideo parentur pro eorum

numero hostiae parvae consecrandae.“

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 801.

Rubricas permissis. S. R. C. (2802) 11. April 1840. Missa pro defunctis erit quotidiana. Non autem est obligatio applicandi illas Missas juxta intentionem episcopi, qui solum dicit, ut ordinati pro ipso etiam orent; ideoque presbyteri possunt Missas aliis applicare etiam cum stipendiis.<sup>1)</sup> Neque absolute requiritur, ut ordo in earum celebratione observetur, ita ut prima sit de Spiritu Sancto etc., dummodo celebrentur; possunt quoque ex causa rationabili differri.

### §. 202.

#### Conditiones in ministro requisitae.

1. — *Majorum Ordinum ministrum unicum, minorum Ordinum ministrum ordinarium esse episcopum*, de fide certum est ex Conc. Florent. Decr. pro Armenis et ex Trid. Sess. 23. cap. 4. Simplicem sacerdotem ex commissione Romani Pontificis tamquam ministrum extraordinarium subditis suis posse primam Tonsuram et Ordines minores conferre, Conc. Trid. Sess. 23. cap. 10 de Ref. aperte supponit, et praxis Ecclesiae habet, quandoquidem abbates ex concessione Summi Pontificis regularibus sibi subjectis conferunt Tonsuram et minores Ordines.<sup>2)</sup>

2. — Ut autem *licite* seu legitime episcopus impertiat Ordines (quod communiter etiam de Tonsura intelligunt), debet esse episcopus *proprius* (et nulla censura vel impedimento irretitus), vel si alienus, instructus sit oportet facultate proprii episcopi per sic dictas *litteras dimissoriales*, per quas ipsi subditur ordinandus, vel per *litteras testimoniales*, quibus probitas et mores ejus, quem proprius episcopus per alienum vult ordinari, commendentur. Quae quidem praescribuntur sub poena suspensionis Romano Pontifici reservatae, in Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis* §. 3 et Conc. Trid. Sess. 23. cap. 8 de Ref. Plura his de rebus in jure canonico.

Porro episcopus, ut grave vitet peccatum, ad sacros Ordines non admittat nisi satis probatos, juxta Apostoli verba: „*Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*“ 1 Tim. 5, 22 ;

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 829.

<sup>2)</sup> Ordines minores collati ab Abbate, nullo ad id obtento privilegio, neque licite neque valide conferuntur; collati non subditis validi sunt, quod saepius S. C. C. declaravit. Si vero conferantur ab Abbate habente jus

conferendi illos certo personarum generi, et aliquos initiaverit, qui ad id genus non pertinent, illicite conferuntur, sed tamen valide. Ita ex variis Decretis S. C. C. apud Benedictum XIV.: De Syn. Dioec. Lib. II. cap. 11 n. 8 et 9.

quare in jure can. cap. *Nullus* praecipitur: *Nullus ordinetur, nisi probatus*. Potest, imo etiam debet episcopus ab ingressu ad Ordines arcere eum, quem noverit indignum, *quamvis indignitas sit occulta*, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1, de Ref., nec eo casu tenetur manifestare causam, ob quam eum repellat, juxta declarationes S. C. C., quas Benedictus XIV. affert.<sup>1)</sup>

### §. 203.

#### Conditiones in subjecto requisitae.

1. — Solus masculus et baptizatus est *capax* ordinationis; sed parvulus, quamvis valide, tamen illicite ordinatur. Porro Benedictus XIV. in Bulla *Eo quamvis tempore*, die 4. Maji 1745 §. 27 praescribit, quod infantes ordinati, cum pervenerint ad annos discretionis, non tenentur ad castitatem; praecipit vero, ut eis decimo octavo aetatis anno detur optio, et si voluerint castitatem servare, ad Ordinis exercitium admittantur; secus, si noluerint. Et §. 40 subdit, quod ipsi post ratihabitionem invalide contrahunt matrimonium et ad officium divinum tenentur.<sup>2)</sup>

Adultus debet habere intentionem saltem habitualem suscipiendi, „quod Ecclesia intendit ab eo suscipi“. Si quis coactus metu gravis mali intendat ad suscipiendos Ordines, ut malum istud vitet, ordinatio ejus valida est; irritus autem est Ordo dissentienti et reluctanti collatus. Qui nec consentit nec dissentit, sed indifferenter seu neutraliter se habet animo, invalide ordinatur.<sup>3)</sup>

Si in foro externo causa movetur de nullitate ss. Ordinum per vim et metum susceptorum, non tantum nullitas Ordinum, sed etiam nullitas obligationum adnexarum expendi solet. Et quidem 1. *nullitas Ordinum* in foro externo difficilius probari potest, quum ostendi debeat, voluntatem positive dissensisse seu repugnasse in actu sacrae ordinationis; — 2. *nullitas obligationum*, quae ex lege ecclesiastica ss. Ordinibus sunt conjunctae, facilius demonstrari potest. Ejusmodi demonstratio est ejusdem generis ac illa, quae exigitur in causis matrimonialibus vel professionis religiosae vi metuque emissae.<sup>4)</sup>

2. — Ut quis *licite* et rite suscipiat Ordines, requiritur 1. divina vocatio, 2. aetas canonica atque immunitas a censura et irregularitate, ex jure can. et Pont. Rom., — 3. ordinatio ab episcopo gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, ita

<sup>1)</sup> De Syn. Lib. XII. cap. 8 n. 4.

<sup>3)</sup> Bened. XIV. De Missae Sacrif. Lib. VIII. cap. 10 n. 12.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 80.

<sup>4)</sup> Acta S. Sedis Vol. VI pag. 94.

ut suspensionem Romano Pontifici reservatam ab Ordine suscepto ipso jure incurrat, qui eundem Ordinem recipere praesumpserit ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio, per Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis*, de Suspens. §. 6; — requiritur 4. titulus honestae sustentationis ad majores Ordines suscipiendos, ex Conc. Trid. Sess. 21. d. R. cap. 2, — denique 5. pia et religiosa dispositio. Sed haec requisita, si excipias primum, de quo jam Lib. II. §. 182 n. 3, 4, 5 egimus, et ultimum, de quo statim infra, stricte pertinent ad jus canonicum.

### §. 204.

#### **Pia et religiosa ordinandorum dispositio.**

1. — Sub hac comprehenduntur probitas vitae, Confirmationis Sacramenti susceptio, et Exercitia spiritualia; his quippe rite praeparantur candidati ad Ordines recipiendos.

2. — Requiritur I. *vitae probitas*, juxta gradum Ordinis et mensuram officii injungendi, prout d. Thomas<sup>1)</sup> ait. Quare Benedictus XIV in Bulla *Ubi primum* sic episcopus alloquitur: „*Studiosa et magna adhibita diligentia investigandum a nobis est, an eorum, qui priorum susceperint (Ordinum) ministeria, talis fuerit vivendi ratio et in sacris scientiis progressio, ut vere digni judicandi sint, quibus dicatur: Ascende superius! cum alioquin expediat in inferiori potius aliquos manere gradu, quam cum suo majori periculo et aliorum scandalo ad altiorem provehi.*“

Atque in primis quod spectat ad primam Tonsuram, Concil. Trid. Sess. 23. cap. 4 de Ref. mandat, ut hac non initientur, de quibus probabilis conjectura non est, eos hoc vitae genus elegisse ex recta intentione, nempe ut Deo fidelem cultum praestent.

De Ordinibus minoribus idem Conc. Sess. 23. cap. 11 de Ref. loquens ait: *Clerici ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat: quod et (1) bonorum morum exemplum, et (2) assiduum in Ecclesia ministerium, atque (3) major erga presbyteros et superiores Ordines reverentia, et (4) crebrior quam antea corporis Christi communio maxime comprobabunt.*

<sup>1)</sup> Suppl. q. 36 a. 4 ad 3.

Quoad majores Ordines Conc. Trid. Sess. 23. cap. 12 imprimis declarat, ad illos assumi debere *dignos duntaxat, quorum probata vita senectus est*. Subjungit dein cap. 13, subdiaconos et diaconos ordinandos esse, *habentes bonum testimonium et in minoribus Ordinibus jam probatos, . . qui sperant Deo auctore se continere posse*. De presbyteratu cap. 14 sic loquitur: „*Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint et ad presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, atque ita pietate ac castis moribus conspicui (sint), ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari.*“

Ceterum hoc de argumento confer, quae dicta sunt Lib. II. §. 182 (de clericorum sanctitate).

Ad arcendos indignos a majoribus Ordinibus Conc. Trid. Sess. 23. cap. 5 de Ref. jussit, per mensem ante ordinationem *publice denuntiari in ecclesia ordinandos*, nominibus eorum propositis, ad hoc ut de eorum moribus populus fidem faciat.

3. — Requiritur II. *Confirmatio* ad Ordines, imo jam ad Tonsuram, quia Ecclesia vult habere ministros in fide roboratos. Concilium Trid. Sess. 23. cap. 4 ait: „*Prima Tonsura non initentur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.*“ Cujus Decreti interpretatio communis est, Confirmationem non sub gravi, sed sub levi tantum requiri.<sup>1)</sup> S. C. C. die 27. Sept. 1671 declaravit, quod si suscepit Tonsuram vel Ordines non confirmatus, ut male promotus non possit ascendere ad alios Ordines, nec recipere beneficia sine Pontificis dispensatione; habetur enim ut irregularis.

4. — Requiritur III. *exercitia spiritualia* instituenda ante ss. Ordinum susceptionem. Primum consuetudine factum est, ut qui ad ss. Ordines promovendi essent, per aliquod temporis spatium piis exercitiis vacarent. Jam s. Augustinus, cum per vim populi episcopo Valerio ordinandus offerretur, ad eundem episcopum literas dedit, ut facultatem obtineret secedendi in locum remotum, ubi piis exercitationibus aliquod tempus impenderet. S. Carolus Borromaeus in Conc. Prov. IV. a. 1576 exercitia spiritualia ascensuris ad Ordines majores praescripsit. Idem fecit Ludov. Abelly, episc. Ruthenensis, attestans, in quamplurimis dioecesibus adhiberi ordinandorum exercitia per decem vel duodecim circiter dies. Hac pia consuetudine probata Alexander VII.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 786.

die 7. Aug. 1662 eadem per 10 dies peragenda injunxit omnibus, qui Romae et in sex episcopatibus suburbicariis ad ss. Ordines promovendi essent; idque mandatum deinceps Innocentius XI. die 3. Oct. 1682 et Innocentius XII. die 1. Feb. 1700 ad omnes dioeceses totius Italiae et insularum adjacentium extenderunt.<sup>1)</sup> Nunc temporis per leges dioecesananas pro Ordinibus non tantum majoribus, sed etiam minoribus, imo etiam pro prima Tonsura, praescripta sunt exercitia spiritualia prolixius breviusve instituenda.

§. 205.

**Virtutes, quae singulis congruunt Ordinibus.**

1. — Jam *clericus*, Tonsura insignitus, novum debet induere hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. Ideo cor suum a saeculi vanitatibus avertere, et habitu honesto bonisque moribus ac operibus Deo placere studeat oportet. Habet clericus Sanctos, quos colat, Martyrologio Romano insertos:

Die 4. Januarii Romae s. Martyrem Priscillianum clericum, qui cum Prisco presbytero et Benedicta religiosa femina tempore impiissimi Juliani gladio martyrium complevit. Die 1. Novemb. Divione s. Martyrem Benignum (presbyterum), s. Polycarpi discipulum, qui Tonsurae clericalis indicio deprehensus sub Marco Aurelio a Terentio iudice morte mulctatus est saeculo secundo labente, ut ex vetustissimis Ecclesiae Divionensis actis refert Martenius.

2. — I. Virtutes propriae *Ostiarum* sunt: 1. fidelissima cura in domo Dei quoad officia ipsi incumbentia, ex Pont. Rom. *in eis sit fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus;* — 2. zelus salutis animarum dictis et exemplis, juxta verba Pontificis ad Ostiarios: „*Studete, ut invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo.*“

Praeclara exempla Ostiario praebent ss. Mansionarii, qui fuerunt ecclesiae custodes,<sup>2)</sup> Martyrologio Romano inscripti:

Die 14. Aprilis Romae s. Abundius, mansionarius ecclesiae s. Petri, qui a s. Gregorio M. magnae humilitatis atque gravitatis vir dicitur et, ut idem refert, puellam paralyticam miraculo

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. Inst. 104.  
De Syn. Dioec. Lib. XI. cap. 2 n. 16.

<sup>2)</sup> S. Greg. M. Dial. Lib. III  
cap. 24 et 25.

sanavit.<sup>1)</sup> Die 23. Septembris Anconae s. Constantius, mansionarius ecclesiae s. Stephani, de quo s. Gregor. M. narrat,<sup>2)</sup> quod ejus sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longe lateque tetenderat, quia funditus terrena despiciens, toto annisu mentis ad sola coelestia flagrabat, et quod magnus foris fuit in miraculis, sed major intus in humilitate cordis. Die 26. Decembr. Romae s. Theodorus, mansionarius ecclesiae s. Petri, cujus pariter meminit s. Greg. M.<sup>3)</sup> narrans, quod quadam nocte, dum citius ad melioranda juxta januam luminaria surrexisset, beatus Petrus Apostolus ipsi apparuit.

3. — II. Virtutes *Lectoris* propriae sunt: 1. Fides recta et efficax, secundum monitum Pontificis: „*quod autem ore legitis, corde credatis et opere compleatis*“; — 2. aedificatio populi exercitio virtutum altiorum; sic enim Pontifex prosequitur: „*Ideoque dum legitis, in alto loco Ecclesiae statis, ut ab omnibus audiamini et videamini, figurantes positione corporali vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, coelestis vitae formam praebeatis*“; — 3. fervor et fidelitas in catechizando, etenim Pontifex ait: „*Estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*“

Multi sunt, quorum Ecclesia in Martyrologio meminit, sancti Lectores:

Die 12. Januarii Constantinopoli s. Eutropius, qui cum Tigrio presbytero Arcadii imperatoris tempore passus est. Die 14. Februarii Alexandriae s. Bassianus, Martyr, igne combustus. Die 26. Martii Pentapoli in Lybia ss. Serapion et Ammonius, Martyres cum s. Theodoro episcopo et Irenaeo Diacono. Die 4. Aprilis Thessalonicae s. Theodulus, Martyr, qui ob fidei christianae confessionem alligato ad collum saxo in mare demersus est, sub Maximiano imperatore. Die 5. Aprilis in Africa passio ss. Martyrum, qui in persecutione Genserici regis Ariani in die Paschae in ecclesia caesi sunt; quorum *Lector, dum in pulpito Alleluja cantaret, sagitta in gutture transfixus est.* Die 30. Aprilis s. Marianus, Martyr cum multis aliis, in Numidia sub Decio. Die 5. Maji Antisiodori s. Jovianus, qui ibidem

<sup>1)</sup> Ibid. Lib. III. cap. 25.

<sup>2)</sup> Ibid. Lib. III. cap. 24.

<sup>3)</sup> Ibid. Lib. I. cap. 5.

passus est. Die 18. Maji in Aegypto s. Dioscorus, in quem praeses multa et varia tormenta exercuit, ita ut ungues ejus effoderet, et lampadibus latera inflammaret; sed coelestis luminis fulgore perterriti ceciderunt ministri: novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit. Die 13. Julii in Africa *plurimi Lectores*, qui cum universo clero Ecclesiae Carthaginensis (fere 500 vel amplius) in persecutione Wandalica sub Hunnerico rege Ariano caede inediaque macerati, gaudentes in Domino, procul exilio crudeli extrusi sunt. Die 19. Sept. Puteolis in Campania s. *Desiderius*, qui cum s. Januario et aliis, post vincula et carceres capite caesus est sub Diocletiano principe. Die 24. Octobris Venusiae in Apulia s. *Fortunatus* et s. *Septimus*, qui cum Felice episcopo et aliis tempore Diocletiani multis diu vinculis et carceribus in Africa et Sicilia macerati, tandem occisione gladii consummati sunt. Die 12. Decembris Romae s. *Synesius*, Martyr, qui tempore beati Xysti Papae Lector ordinatus, cum multos convertisset ad Christum, apud Aurelianum imperatorem accusatus, gladio percussus martyrii palmam accepit.

4. — III. Virtutes *Exorcistarum*: 1. Singularis conscientiae puritas, ad quam Pontifex monet: „*Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis etc.*“; — 2. mortificatio passionum, de qua episcopus loquitur verbis: „*discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare*“; — 3. mortificatio carnis et orationis fervor, quia genus daemoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejuniis Matth. 17, 20; — 4. humilitas, ne in superbiam elati, in judicium incidant diaboli 1 Tim. 3, 6.

Ab Ecclesia sequentes coluntur sancti Exorcistae, in Martyrologio consignati:

Die 14. Februarii Alexandriae s. *Agatho*, Martyr, qui igne combustus est cum Bassiano Lectore etc. Die 2. Junii Romae s. *Petrus*, Martyr, qui cum s. Marcellino presbytero multos in carcere ad fidem erudivit, et sub Diocletiano post dira vincula et plurima tormenta simul cum illo a Sereno iudice decollatus est. Memoratur in Canone Missae post consecrationem. Die 31. Dec. Rhaetiarum s. *Hermas*.

5. — IV. Virtutes *Acolythorum*: 1. fidelitas in exsequendo ministerio accepto; — 2. sollicitudo in castitate et omnibus ope-



ribus bonis, per quae luceant sicut luminaria in mundo. Constat de his ex admonitione et orationibus episcopi ordinantis.

In hunc Ordinem eveci prae oculis habeant eos, quos Ecclesia in Martyrologio proponit colendos, sanctos Acolythos. Hi sunt:

Die 15. Augusti Romae s. Tharcisius, quem pagani cum invenissent Corporis Christi Sacramentum portantem, coeperunt disquirere, quid gereret; ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis mactatus est fustibus et lapidibus, donec exhalaret spiritum: et revoluto ejus corpore, sacrilegi discussores nihil Sacramentorum Christi in manibus aut in vestibus invenerunt. Die 21. Junii Romae s. Aloisius S. J., qui miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociavit; minores tantum Ordines a. 1588 suscepit. Die 13. Augusti s. Joannes Berchmans S. J., eximius sancti Aloisii imitator.

6. — V. Virtutes *Subdiaconorum*: 1. debent Deo perpetuo famulari, — 2. in vera et catholica fide esse fundati, — 3. castitatem semper servare, — 4. oportet eos esse devotos (et preces canonicas recitare), assiduos et strenuos in Ecclesiae ministerio, obediens, sobrios, vigiles, bonorum operum studiosos. Quae ex ordinantis Pontificis verbis colliguntur.

Plures in Martyrologio exhibentur sancti Subdiaconi venerandi et imitandi:

Die 1. Maji in Galliis, territorio Vivariensi, s. Andeolus quem s. Polycarpus una cum aliis ab Oriente misit in Galliam ad praedicandum verbum Dei. Hic sub Severo imperatore spinosis fustibus caesus, demum ense ligneo capite in quatuor partes in modum crucis conscisso martyrium consummavit. Die 30. Junii s. Leo. Die 6. Aug. ss. Januarius, Magnus, Vincentius et Stephanus, qui cum b. Xysto et duobus ejusdem Diaconibus decollati, atque in coemeterio Praetextati sepulti sunt. Die 17. Augusti Carthagine ss. Martyres Servus et Rusticus, qui cum aliis in persecutione Wandalica sub Hunnerico rege pro confessione catholicae fidei et unci Baptismatis defensione, variis et inauditis suppliciis exagitati, demum super ligna, quibus cremandi erant, clavis confixi, cum ignis saepius accensus fuisset ac divinitus semper extinctus, ejus jussu remorum vectibus percussi et comminutis cerebris enecati, speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt. Die 25. Octobris Constantinopoli s. Martyrius, qui cum Marciano Cantore ab haereticis sub

Constantio imperatore necatus est. Die 26. Octobr. s. Quadragessimus, qui et mortuum suscitavit.

7. — VI. Virtutes *Diaconorum* praecipuae his egregiis Pontificis ordinantis verbis exprimuntur: „*Estote, nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei Et quia comministri et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni Curate, ut quibus Evangelium ore annuntiat, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in praeparatione Evangelii pacis.*“

Sancti Diaconi, quorum exemplis pedes ordinatorum ad Diaconatum sint calceati, quamplurimi in Martyrologio commemorantur. Ex eorum numero praecipui sunt:

Die 26. Decembris Jerosolymis s. Stephanus, Protomartyr, merito praecipuae castitatis ab Apostolicis ad officium Diaconi electus, a Judaeis non longe post Ascensionem Domini lapidatus. Commemoratur in Canone Missae post consecrationem. Die 10. Augusti Romae s. Laurentius, qui in persecutione Valeriani post plurima tormenta carceris, verberum diversorum, scorpionum, fustium et plumbatarum et laminarum ardentium, ad ultimum in craticula ferrea assatus, martyrium complevit. Memoratur in Canone ante consecrationem. Die 22. Januarii Valentiae in Hispania s. Vincentius, Martyr, qui sub Daciano impiissimo praeside carceres, famem, equuleum, distorsiones membrorum, laminas ardentes, cratem ferream ignitam, aliaque tormentorum genera perpessus ad martyrii praemium evolavit in coelum. Die 1. Februarii s. Ephraem, Edessenae Ecclesiae Diaconus, qui post multos labores pro fide Christi susceptos sub Valente imperatore, sanctitate et doctrina conspicuus quievit in Domino. Die 4. Octobris Assisii in Umbria s. Franciscus Seraphicus, trium Ordinum inclytus fundator, cujus vitam sanctitate et miraculis plenam s. Bonaventura conscripsit.

8. — VII. Virtutes *Presbyterorum* praecipuae commemorantur a Pontifice ordinante, dum primum dicit, quod Dominus septuaginta duos discipulos elegit, ac binos ante se in praedicationem misit, ut doceret, . *ministros Ecclesiae suae fide et opere debere esse perfectos seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos; et dein prosequitur; „Servate in moribus vestris castae et sanctae*

*vitae integritatem. Agnoscite quod agitis. Imitamini quod tractatis; quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione et exemplo aedificetis domum id est familiam Dei.*“ Praeprimis filiali pietate ac firma obedientia Ecclesiae et Apostolicae Sedi sacerdos adhaerere debet; ad quod s. Thomas a Villanova<sup>1)</sup> et s. Paulus a Cruce<sup>2)</sup> adhuc ante mortem suos admonuerunt.

Praeterea presbyteri peculiariter tenentur ad *reverentiam et obedientiam*, quam episcopo in ordinatione promittunt.<sup>3)</sup> Possunt tamen, etiam renuente episcopo, statum religiosum ingredi ex cap. *Duo sunt*, can. 19 q. 2. Constit. Benedicti XIV., quae incipit *Ex quo dilectus*, die 14. Jan. 1747.<sup>4)</sup>

Sanctorum sacerdotum, quorum memoriam facit Martyrologium, tantus est numerus, ut omnibus commemorandis hic non suppetat locus. Observemus tamen, quod s. Gregorius M. monet: „*Cum bene proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est, ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus; nam et apes componere mella nequeunt, si ea in floribus variis nequaquam legunt* Per exempla Sanctorum, quo copiosius cernimus, melius edocemur.<sup>5)</sup>

\* Recolantur hic, quae de communibus clericorum obligationibus exposita sunt Lib. II. §. 183 (de coelibatu), §. 184 et 185 (de horis canonicis), §. 186 (de habitu et tonsura clericali), §. 187 et 188 (de artibus et officiis prohibitis etc.).

§. 206.

## E p i l o g u s .

*Ex epistola 52. (alias 2.) s. Hieronymi ad Nepotianum.*

„Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum et nominis definitione prolata, nitatur esse

<sup>1)</sup> Bulla Canoniz. Alexandri VII. a. 1658 §. 9.

<sup>2)</sup> Surius edit. nov. die 28. Apr. §. 22.

<sup>3)</sup> Ad quaesitum: Praestita a presbytero ordinato in fine Missae obedientia, Pontificale episcopo injungit,

ut eum osculetur. Quomodo ista deosculatio est facienda? S. R. C. respondit: *Dextera vultus pars deosculanda est.* Die 12. Nov. 1831 Marsor. ad 17, n. 2682.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 828.

<sup>5)</sup> In 1 Reg. cap. 5. Lib. IV. n. 6.

quod dicitur. Si enim κληρος Graece, sors Latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum et possideatur a Domino. Obsecro itaque te et repetens iterum iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquae militiae putes: id est, ne lucra saeculi in Christi quaeras militia. Mensulam tuam pauperes et peregrini et cum illis Christus conviva noverit. Negotiatorem Clericum quasi quandam pestem fuge. *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimae.* (1 Cor. 15, 33.)

Hospitiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi aut aequaliter ignora aut aequaliter dilige. Ne sub eodem tecto mansites: nec in praeterita castitate confidas. Nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.

Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce, quod doceas: obtine eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut possis exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere. Permane in his, quae didicisti et credita sunt tibi; sciens a quo didiceris, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti a te rationem, de ea quae in te est spe et fide. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne quum in Ecclesia loquaris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo haec quae dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent. Esto subjectus Pontifici tuo et quasi animae parentem suscipe. Amare filiorum, timere servorum est. *Si pater sum, inquit, ubi est honor meus? Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* (Malach. 1, 6.) Docente te in Ecclesia non clamor populi sed gemitus suscitetur. Lacrimae auditorum, laudes tuae sint. Sermo Presbyteri, Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse et rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum et sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est.

Cave ne hominum rumusculos aucuperis: ne in offensam Dei, populorum laudem commutes. *Si adhuc, inquit Apostolus, hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Gal. 1, 10.) Desiit placere hominibus et servus factus est Christi. Per bonam famam et malam a dextris et a sinistris Christi miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, et laeta contemnit et tristia. *Per diem sol non uret eum neque luna per noctem.* Ps. 120, 6.

## CAPUT VII.

### De Sacramento matrimonii.

#### §. 207.

#### Conspectus dicendorum.

Sicuti per Ordinem consecrantur spirituales parentes et rectores fidelium, ita per matrimonium sanctificantur vitae corporalis propagatores, ut ex radice sancta Ecclesiae sancta succrescat soboles, populusque christianus augeatur.

Praemissis pro tractationis fundamento nonnullis veritatibus generalioribus, sermonem faciemus de matrimonii praeparatione, celebratione et statu, tamquam totidem matrimonii stadiis, respectu morali, siquidem maxima ex parte materiae illae ad jus canonicum pertinent.

#### A. Doctrinae praeviae.

#### §. 208.

#### De notione, veritate et natura Sacramenti matrimonii.

1. — Matrimonium concipitur dupliciter: 1. quatenus est *actus* seu *in fieri*, et 2. quatenus est *status* seu *in facto esse*.

I. Matrimonium *in fieri* seu qua *actus* spectari potest vel seclusa evangelica lege vel sub evangelica lege. 1) *Seclusa evangelica lege* in non baptizatis *matrimonium est contractus naturalis, quo vir et mulier mutuam suorum corporum potestatem sibi faciunt et ad perpetuam vitae societatem se obligant.* Dicitur *contractus naturalis*, quatenus in natura fundatur, ad finem quem natura appetit, ordi-

natur atque legi naturali subicitur.<sup>1)</sup> Quo contractu conjuges *mutuam suorum corporum potestatem sibi faciunt*, etiamsi postmodum ea potestate numquam usuri sint; quia usus rei, de qua contractitur, non pertinet ad essentiam contractus, nec necesse est, ut qui jus in rem habet, eadem utatur, imo actuali usui libere renuntiare potest; unde sequitur, quod essentia matrimonii non consistit in conjunctione carnali. 2) *Sub evangelica lege in baptizatis matrimonium est contractus matrimonialis a Christo ad dignitatem Sacramenti evectus.*

II. Matrimonium *in facto esse* seu qua *status* e contractu matrimoniali proveniens et permanens, consequenter est 1) vel mere *naturale*, quod etiam *legitimum* vocari solet; quale fuit ante Christi adventum, et adhuc est inter ethnicos et Judaeos, 2) vel *supernaturale*, inter baptizatos.<sup>2)</sup> Et duplex discernitur: ratum et consummatum.

a) *Ratum* est matrimonium contractum inter christianos juxta normam legis divinae et ecclesiasticae, inter quos tamen nondum intercessit copula carnalis. Appellatur ratum, quia cum sit Sacramentum, Ecclesia illud approbat et ratum habet.<sup>3)</sup>

b) *Consummatum* est matrimonium, quod cum fuerit ratum, etiam completum est conjunctione carnali, ita ut conjuges effecti fuerint una caro.

2. — **Assertio I.** Matrimonium a Deo in paradiso institutum, apud Judaeos paulo minoratum, apud gentiles multis sordibus inquinatum, Christus Dominus non tantum purificavit et ad pristinum statum reduxit, sed etiam *ad dignitatem Sacramenti evexit*. Concilium Trid. Sess. 24. de Sacr. matr. can. 1 (praecedente Concilio Florent.

<sup>1)</sup> *Concil. Prov. Burdigal.* a. 1868 cap. 6 n. 2. Collect. Lacen. Tom. IV pag. 826.

<sup>2)</sup> Bellarmin: De matrim. cap. 6, Laymann etc., Perrone: De matr. christiano Tom. I pag. 184—185 Romae 1858 docent, Sacramentum matrimonii non tantum in actu transeunte, sed etiam in statu permanente consistere, ac simile esse ss. Eucharistiae, quae non solum dum fit, sed etiam dum permanet, Sacramentum est. S. Alph.

Lib. VI. n. 879 dicit: „Essentia matrimonii in ratione Sacramenti consistit in contractu inito per mutuum consensum; — in ratione matrimonii proprie dicti consistit in vinculo conjugali, quod nunquam per se solvi potest.“

<sup>3)</sup> Hinc Innocentius III. in c. quanto de divort.: „*Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit.*“

in Decr. pro Armenis) contra protestantes definivit: „*Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.*“ Quam fidei doctrinam innuit s. scriptura Ephes. 5, 32, traditio attestatur, universalis Ecclesiae consensio et praxis confirmat. Consule Theologos dogmaticos.

Porro in eo concurrunt omnia essentialia Sacramenti:

1. *Signum* sacramentale est ipse validus contractus, quo vir et mulier mutuam corporum suorum potestatem sibi faciunt.<sup>1)</sup> Et sicut in quovis contractu res est materia remota, traditio rei est materia proxima, acceptatio autem, per quam traditio fit perfecta et efficax, est forma: ita et in Sacramento matrimonii, corpora contrahentium sunt *materia remota*; traditio corporum, quae fit per verba vel signa consensum exprimentia, est *materia proxima*, et acceptatio traditionis per verba aut signa consensum declarantia est *forma*.<sup>2)</sup>

Suppono certam, imo fidei proximam doctrinam, *Sacramenti hujus ministros esse ipsos contrahentes*. Profecto illi sunt hujus Sacramenti ministri, qui sunt ministri contractus, cum Christus ipsum contractum ad Sacramenti dignitatem evexerit: atqui ipsi contrahentes sunt ministri contractus; ergo sunt etiam ministri Sacramenti. Sunt et alia argumenta compluria, de quibus Dogmatici et Canonistae.<sup>3)</sup>

2. Signum illud sensibile est *efficax gratiae*, prout ex verbis Apostoli Ephes. 5, 21—32 colligitur; nimirum unionem Christi cum Ecclesia, quae est supernaturalis et indivisibilis, perfecte repraesentare, seque invicem amore sancto et supernaturali, qui

<sup>1)</sup> Franzelin: De Sacram. in genere pag. 40. Romae 1868. Schoupe: Elementa Theol. dogm. Tom. II. Tr. de matrim. n. 43. Bruxellis Ed. 7.

<sup>2)</sup> S. Thomas: „In illis Sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, sunt ipsi actus humani loco materiae, ut accidit in poenitentia et matrimonio.“ 3. q. 84 a. 1 ad 1. S. Bonaventura: „*Matrimonii signum est verbum vel nutus explicans consensum. Con-*

*sensus qui matrimonium facit, est consensus in mutuam suorum corporum potestatem. Et hoc sonant verba, cum dicunt: Accipio te in meam, vel meum.*“ In IV Sent. Dist. 26 a. 2 q. 1; Dist. 28 a. 1 q. 6. S. Alph. Lib. VI. n. 897.

<sup>3)</sup> S. Alphonsus: Lib. VI. n. 897—899. Perrone: De matrim. christiano Lib. I. Sect. 1 cap. 2—5. Romae 1858. Schwetz: Theol. dogm. Tom. III §. 156. Viennae 1869.

sit repraesentatio amoris Christi et Ecclesiae, inter omnes vitae vicissitudines diligere, conjuges non possunt absque gratia sanctificante. Ideo *effectus* matrimonii, ut est Sacramentum, est *gratia sanctificans*, non prima, sed secunda (seu gratiae augmentum), quae *naturalem conjugum amorem perficit, et indissolubilem unitatem confirmat, conjugesque sanctificat ac veluti consecrat ad perfecte repraesentandam supernaturalem ac indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia*. Conc. Trid. Sess. 24. de Sacr. matrim., ideoque gratia sanctificans hujus Sacramenti *unitiva* appellari potest. Haec porro gratia adnexum habet jus ad specialia gratiae auxilia suo tempore danda, ut conjuges mutua officia in omnibus vitae circumstantiis adimplere valeant.

3. *Divina institutio* jam exinde deducitur, quod Deus solus potest signo sensibili conjungere gratiam invisibilem. *Quo tempore* Christus matrimonii Sacramentum instituerit, incertum est. Putant alii in nuptiis Canae, alii, cum Christus matrimonii indissolubilitatem stabilivit Matth. 19, 6, alii, post resurrectionem, dum conversabatur cum discipulis, loquens de regno Dei Act. 1, 3.

3. — **Assertio II.** Sacramentum a conjugali fidelium contractu est inseparabile; ideoque ubi non habetur Sacramentum, neque habetur contractus. Prima pars constat ex propos. Nuytz a Pio IX. Brevi die 22. Aug. 1852 proscripta: *Matrimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum benedictione nuptiali situm esse*. Accedit ratio theologica: Christus illud matrimonium, quod Deus constituit ab initio, in dignitatem Sacramenti evexit. Atqui illud matrimonium non fuit nisi contractus; ergo contractus conjugalis inter fideles identificatur cum Sacramento, seu contractus in actu ipso, quo fit, qualitatem Sacramenti induit, ita ut ratio Sacramenti separari nequeat a ratione contractus.<sup>1)</sup> Altera pars sequitur ex dictis; etenim si in conjugio christiano unum idemque essentialiter sit contractus atque Sacramentum, destrui nequit Sacramentum, quin destruat ipse contractus, et

<sup>1)</sup> S. Bonaventura dicit: „*Illud Sacramentum in contractu consistit, qui est personae ad personam.*“ In IV Sent. Dist. 40 a. 1 q. 3. S. Alph. docet: „*Ratio Sacramenti non distin-*

*guitur a ratione contractus, dum communiter dicunt Theologi, contractum matrimonii fuisse a Christo evectum ad rationem Sacramenti.*“ Lib. VI. n. 897.



vice versa. Insuper confirmatur ex Allocutione Pii IX. die 27. Sept. 1852 habita et ex Encycl. Leonis XIII. „Arcanum“ 10. Feb. 1880, in qua edicitur, *omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse Sacramentum, nihilque magis abhorrere a veritate quam esse Sacramentum decus quoddam adjunctum aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitrato queat.* Ideo Concil. Trid. Sess. 24. de Ref. matr. cap. 1 *Tametsi*, eos qui aliter quam praesente parochio etc. matrimonium contrahere attentant, inhabiles reddens ad contrahendum, hoc ipso irritum facit eorum contractum, adeoque et Sacramentum.<sup>1)</sup>

*An ergo christianus, qui vult matrimonium inire, sed non suscipere Sacramentum, valide contrahit?* Videndum est, quaenam ex intentionibus oppositis praevaleat. 1. Si absolute vult *contractum matrimonii validum*, non potest velle efficaciter exclusionem Sacramenti, quod a contractu est inseparabile, ideoque illud non potest non includere. 2. Si absolute vult *exclusionem Sacramenti*, ita ut sub hypothese veritatis Sacramenti nolit contrahere, non potest velle efficaciter contractum, qui non subsistit sine Sacramento; ergo nec contractum efficeret.<sup>2)</sup> In dubio, quaenam intentio praevaluerit, judicandum est in favorem matrimonii; praesumitur enim quisque velle inire contractum validum, nisi probetur contrarium.

4. — Ad dubium: Quid sentiendum sit de matrimonio eorum, qui valide baptizati non sunt; vel de iis, quorum una dumtaxat conjugum pars valide baptizata dignoscitur; quid denique in casu, quo dubium de valide suscepto baptismo tolli nequit? S. C. Inquis. 3. April. 1878 decrevit, *matrimonium eorum, de quibus certe constat, quod valide baptizati non sunt, habendum esse tamquam matrimonium duorum infidelium; matrimonium vero eorum, quorum una dumtaxat pars valide baptizata dignoscitur altera vero invalide, habendum esse tamquam matrimonium affectum impedimento dirimente cultus disparitatis, ac proinde nullum; denique si post diligens et accuratum examen dubium de valide suscepto baptismo tolli nequeat et constet de facto suscepti baptismatis, hujusmodi baptisma validum censendum esse in ordine ad validitatem matrimonii juxta decretum diei 17. Novembris 1830, nempe: Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis; quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.*

<sup>1)</sup> Plura Perrone: De matrim. christ. Lib. I. cap. 6 a. 1.

<sup>2)</sup> Franzelin: De Sacramentis in genere pag. 226. Romae 1868.

## §. 209.

**De consensu ad matrimonii validitatem requisito.**

1. — Concilium Florent. in Decreto pro Armenis docet: „*Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de praesenti expressus.*“ Qui consensus tum in materia tum in forma Sacramenti matrimonii reperitur, sed sub diverso respectu v. §. 208 n. 2, quatenus nempe mutuam corporum traditionem simul atque acceptationem intendit. Consensus vero debet esse:

1. De *praesenti*, ex Conc. Flor. cit., quia per consensum de futuro habetur promissio matrimonii, non ipsum matrimonium.

2. *Internus* seu verus, non fictus, quia nexus et obligatio conjugum oriri nequit ex defectu veri consensus.<sup>1)</sup>

3. *Deliberatus et voluntarius*, quia nemo censetur gravem velle obligationem, qualem matrimonium inducit, sibi imponere, nisi plena deliberatione et libertate. Hinc error in persona, vis et metus gravis injuste incussus ad consensum extorquendum, irritant matrimonium ex jure canonico.

4. *Mutuus*, quia per matrimonium fit mutua corporum traditio et acceptatio.

5. *Externe manifestatus*, quia conventio, qualis est matrimonium, obtineri nequit, nisi verbis aut signis utriusque contractantis voluntas exprimat; praeterea matrimonium prout Sacramentum necessario perfici debet signo sensibili. Quamvis consensus non modo *verbis*, sed aliis etiam *signis* externis exprimi possit sufficienter ad validitatem Sacramenti: regulariter tamen declarari debet verbis formalibus, quia per haec certius manifestatur, et id fert Ecclesiae consuetudo et praescriptio, a qua sine rationabili causa (e. g. ob defectum loquelae) discedere, non vacat peccato veniali.<sup>2)</sup>

2. — Quum matrimonium habeat rationem contractus, ideo declaratio consensus etiam *per procuratorem* fieri potest; atque matrimonium per procuratorem contractum, si aliae non desint conditiones, est verum Sacramentum. Requiritur autem 1. ut mandans tempore, quo procurator consensum declarat, mandatum non revocaverit, 2. ut procurator cum comparte coram parochi et

<sup>1)</sup> Ceterum Ecclesia consensum sufficienter declaratum tamdiu verum esse praesumit, quamdiu contrarium non evidenter probatur.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 887, 888. De variis signis idem s. Doctor n. 889. Acta S. Sedis Vol. VII pag. 66.

testibus compareat, 3. ut procurator per seipsum exsequatur mandatum, nisi expressam et specialem a mandante acceperit facultatem, alium subdelegandi. <sup>1)</sup>

Sed per procuratorem inire matrimonium non licet nisi ex gravi causa; et apud nos prohibitum est, ne parochus matrimonium per procuratorem ineundum admittat, nisi episcopus facultatem expresse concesserit. <sup>2)</sup>

3. — Expendatur oportet, *an sufficiat ad matrimonii valorem consensus sub conditione datus?*

Conditio generatim hic dicitur eventus incertus, contractui appositus, a quo ipsius effectus suspenditur. Conditio potest esse *a) de praeterito de praesenti, de futuro*, prouti eventus ignoratus jam contigit, vel modo existit, vel adhuc exspectatur; — *b) possibilis vel impossibilis*, prout eventus contingere potest vel non potest sive physice sive moraliter. Impossibilis etiam *inhonesta* seu *turpis* conditio reputatur. His praemissis

.Dico 1. Si conditio est *de praeterito* vel *de praesenti*, matrimonium est validum vel irritum, prout conditio jam impleta est vel non. Si conditio est *de futuro*, matrimonium suspenditur, usquedum conditio impleatur, qua impleta matrimonium valet, quia consensus conditionatus transit in absolutum; conditione autem non impleta consensus dati effectus cessat.

Dico 2. Si conditio est *turpis* et simul *repugnat matrimonii substantiae*, nempe triplici ejus bono: *a) bono Sacramenti, b) bono fidei conjugalis, c) bono prolis*, irritus est consensus, ideoque matrimonium nullum, prout e. g. si dicatur: *contraho tecum, donec aliam inveniam*, — vel si *velis victum comparare adulterio*, — vel si *generationem impedias*; nam prima conditio repugnat bono Sacramenti, altera bono fidei, tertia bono prolis. <sup>3)</sup> Quodsi conditio est *turpis*, sed *non repugnat matrimonii substantiae*, tunc pro foro externo pro non adjecta habenda est, quia non supponitur, quod quis ad impossibilia seu inhonesta se velit vere obligare; in foro autem interno, si sponsi nollent vere contrahere nisi verificata tali conditione, matrimonium esset invalidum. In dubio standum est pro valore matrimonii. <sup>4)</sup>

Quoad validitatem matrimonii a Graecis schismaticis vel protestantibus contracti, qui non admittunt ejus indissolubilitatem, sic distinguendum: *aut*

<sup>1)</sup> Vid. S. Alph. Lib. VI. n. 885.

<sup>2)</sup> Instruct. pro judiciis eccl. quoad causas matrim. §. 50.

<sup>3)</sup> S. Congr. Off. die 1. Aug. 1748 duo matrimonia in Transsylvania

inter Calvinistas contracta sub conditione: *quamdiu permanseris in honestate conjugali* vel *si fidem thori servaveris*, nulla prorsus esse declaravit.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 891.

facultas dissolvendi nuptias deducta fuit in pactum, *aut* non. Si *prius*, irritum est matrimonium, quia conditio adversatur substantiae matrimonii. Si *posterius*, valet matrimonium non obstante eorum errore; praesumitur enim, eos juxta naturam contractus, qualis fuit a Deo institutus, contrahere voluisse. Ita constanter Romanae Congregationes.<sup>1)</sup>

Pendente conditione contrahentes exspectare debent conditionis impletionem. Impleta conditione ex mente s. Alphonsi<sup>2)</sup> *novus consensus non requiritur*; quia matrimonium habet rationem contractus: omnis autem contractus, impleta conditione, sine novo consensu perficitur.

Qui ante impletam conditionem *matrimonium consummat*, eo ipso conditioni renuntiat. Qui alias *nuptias init*, illicite quidem, sed valide matrimonium contrahit, quia prius matrimonium vere non subsistit, sed aequiparatur sponsalibus.

Sed nonnisi ex urgentissima causa licitum est cum consensu conditionato matrimonium inire, ob plura incommoda, quae ex tali contrahendi modo facile subsequi possunt.<sup>3)</sup> Imo apud nos, *ut consensus sub conditione detur, non nisi ex expressa episcopi licentia admitti potest.*<sup>4)</sup>

## §. 210.

### Matrimonii proprietates.

1. — I. *Unitas matrimonii*. Prohibitum est ex jure divino, plures simul habere uxores. De fide, ex Conc. Trid. Sess. 24. can. 2. Porro pluralitas uxorum repugnat sacramentali significationi matrimonii, cum non possit repraesentare unionem unius Christi cum una ejus sponsa Ecclesia.

*Polyandria* et *polygamia simultanea* sunt *intrinsece malae*, prior *absolute*, quia nunquam non repugnat ordini recto, si quidem „ei non est multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis“,<sup>5)</sup> quapropter nec a Deo unquam permitti potest; posterior *conditionate*, quia etsi non implediat prolium generationem, tamen laedit jus divinum, quatenus Deus, qui solus possidet dominium in corpora humana, non aliter concessit corporum potestatem in usum gene-

<sup>1)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. XIII. cap. 22. n. 3—9. Craisson: Manuale juris canon. Tom. III n. 4089. Ed. 3.

<sup>2)</sup> Lib. VI. n. 895.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 892.

<sup>4)</sup> Instruct. pro judic. matrim. §. 55.

<sup>5)</sup> S. Augustin. De nuptiis et concupiscentiis Lib. I n. 10. Vid. etiam op. de bono conjug. n. 20.

rationis, nisi per vinculum unius cum una (*erunt duo in carne una* Gen. 2, 24, Matth. 19, 5) tum ob pacem familiae tum ad significandam unionem Christi unius cum una Ecclesia; <sup>1)</sup> ideoque tantum conditione posita, quod Deus pro absoluto suo dominio de juribus omnium juxta sapientiae suae consilium permittit, <sup>2)</sup> plures licet uxores ducere; et hoc quidem Deus speciali revelatione Patriarchis, et in antiqua lege permisit. <sup>3)</sup> Sed haec permissio omnino cessavit in nova lege; quam ob rem infidelis, qui plures uxores duxerat, quum ad Baptismum admitti velit, ceteras omnes relinquere, ac priorem tantum valide acceptam justae et legitimae uxoris loco habere debet. <sup>4)</sup>

De iis, quae dicuntur *intrinsece mala, absolute et conditionate* v. Lib. I. §. 23.

2. — II. *Indissolubilitas* seu *perpetuitas* (ex Encycl. „Arcanum“ <sup>4)</sup> *matrimonii*. Matrimonium rite contractum de se est indissolubile, ex jure divino, *propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae*, juxta verba Concilii Florent. Est doctrina fidei, ex eodem Conc. atque Trid. Sess. 24.

Imo etiam ex jure naturae indissolubile est. Sententia contraria: *Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile*, merito condemnata est a Pio IX. in Syllabo n. 67. Etenim Deus, qui est auctor matrimonii, non dedit homini potestatem aliter transferendi jus in corpus suum quoad actum generationis (Matth. 19: Christus, postquam dixerat, ab initio sic ordinatum esse a Deo, ut sint duo in carne una, statim subdit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*); quare non est homini facultas dissolvendi matrimonium et corpus suum tradendi alteri; sique quis faceret, peccaret contra jus naturae non secus, ac si disponit de re aliena invito rationaliter domino. <sup>5)</sup> Permisit Deus Judaeis ob cordis duritiam libellum repudii, quo juxta sententiam communiorem <sup>6)</sup> vere solutum est

<sup>1)</sup> S. Thom.: In IV Sent Dist. 33 q. 1 a. 1 c.

<sup>2)</sup> Non deerat significatio mystica, secundum s. Augustinum: De bono conjug. n. 21 dicentem: „*Plures uxores antiquorum patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo.*“

<sup>3)</sup> Innocentius III. c. *Gaudemus*, de divort., cum dixisset, nulli

unquam licuisse plures simul habere uxores, addit: *nisi cui fuit divina revelatione concessum, per quam Patriarchae et alii viri justii, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.*

<sup>4)</sup> Catech. Rom. P. II cap. 8 q. 19.

<sup>5)</sup> Reuter: P. IV de matrim. n. 516.

<sup>6)</sup> Vid. Perrone: De matrim. christiano Tom. III Sect. 2 cap. 1 a. 2.

matrimonium;<sup>1)</sup> at vero Christus matrimonii vinculum ad suum primaevum statum indissolubilitatis redegit, *non nova lege condita, sed duntaxat sublata veteri indulgentia*, ut loquitur Benedictus XIV. Const. *Apostolici ministerii* 16. Sept. 1747.

3. — Diversi tamen sunt gradus indissolubilitatis matrimonio inhaerentis:

1. Matrimonium *consummatum fidelium* non dissolvitur nec solvi potest nisi per unius conjugis mortem.

2. Matrimonium fidelium *ratum et non consummatum* ex se indissolubile, tantum dirimitur a) per professionem religiosam ex speciali privilegio a Christo concesso et ab Ecclesia declarato, Conc. Trid. Sess. 24. can. 6; et b) per dispensationem Romani Pontificis ex potestate ipsi divinitus concessa, ex gravissimis causis. Pius IX. in *Brevi Verbis exprimere*, die 15. Aug. 1859.

3. Matrimonium *infidelium*, si *uterque conjux* convertitur, *per Baptismum fit ratum*, et indissolubile omnino, si sit *consummatum* post Baptismum; alias Papa ex urgentissima causa in eo dispensare potest.<sup>2)</sup>

Matrimonium *infidelium*, si *alteruter* conjugum ad fidem christianam convertitur, etiam *consummatum* dissolvi potest ex privilegio divino per Apostolum 1 Cor. 7, 15 promulgato, quando alter recusat cum eo pacifice cohabitare, — vel non cohabitavit, nisi cum *injuria Creatoris* et religionis christianae contemptu, — vel pertrahere vult fidelem ad peccatum mortale, ex cap. *Quanto de divortiis*, et constanti Ecclesiae praxi. Matrimonium autem non solvitur, nisi eo momento, quo alterum contrahitur cum conjuge fidei et baptizato, S. Congr. Conc. 17. Julii 1726. Porro ad alias nuptias fidelis conjux transire nequit, nisi prius conjux infidelis *interpellationi*, an christianam religionem amplecti aut cohabitare saltem velit cum fidei sine contumelia Creatoris, negative responderit. Quodsi interpellatio locum habere nequeat, quia e. g.

<sup>1)</sup> Nec hoc mysterio vacabat, ut scite Reuter l. c. n. 517 observat. Significabatur enim, quod Christus esset repudiaturus Synagogam, et loco ejus indissolubiliter desponsandus Ecclesiae suae.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 956 et n. 897 Prob. 1, ubi dicit: „Licet con-

jugia infidelium natura sua etiam indissolubilia sint, tamen accedente aliqua urgente causa, adhuc post conversionem ad fidem aliquando solvi possunt (modo non fuerint consummata post conversionem,) a Papa, ex Decreto Urbani VIII et fuse defendit Benedictus XIV.“ etc.

ignoratur ubi sit infidelis, dispensatio Pontificia ab hac interpellatione necessaria est. S. Pius V. *Romani Pontificis* 2. Aug. 1571, Gregorius XIII. *Populis et nationibus* 25. Junii 1585.

## C a s u s.

4. — *Caja deserens maritum suum Pontium, deseruit simul fidem veram, deficiendo ad nihilismum religionis, nullius quippe confessionis religiosae sese publice declaravit in favorem cujusdam Judaei, cum quo jam prius rem lubricam habuit, et cui subinde in aliena terra nubuit. Hoc tamen Judaeo mortuo, flagitiorum poenitens suorum revertitur ad pristinum virum, qui vero eam rejicit, aliis interim nuptiis celebratis, quum jamjam mortuam putaverit conjugem suam. Quaeritur: An Pontius dimittere debeat conjugem posteriorem et recipere priorem?*

Resp. Debet dimittere conjugem posteriorem, namque persistit vinculum matrimonii, a Pontio cum Caja initi, utpote non diremtum a) per defectionem Cajae a fide, nec b) per malitiosam desertionem, neque c) per ejus adulterium. Quae omnia constant ex Conc. Trid. Sess. 24. can. 5 et 7. Nihil denique refert, quod Pontius putaverat jam mortuam conjugem suam; per veram enim mortem, non putativam, unius conjugis dissolvitur matrimonium. <sup>1)</sup> Concedendum tamen, quod ille sine peccato contraxisset cum alia, si moraliter certus fuisset de morte suae uxoris legitimae. Unde simul habetur, quod Pontius, si a posteriori conjugem separari nollet, a Sacramentis arcendus esset.

*An vero Pontius stricte tenetur Cajam, conjugem priorem suscipere, et cum ea cohabitare?* Neg., quia praesto sunt causae justae separationis a toro et mensa; attamen urgendus est ad ignoscendum uxori suae poenitenti, imo et adhortandus ad vitae consortium cum illa redintegrandum, suadente caritate, tum ad suum tum ad uxoris bonum. Vide infra *de divortio*.

5. — *Sempronius abjurato Judaismo fidem cum Baptismate suscepit; fatetur tamen se tempore infidelitatis dimisisse uxorem suam per libellum repudii, aliamque duxisse pariter Judaeam. Interrogat proinde: 1. Quid sibi de prioribus matrimoniis tenendum? et 2. an secunda conjugem modo repudiata possit ducere christianam, quam sibi jamjam desponsaverat?*

Resp. ad 1. Matrimonium Sempronii cum prima conjugem fuit validum tamquam contractus naturalis §. 208 n. 1, nisi obstiterit impedimentum juris naturalis vel adjectio conditionis repugnantis substantiae matrimonii §. 209 n. 3. Quo supposito invalidum fuit matrimonium cum secunda femina attentatum, quandoquidem privilegium repudii abrogatum est a Christo Domino. <sup>2)</sup> Excusari a peccato poterat Sempronius adhaerendo secundae uxori, per invincibilem ignorantiam de privilegii cessatione.

<sup>1)</sup> Vid. Kutschker: Das Ehe-recht der kath. Kirche B. I §. 34 et seq, ubi declarationes Sedis Apostolicae in casibus particularibus.

<sup>2)</sup> Observat Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. VI. cap. 4 n. 6, severe esse prohibitum, *ne maritus Hebraeus ad fidem conversus mittat ad*

*uxorem in sua persistentem infidelitate libellum repudii, juxta ritum Judaicum, ut hac ratione det illi libertatem transeundi ad alia vota.* Quem „detestabilem usum, Judaica superstitione infectum“ idem P. M. in sua Const. Apostolici ministerii 16. Sept. 1747 proscripsit.

Resp. ad 2. Sempronius interpellare debet primam conjugem modo n. 3 exposito. Si conjux facta interpellatione cohabitare renuat, vel si dispensatio Sedis Apostolicae ab interpellatione ob ejus impossibilitatem obtenta fuerit, potest Sempronius puellam christianam ducere.<sup>1)</sup>

### §. 211.

#### **Praestantia matrimonii, quatenus est contractus naturalis, et quatenus est Sacramentum.**

1. — Matrimonium seclusa etiam evangelica lege est aliquid sanctum, pertinens ad religionem: 1. ratione *institutionis*, quia Deum ipsum habet auctorem<sup>2)</sup> Gen. 2, 24, Matth. 19, 4—6; — porro 2. ratione *finis*, qui est propagatio generis humani Gen. 1, 28 ad augendum Dei cultum et honorem, ita ut „conjuges summi Creatoris Dei efficiantur quasi cooperatores et participes, ad multiplicandas creaturas, quae ipsius imaginem referentes ipsimet serviant; <sup>3)</sup> — denique 3. ratione *mysterii*, quia matrimonium etiam naturale praesignat unionem Christi cum Ecclesia,<sup>4)</sup> quamvis non ita perfecte, ut Sacramentum matrimonii, id quod ex infra n. 2 dicendis facile erit perspicere. In Encycl. *Arcanum* dicit Leo XIII.: „Cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum.“ — Res sacra et religiosa matrimonium apud omnes gentes habitum est, quare non solum apud Judaeos, quibus leges conjugii Deus per Moysen dedit, sed etiam apud gentes barbaras nuptiae cum ritibus et caeremoniis religiosis celebratae sunt.

<sup>1)</sup> Vid. Elbel: De matr. Conf. XV n. 373, 374.

<sup>2)</sup> Qui illud instituit *interius illustrando* Adamum. S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 26 a. 1 q. 2.

<sup>3)</sup> *Conc. Prov. Burdigal.* a. 1868 cap. 6 n. II. Collectio Lac. Tom. IV pag. 827.

<sup>4)</sup> Hinc a ss. Patribus ea matrimonia, quae ante legem evangelicam iniri solebant, *Sacramenta* lato quodam

sensu appellata sunt, eoque nomine ipsa infidelium matrimonia honestata fuisse legimus. Sic Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divort. haec habet: „Cum Sacramentum conjugii apud fideles et infideles existat.“ — Matrimonium Adae et aliorum ante Christum fuit *typus futurae unionis Christi et Ecclesiae*; matrimonium fidelium novae legis post Christum est *signum perfectissimum ejusdem unionis jam factae*.  
Corn. a Lap.



Quae cum ita sint, matrimonium, etiamsi praescindendo a Sacramento tamquam contractus naturalis spectetur, summopere differt ab aliis contractibus, et *sui generis* dici debet.<sup>1)</sup>

2. — Si matrimonium tamquam contractus naturalis plurimum excedit ceteros contractus quoscunque, rursus matrimonium, prout est Sacramentum, immense praestat conjugio naturali: 1. ratione *institutionis*, quia Christus Dominus, Verbum incarnatum, per se ipsum illud instituere atque gratiam, quae in eo confertur, sua passione promerere dignabatur; — 2. ratione *finis*, qui est Ecclesiam filiis, coelum sanctis augere; — 3. ratione *mysterii*, quia est signum perfectissimum unionis Christi cum Ecclesia; Sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia Ephes. 5, 32. Videlicet, quatenus est *ratum*, per supernaturalem conjugum amorem et animarum conjunctionem signat unionem spiritualem, qua Christus cum Ecclesia copulatur supernaturaliter per gratiam et caritatem; quatenus est *consummatum*, quo duo facti sunt in carne una, repraesentat unionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem.<sup>2)</sup> Porro Christus reliquit Deum Patrem Joan. 16, 28 et matrem, Synagogam dico Jer. 12, 2, et adhaeret Ecclesiae Matth. 28, 20; et homo relinquit patrem et matrem, et adhaeret uxori Ephes. 5, 31.<sup>3)</sup> Insuper matrimonium christianum signat triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, scilicet *unitur uni*, et *ex ea filios generat*, et *numquam ab ea separatur*.<sup>4)</sup> Minus perfecte matrimonium infidelium repraesentat unionem Christi cum Ecclesia, tum quia eorum conjunctio est tantum naturalis per amorem naturalem, tum quia non ita firma est, ut fortiori vinculo (per Baptismi susceptionem) non possit ligari.<sup>5)</sup> — Praestat matrimonium qua Sacramentum conjugio naturali potissimum 4. ratione *effectus*, qui est gratia sanctificans, coll. §. 208 n. 2. Ideoque maxime *est honorabile in omnibus* Hebr. 13, 4.

<sup>1)</sup> *Concil. Burdigal.* supra cit. n. III.

<sup>2)</sup> Vid. Cornelius a Lap. in ep. Ephes. 5, 32. Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. XIII. cap. 21 n. 4. Site ss. Patribus unus pro ceteris s. Greg. M. dicens: „*In hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis Virginis, hujus sponsi thalamus fuit.*“ Lib. II. Hom. 38 n. 3.

<sup>3)</sup> S. Thom. in ep. Ephes. c. 5 Lectio 10. S. Chrys.: Hom. 20 in ep. ad Eph.

<sup>4)</sup> S. Bonaventura: In IV Sent. Dist. 31 a. 1 q. 2. S. Chrysost.: Hom. 12 in ep. ad Coloss.

<sup>5)</sup> S. Bonaventura: „*Matrimonium apud infideles non habet plenam significationem.*“ Dist. 29 a. 2 q. 1.

3. — **Conclusio.** Ex Concilio Prov. Burdigalensis a. 1868 cap. 6 n. III: „Errant igitur toto coelo, et infra gentiles ipsos se miserabiliter deprimunt isti omnes, qui sub fallaci libertatis aut independentiae praetextu, impia cupiditate abrepti omnia, ut ajunt, saecularizandi, matrimonium e sede honoris, quam ipsi Deus assignavit, deturbare ac inter ceteros contractus vulgares relegare omnino conantur, in manifestam morum perniciem gravissimumque societatis domesticae ac civilis detrimentum, maxime autem in contemptum et injuriam legis evangelicae et ecclesiasticae ordinationis.“<sup>1)</sup>

### B. Matrimonii praeparatio.

Haec sita est in sponsalibus, matrimonii denuntiatione seu proclamatione, impedimentorum si adsint legitima remotione, et sponsorum dispositione.

#### §. 212.

### De sponsalibus.

1. — Sponsalia matrimonio praemittuntur, non ut valide contrahatur, sed ut debite „initietur“ matrimonium. Vix enim fortunatae erunt nuptiae inani levitate vel caeco libidinis impetu celebratae. Sunt autem *sponsalia* (a *spondendo* sibi futuram uxorem dicta) *futuri matrimonii promissio*.

Ad eorum validitatem requiritur:

1. *promissio*, nec sufficit simplex nubendi propositum, ut si quis e. g. dicat: *volo te ducere uxorem*.

2. *Promissio interna*, ex animo facta. Qui *ficte* promisit matrimonium, damna iniquae deceptionis, si quae evenerint, resarcire, non autem matrimonium inire tenetur, nisi intervenerit defloratio v. Lib. II. §. 154 n. 2. Sed in foro externo eo usque habendus est ligatus a sponsalibus, donec suam fictionem sufficienter probaverit.

3. *Promissio deliberata*, scilicet cum advertentia requisita ad peccatum mortale. Hinc nulla sunt sponsalia inita a furiosis vel semifatuis, inita ex dolo vel errore circa substantiam vel conditionem substantialem, et *probabilius* etiam illa, quae contracta sunt ex metu gravi.

<sup>1)</sup> Collectio Lacens. 1873. Tom. IV pag. 827.

4. Promissio *mutua* seu ex utraque parte facta; quare si Titius matrimonium promittit Berthae et haec promissionem acceptat, quin repromittat, sponsalia non sunt.

5. Promissio *externae manifestata*, verbis, literis, nutibus. Requiritur et sufficiunt ea verba vel signa, quae juxta usum loquendi vel loci consuetudinem veram matrimonii promissionem significant e. g. *promitto tibi matrimonium, — tu sis futura mea uxor; — sub fide mea te ducam.*<sup>1)</sup>

Annuli in digitum immissio vel munerum oblatio non sufficiunt ad sponsalia S. C. C. 27. Nov. 1858, nisi forte ex patriae more vel praevio sponsalium tractatu aliud conjiciatur.

Quando verba vel signa sunt dubia, *in foro conscientiae* attendi debet intentio contrahentium, *in foro externo* standum est pro libertate S. C. C. 5. April. 1851.

6. Promissio *inter personas habiles*, quae nimirum nullo detinentur impedimento, e. g. voto simplici castitatis perpetuae, ingrediendi Ordinem religiosum etc.

*An valeant sponsalia inter ligatos impedimento dirimente sub conditione, si Papa dispensaverit*, controvertitur. Juxta s. Alphonsum<sup>2)</sup> aliosque plures hujusmodi sponsalia, impleta conditione sunt valida sine novo consensu, et interim obligant ad exspectandum conditionis eventum.<sup>3)</sup>

7. Promissio *matrimonii futuri*; si enim contrahentes loco futuri matrimonii sibi in praesenti spondeant fidem conjugalem clandestine (sine parcho et testibus), in loco, ubi Concilii Trid. Decretum *Tametsi* non est promulgatum, validum quamvis illicitum contrahunt matrimonium; in loco ubi istud Decretum est promulgatum, nec matrimonium neque sponsalia conficiunt, ut saepe declaravit S. Congr. Concilii,<sup>4)</sup> quia Conc. Trid. sponsos ad sic contrahendum *omnino inhabiles* reddit.

<sup>1)</sup> Dubia sunt verba: *Non ducam aliam uxorem nisi te*, nisi ex circumstantiis aliud deducatur. Quae s. Alphonsi Lib. VI. n. 842 sententia robur accepit ex resp. S. C. C. 1. Junii 1799 ad dubium hoc propositum.

<sup>2)</sup> Vid. Lib. VI. n. 843 et 859, coll. Lib. IV. n. 650.

<sup>3)</sup> Nec obstare videtur, quod S. C. C. constanter edixit, hujusmodi

sponsalia *non sustineri*; nam aliud est sponsalia non esse valida, aliud, eadem non posse sustineri e. g. ob scandala, timorem infausti matrimonii etc. Vid. Vecchiotti: De matrim. pag. 39—47. Taurini 1868. — Contrarium tenet e. g. Aichner-Friedle: Comp. Juris eccl. §. 159. Brixinae 1900.

<sup>4)</sup> Vid. Kutschker: Das Ehe-recht etc. B. II S. 8 etc.

2. — Ex promissione sponsalitia sequitur duplex obligatio vi legis naturalis: 1. *Gravis obligatio contrahendi matrimonium* cum femina desponsata, tempore praefixo vel eo non determinato statim ac commode fieri potest, nisi pars altera dilationi consentiat. <sup>1)</sup> 2. *Gravis obligatio non transeundi ad alia sponsalia*, quae si fiunt, nulla sunt et irrita, quamvis jurejurando firmata, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Qui cum duabus feminis sponsalia contraxit et *cum secunda turpiter peccavit*, primam ducere debet, quia secunda sponsalia erant de re illicita, ideoque irrita. Aequitati tamen congruit, ut prima sponsa renuntiet juri suo ob infamiam alteri timendam, praesertim si prolem conceperit. <sup>2)</sup>

Ex jure canonico sponsalia valide confecta secum trahunt impedimentum dirimens *publicae honestatis*, vi cujus irritum esset matrimonium sponsi cum matre, filia aut sorore sponsae, et vicissim sponsae cum patre, filio aut fratre sponsi.

3. — Sponsalia dissolvi possunt:

I. *Mutuo consensu*, licet jurejurando firmata sint. Attamen sine rationabili causa talis solutio facta non caret culpa veniali. <sup>3)</sup>

II. *Absque mutuo consensu* ex multis causis, nempe 1. per justam dissensionem parentum, sub quorum potestate constituti sunt sponsi, v. infra §. 218 n. 1. Porro 2. per professionem religiosam aut Ordinis sacri susceptionem; item per votum simplex castitatis vel ingrediendi religionem vel suscipiendi Ordines sacros. 3. Per matrimonium cum alia persona valide etsi illicite initum, quia supervenit impedimentum ligaminis; ex parte tamen contrahente manet obligatio, parti alteri damnum resarciendi. 4. Per impedimentum matrimonii superveniens, quia non exstat obligatio ad id, quod fieri nequit. 5. Per talem status mutationem, quae supervenit vel detegitur sponsalibus contractis, ut illa cognita matrimonium non fuisset promissum. 6. Per violationem fidei sponso debitae, item per haeresim, schisma, apostasiam unius partis. 7. Per discessum vel diuturnam absentiam unius

---

<sup>1)</sup> Judex autem non debet cogere partem renuentem ad ineundum matrimonium, ubi scandala aliave mala ex tali matrimonio timentur. Hinc cap. 17 *Requisivit* dicitur: „*Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius*

*quam cogenda* (sponsa), *cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*“ Vid. Instr. nostra §. 109.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 848.

<sup>3)</sup> Idem n. 855.

inscia aut invita altera parte.<sup>1)</sup> Denique 8. obligatio standi promissis per contractum sponsalium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore; tenetur vero pars, cujus culpa forte illae circumstantiae exortae sint, ad reparandum alteri damnum, quod ipsi frustrata exspectatione illatum est.<sup>2)</sup>

Generatim qui a sponsalibus absque legitima causa resilit, nec non qui legitimam resiliendi causam vel celaverit vel sua culpa adduxerit, tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adjunctis damnum, quod resiliendo ipsi infertur.<sup>3)</sup>

*An ad sponsalia solvenda requiritur auctoritas judicis?* Puta, judicis ecclesiastici, quia merito damnata est in Syllabo prop. 74: *Causae matrimonialis et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.* Resp. 1. Si causa ita sit comparata, ut certo et absque scandalo dissolutionem afferat, nulla opus est judicis interventione. 2. Si vero sponsalia sint publica et absque scandalo privatim dimitti nequeant, vel si causa sit dubia in jure aut in facto, judicis auctoritas et sententia requiritur.<sup>4)</sup>

4. — **Observationes practicae.** 1. Moneat confessarius data occasione adolescentulas, ne falsis pollicitationibus aurem praebeant et nuptiarum spe deceptae in libidinum laqueos inducantur.<sup>5)</sup> 2. Parochi et confessarii fideles a sponsalibus *clanculo* ineundis graviter dehortentur. Scriptis exaratis vel saltem coram duobus sive tribus testibus fiant. Quamvis enim *sponsalia clandestina* coram Deo valida sint,<sup>6)</sup> multa tamen sunt mala et magna animarum pericula, quae ex sponsalium clandestinitate oriri noscuntur.<sup>7)</sup>

## §. 213.

### De proclamationibus nuptiarum.

1. — I. *Obligatio parochi.* Quamvis ex jure canonico nuptiarum proclamationes, qui *banni* etiam dicuntur, non requirantur ad

<sup>1)</sup> De his omnibus vid. s. Alph.: Lib. VI. n. 855 – 877.

<sup>2)</sup> Instruct. pro jud. eccl. imperii Austr. quoad causas matrim. §. 10.

<sup>3)</sup> Eadem §. 9.

<sup>4)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 878. Ferrari: Summa Instit. can. Tom. II

Theologia moralis III.

n. 357. Vecchiotti: De matrim. §. 26.

<sup>5)</sup> Conc. Prov. Vienn. a. 1858. Tit. III cap. 11.

<sup>6)</sup> Ita pluries declaravit S. C. C. Vid. Benedict. XIV De Syn. Lib. XII. cap. 5.

<sup>7)</sup> Conc. Prov. Vienn. l. c. cap. 12.

matrimonii validitatem: tamen ex praecepto Ecclesiae fieri debent (Conc. Later. IV., Trid. Sess. 24. cap. 1 de Ref.), ideo praesertim, ut detegantur, si forte exstent, matrimonii impedimenta. Quae obligatio est gravis, quia agitur de re gravi ob finem magni momenti; nec excusatur parochus sciens, certo nullum matrimonio celebrando subesse impedimentum, ut colligitur ex dictis Lib. I. §. 69 n. 2. Probabiliter autem parochus graviter non peccat, si unam tantum proclamationem sine episcopi licentia omittat.<sup>1)</sup>

Potest autem ab hac lege ex justa causa, imo etiam debet ex causa valde urgente dispensare episcopus (Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1) vel ejus Vicarius generalis.<sup>2)</sup> Ab omnibus proclamationibus dispensare episcopos vetuit Benedictus XIV Bulla *Nimiam licentiam* 18. Maji 1743, *nisi urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa*; qualis e. g. est, si alter sponsorum versetur in articulo mortis, et proles sit legitimanda, vel scandalum reparandum, si duae personae in loco domicilii passim pro conjugibus habentur.

Prudenter vero Instructio nostra pro jud. eccl. circa causas matrim. §. 85 praescribit: *Nupturientes, quibus proclamationes penitus remittuntur, nunquam non tenentur, coram parcho, cui copulationem peragere competit, jurejurando firmare, quod nullum eis impedimentum conjunctioni suae obstans notum sit.*

De tempore, loco et forma proclamationis vid. Rituale, et Instr. §§. 60—65.

2. — II. *Obligatio fidelium.* Tum ex fine et praecepto bannorum, tum ex praecepto religionis ad prospiciendum dignitati Sacramenti, tum ex praecepto caritatis ad consulendum bono spirituali proximi. omnis fidelis, cui impedimentum quodcumque notum est, ad revelandum istud obligatus existit. Nec excipitur, quia *solus* scit impedimentum vel nequit probare; inserviet enim ad impedimentum investigandum.<sup>3)</sup> Item qui novit *sub secreto* et *juramento*; quia secretum etiam promissum et juratum non obligat, quando communitati vel tertiae personae damnum imminet; sed tunc ille prius, etiam iterato, monere debet obnoxium impedimento, ut a matrimonio desistat; nisi probabiliter non sit profutura monitio vel periculum sit in mora.<sup>4)</sup> Non autem subsistit obligatio revelandi impedimentum cum gravi proprio incommodo, quia nec lex Ecclesiae nec caritas obligat cum tanto incommodo.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 990.

<sup>4)</sup> Idem n. 994.

<sup>2)</sup> Idem n. 1004—1007.

<sup>5)</sup> S. Alph. n. 995.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 995.

Parochus impedimento ab aliis sibi denunciato nuptias interdicere, remque ad Ordinarium deferre debet. Porro unius quoque denuntiatio fide digna sufficit, ut matrimonium impediatur.<sup>1)</sup>

3. — **Conclusio practica.** Cum plura exstent impedimenta canonica, quibus irrita vel illicita reddantur christianorum matrimonia, de his, quantum prudentia permiserit, doceant populum sibi commissum parochi.<sup>2)</sup> Quomodo enim denunciare poterit impedimenta, quae numquam est edoctus?

#### C a s u s.

4. — *Secunda jam proclamatio matrimonii ineundi Cajum inter et Benignam facta est. Scit Bertha, quod Cajus rem habuit cum sorore Benignae, praesentis suae sponsae; attamen anceps haeret, an debeat vel possit id parochi manifestare, tum quia sola hoc cognitum habet, tum eo praesertim, quod soror sponsae ipsi sub secreto promisso id revelaverit. Quapropter consulit confessarium. Quid igitur hic respondebit?*

Resp. Cum Bertha sciat impedimentum cum infamia conjunctum, debet servato ordine caritatis prius monere Cajum, ut desistat a matrimonio, alioquin se satisfacturam suae conscientiae denunciando impedimentum. Huic monitioni si non acquiescat, manifestare debet parochi. Nec obstat secretum naturale, ac simul promissum, nec si esset juratum coll. n. 2. Posset etiam Cajo amice suadere, ut ipse rem aperiat parochi, qui media suggeret pro impetranda dispensatione. Non excusatur a denunciando impedimento ideo, quia sola hoc scit; siquidem ad impedimendum matrimonium nondum contractum sufficit unus testis, ut pariter n. 2 dictum est.

#### §. 214.

### De impedimentorum remotione.

1. — Parochus tenetur sub gravi, cum aliquod celebrandum est matrimonium, investigare diligenter, utrum aliquod subsit impedimentum.<sup>3)</sup> Sponsi vicissim legitime interrogati de impedimento occulto, tenentur illud fateri vel a matrimonia abstinere.<sup>4)</sup> Dubitans, an subsistat impedimentum, inquirere tenetur, ne ignorantia fiat culpabilis.

Quaenam impedimenta matrimonium invalidum vel saltem illicitum reddant, jus canonicum exponit.

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 996.

<sup>3)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 18 n. 57

<sup>2)</sup> *Conc. Prov. Aquensis* a. 1850 in fine.

Tit. VII cap. 8 n. 4. (Coll. Lacens. Tom. IV pag. 993.) *Catech. Rom.* P. II. cap. 8 q. 30.

<sup>4)</sup> Idem Lib. VI. n. 1000.

Legibus etiam civilibus, quae certis in casibus prohibent matrimonium, obtemperandum est, ne matrimonium effectibus civilibus careat. Qua de re facit monitum Pii VIII., quod dabat episcopis quoad matrimonia mixta: *Sic agite, sicque a vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant catholicos sacerdotes non alio quam officii sui implendi spiritu animari, ut in iis quae religionis sunt, Ecclesiae regulae servant; ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regiae leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant.*<sup>1)</sup>

2. — Si impedimentum aliquod dirimens occurrat, sponso a capto consilio desistere decet, cum suprema potestas has leges ex gravissimis rationibus tulerit. Attamen ubi impedimentum tale est, *a quo dispensari potest et solet*, ii quibus *causa gravis* suffragari videtur, dispensationem debito modo efflagitare poterunt.

I. Quod attinet impedimenta, *a) indispensabilia* sunt, quae ex jure naturali vel divino dirimunt matrimonium, scilicet aetas carens usu rationis, — error circa personam, — vis et metus, — impotentia, — consanguinitas in linea recta (inter patrem et filiam, avum et neptim etc.), — ligamen matrimonio consummato.

*b) Non quidem absolute indispensabilia, a quibus tamen numquam dispensari solet*, sunt consanguinitas in linea collateralis primi gradus i. e. inter fratrem et sororem,<sup>2)</sup> — affinitas in primo gradu lineae rectae i. e. inter vitricum et privignam, novercam et privignum<sup>3)</sup> (Stiefvater und Stieftochter, Stiefmutter und Stiefsohn), — impedimentum criminis publici occisione conjugis secuta, sive utroque sive uno tantum morte machinante, — impedimentum clandestinitatis in locis, ubi Conc. Trid. est promulgatum.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Conc. Prov. Aquensis a. 1850 Tit. VII cap. 5 n. 5: „*Curent pariter (parochi), ut ea servantur, quae a potestate civili praescripta sunt, ne matrimonium effectibus civilibus careat.*“ Item Conc. Prov. Remensis a. 1849 Tit. XI cap. 2. Concil. Prov. Burdig. a. 1868 cap. 6 n. 6.

<sup>2)</sup> Imo hoc impedimentum a multis tamquam juris naturalis habetur. Benedictus XIV. Const. Aestas anni §. 13 n. 1757.

<sup>3)</sup> Hoc impedimentum juxta Benedictum XIV.: De Syn. Dioec. Lib. IX.

cap. 13 n. 4 non est quidem juris naturalis, et Summi Pontifices „ex gravissimis urgentibus causis dispensare possent, attamen etsi pluries rogati a dispensatione abstinuerunt.“ Idem declaravit S. C. Officii 7. Junii 1874 ad archiep. Monacensem et Friburg. dicens: „*Licet enim agatur de impedimento juris ecclesiastici, copulatio tamen inter eo gradu conjunctos adeo honestati nuptiarum repugnat, ut ne inter gentes quidem admitteretur.*“

<sup>4)</sup> Benedictus XIV. in Const. Aestas anni §. 15.



c) *Impedimenta non indispensabilia, in quibus vero rarissime et nonnisi ex gravissimis causis solet dispensari*, sunt matrimonium ratum, non consummatum, — votum solemne castitatis in aliquo Ordine ab Ecclesia approbato emissum (regulariter tantum ex causa publica), — Ordo sacer (ab impedimento presbyteratus et diaconatus solum ex causa publica, super impedimento subdiaconatus etiam ex causa privata, ait Schmalzgruber), — disparitas cultus inter baptizatum et non baptizatum, — cognatio spiritualis inter levantem et levatum<sup>1)</sup> (Taufpathen und Getauften); — crimen occultum, utroque vel altero mortem machinante cum effectu secuto.<sup>2)</sup> Ab impedimento affinitatis in primo gradu lineae transversae (inter viduum et sororem uxoris defunctae, inter viduam ac fratrem mariti defuncti, inter socerum et nurum) non tam raro, ut olim, dispensari solet.

d) In ceteris impedimentis (mixtae religionis, voti simplicis etc.) pro ratione causarum plus minusve frequenter dispensatio impertiri solet.

II. Causa justa dispensationis est extinctio magnae litis et odii inter cognatos, ablatio scandali, defectus dotis competentis, aetas superadulta feminae, conservatio bonorum in illustri familia, paupertas viduae filiis onustae, quos vir alere intendit, legitima proles ex fornicatione nata vel concepta etc.; nunc temporis etiam periculum, ne contrahatur matrimonium mere civile. Instr. S. C. de Prop. Fide 9. Maji 1877.

Ad valorem dispensationis requiritur, ut causa motiva subsistat, dum conceditur, atque ut in petitione absit omnis obreptio vel subreptio circa causam motivam seu finalem. Cf. Lib. I. §. 66 n. 8. Hinc exprimi debent species et numerus impedimentorum, gradus consanguinitatis vel affinitatis, linea an sit recta aut lateralis etc.

3. — Quoad potestatem dispensandi.

1. Summus Pontifex certo dispensare potest in omnibus impedimentis, quae sunt dispensabilia.

<sup>1)</sup> Episcopi Americae septemtrionalis ex Indulto Apostolico ab hoc impedimento dispensare possunt. *Kerrick*: Tom. II Tract. XXI n. 217. *Sabetti*: Comp. th. mor. p. 838. Ratisbonae 1897.

<sup>2)</sup> *Bened. XIV.* in Const. *Pastor bonus* a. 1744 ait, Poenitentiarium majorem in hoc impedimento dispensare posse, *raro tamen et quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminenti periculi.*

Ad dispensationes ipsius nomine concedendas duo sunt constituta tribunalia: *a) Dataria* pro foro externo, ad quam recurrendum est pro impedimentis notoriis aut quae in notitiam aliorum ventura praevidentur (ut consanguinitas et affinitas ex copula licita). *b) Poenitentiaria* pro foro interno, ad quam recurri debet in impedimentis occultis, et recurri potest pro foro externo in impedimentis iis, quae sine infamia, scandalo aliisque incommodis manifestari nequeunt, denique in impedimentis notoriis, quando dispensatio petitur pro pauperibus, quorum paupertatem Ordinarius authentice attestatur. S. Poenit. 5. Feb. 1900. Tam Dataria quam Poenitentiaria dispensationem non solent concedere in *forma gratiosa*, sed in *forma commissoria* seu actu non dispensant, sed committunt seu delegant potestatem dispensandi, si exposita vera sint. Dispensatio a Poenitentiaria concessa pro foro interno non potest executioni dari, nisi *audita prius sacramentali confessione*, aliisque observatis clausulis, quae Rescripto sunt appositae.

2. Episcopus *ordinarie et jure proprio* nequit dispensare ad matrimonium contrahendum in *impedimentis dirimentibus*, bene vero in *impedimentibus*, si excipias impedimentum mixtae religionis (i. e. inter catholicam et acatholicam personam), impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero initis, cum isto invito sine ejusdem injuria remitti nequeat,<sup>1)</sup> porro impedimentum, quod provenit ex voto ingrediendi Ordinem religiosum, aut ex voto perpetuae castitatis, quae vota si fuerint absoluta etc., Summo Pontifici reservantur, ut constat.

Sed „ex praesumpta Pontificis Romani voluntate“ episcopus dispensare potest super impedimento dirimente *in foro interno*, quando hoc est *occultum*, in casu „necessitatis urgentissimae“, quando nempe „nec Summus Pontifex prius consuli neque matrimonium, ad quod jam omnia sunt disposita, sine scandalo et paratorum ad nuptias infamia differri potest.“<sup>2)</sup> — Quid vero faciat parochus, si immediate ante nuptias nec accessus ad episcopum fieri queat, dictum est supra §. 163 n. 3.

1) Potest tamen episcopus quandoque declarare, sponsalium obligationem esse rescissam, cum aliqua causa justa suppetat coll. §. 212 n. 3.

2) Benedictus XIV.: De Syn.

Lib. IX. cap. 2 n. 2. S. Alph. Lib. VI. n. 1123 et 1124. Confirmatur ex Resp. S. C. C. 19. April. 1692 ad 3—6 penes Richter ad Sess. 24. de ref. matr. n. 122.

His addimus, episcopum *matrimonio jam contracto* ex praesumpta Summi Pontificis conniventia posse pro *foro interno* dispensare, quando simul concurrunt hae conditiones: *a)* si impedimentum sit occultum, *b)* si matrimonium jam fuerit contractum in facie Ecclesiae, *c)* si contractum fuerit bona fide, saltem ex una parte, *d)* si jam consummatum, *e)* si non facile adiri possit Sedes Apostolica, *f)* si separatio conjugum fieri nequeat absque scandalo.<sup>1)</sup>

Praeterea episcopus dispensare valet in *impedimentis matrimonio supervenientibus*, quae impediunt petitionem debiti conjugalis.<sup>2)</sup>

Insuper vi *facultatum quinquennialium* episcopi gaudent jure, a multis aliis impedimentis dispensandi. *Si contrahentes sint diversae dioecesis, tunc sufficit dispensatio ab uno Ordinario obtenta*, ex sententia s. Alphonsi,<sup>3)</sup> confirmata per resolutionem S. Off. 22. Nov. 1865.<sup>4)</sup>

Denique Leo XIII. locorum Ordinariis concessit facultatem dispensandi, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super *impedimentis quantumvis publicis* matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente. Concessit hanc facultatem *erga eos, qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinato vivunt*, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant. Ita ex literis S. C. Inq. 20. Feb. 1888 jussu S. Pontificis ad Ordinarios missis.<sup>5)</sup> Eadem Congr. decretum a Leone XIII. approb. die

1) Benedictus XIV. l. c. n. 1.

2) Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 987  
1076, 1126.

3) Lib. VI. n. 1142.

4) Apud Gury Romae 1873. Not.  
ad n. 861.

5) Concluduntur verbis: „Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti vel solemnem professionem religiosam emisissent,

atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiores faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia

1. Martii 1889 publicavit: „Ordinarios, quibus memorata facultas praecitatis literis diei 20. Feb. 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter *parochis tantum*, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora.“ Haec facultas non spectat ad eos, qui matrimonium civile quod vocant non celebraverunt nec vivunt in concubinato. S. C. Inq. 3. Maji 1899. — In citatis decretis comprehenditur etiam facultas dispensandi ab impedimento *clandestinitatis*, adeo ut e. g. parochus ab episcopo habitualiter delegatus possit in sua parochia vel conjungere non suos sed extraneos inibi casu existentes, dispensando a praesentia parochi proprii, ad quem nullimode valeat haberi recursus; vel etiam conjungere suos, sed sine testibus, pariter dispensando ab eorum praesentia, cum omnino non sint qui testium munere fungi possint. S. C. Inq. (approbante S. Pontifice) 15. Dec. 1899.

### §. 215.

#### De religiosa sponsorum dispositione.

*Sancta res est matrimonium et sancte tractandum*, ait Trid. Synodus Sess. 24, de ref. cap. 10. Noverint igitur fideles, quanta discretione et praeparatione ad istud Sacramentum sit accedendum; magnum quippe non tantum in Christo et in Ecclesia est, sed et in humana conditione et societate. Unde valde dolendum, quod tam pauci, quantum sit hujus disciplinae pondus, attendere videantur. Non excidenda de memoria Gregorii XVI. Encycl. *Mirari vos* 15. Aug. 1832 verissima verba, *exitus infelices illa habitura esse conjugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis jungantur, quin de Sacramento ac de mysteriis, quae in illo significantur, ulla teneat sponso cogitatio.*<sup>1)</sup>

Necessariam dispositionem ad hoc Sacramentum efficiunt puritas intentionis, pietas erga Deum et parentes, religionis cognitio ac status gratiae. De singulis modo breviter agemus.

exercitia aliasque salutare poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.“ — Explanationem perutilem supra citatae facultatis continent: Wiener

Diöcesanblatt 1888 Nr. 12, et Linzer th.-pr. Quartalschrift 1889 pag. 125.

<sup>1)</sup> Vid. *Concil. Prov. Burdigal.* a. 1868 cap. 6 n. VII. (Coll. Lacens. Tom. IV pag. 829.)

## §. 216.

**Puritas intentionis.**

Causae, quibus vir et mulier inducantur ad ineundum matrimonium, sunt 1. procreatio prolium, non tam ut bonorum haeredes relinquuntur, quam ut verae fidei et religionis cultores educantur Gen. 1, 28; — 2. mutuuum auxilium in re domestica gerenda, vitae incommodis perferendis, senectutis imbecillitate sustentanda Gen. 2. 20; — 3. remedium concupiscentiae 1 Cor. 7, 9. Hae sunt causae, ait Catechismus ad parochos,<sup>1)</sup> quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quodsi ad eas causas aliae etiam accedant, quibus homines inducti matrimonium ineant, ut haeredis relinquendi desiderium, divitiae, forma, generis splendor, morum similitudo: hujusmodi sane rationes damnandae non sunt, quum matrimonii sanctitati non repugnent. Neque enim in sacris literis Jacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liae praetulerit.

## §. 217.

**Pietas erga Deum.**

1. — *Primum in conjugio religio requiritur*, s. Ambrosius ait. Quam ob rem sponsi singulari mentis integritati et pietati studeant (Cat. Rom.), praeprius sibi caveant, ne in eadem domo cohabitent (Conc. Trid. Sess. 24. de ref. matr. cap. 1), nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis vel aliis praesentibus (Rit. Rom.), ne dum mutuo amori aliquid indulgendum opinantur, se ipsos foedis peccatis commaculent, Deique gravem offensionem et iram incurrant cum periculo infausti matrimonii in poenam justam delictorum. Quatenus signa amicitiae sponsis indulgeri quandoque possint, dictum est Lib. II. §. 171 n. 4.

2. — Opportune hic quaeritur 1. *An liceat matrimonium inire cum haeretico?* Resp. *Neg.*, nisi ex gravi causa et obtenta dispensatione a Sede Apostolica vel ab episcopo facultate instructo, v. infra §. 224. Hinc a) persona catholica, quae *cum dispensatione Ecclesiae* matrimonium cum persona acatholica contrahit, nullum peccatum committit S. C. de Prop. Fide a. 1869; ideo con-

---

<sup>1)</sup> P. II cap. 8 q. 14.

sequenter in tribunali poenitentiae (si alioquin sit disposita) absolvenda est. *b*) Persona catholica, quae *nulla impetrata Ecclesiae dispensatione* matrimonium cum acatholica inire attentat, „manifestum, idemque gravissimum crimen in ipso matrimonii foedere ineundo admittit“ Greg. XVI. in lit. ad arch. Friburg. 23. Maji 1846; ideoque tamquam indisposita ante nuptias absolvi nequit. *An vero persona hujusmodi postea, nuptiis celebratis, absolvi poterit?* Aff., modo sincere doleat de peccato per conjunctionem illicitam commisso, et simul seriam emittat promissionem de conversione conjugis haeretici pro viribus procuranda, de prolibus omnibus in religione catholica educandis, deque reparando scandalo aliis fidelibus dato. Constat ex lit. Pii VI. *Exsequendo*, die 23. Julii 1782 ad Cardinalem d. Frankenberg.<sup>1)</sup>

Quaeritur 2. *An liceat matrimonium inire cum publico peccatore?* Resp. *Neg.* per se, quia non licet ministrare Sacramenta peccatori publico. Excipe tamen, si alter sponsus sine gravi incommodo nequeat a matrimonio recedere.<sup>2)</sup> Quodsi enim Ecclesia urgente gravi causa veniam concedit contrahendi cum acatholico notorio, permissum merito censetur, opitulante causa gravi matrimonium inire cum peccatore publico. Sed hujusmodi nuptiae illicitae fieri possunt ob periculum perversionis pro altero sponso et ob scandalum grave, nisi utrumque aptis mediis tollatur.

Facilius sponsa cum sponso, quem *sola* scit Sacramentum suscipere *in statu peccati mortalis*, licite contrahit, dummodo nequeat eum reducere ad statum gratiae nec desistere a matrimonio sine gravi incommodo,<sup>3)</sup> quia tunc licite utitur jure suo, et indigni sacrilegium ejusdem duntaxat malae voluntati tribuendum est.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Nempe ad *quaesitum*: An contrahens catholicus, *postea* volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea debeat admitti? S. P. respondit: „*Ad quod dicimus, dum idem ille demonstrabit, poenitere se suae peccaminosae conjunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem conjugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales condiciones concurrant, non repugnamus nos, quominus pars catholica*

*Sacramentorum fiat particeps.*“ Idem confirmatum est in Instr. Gregorii XVI. die 30. April. 1841 ad Episc. Hungariae data.

<sup>2)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 55, qui hanc sententiam dicit communiorem.

<sup>3)</sup> Reuter: P. IV de Sacr. in genere n. 71, et alii.

<sup>4)</sup> Tam in hoc quam priori casu premit difficultas, quod non licet Sacramentum *indigno* cognito conferre. Ad quam expediendam 1. *alii* dicunt, sponso directe conficere contractum, qui de se non est res sacra, et indirecte

Quaeritur 3. *An liceat matrimonium inire cum excommunicato?*  
 Resp. 1. *Neg.*, si sit *vitandus*, quia vetitum est cum ipso communi-  
 care in re sacra, qualis est Sacramentum. 2. *Aff.*, si sit *toleratus*,  
 quia concessum est fidelibus communicare cum excommunicatis  
 toleratis.<sup>1)</sup>

## §. 218.

**Pietas erga parentes.**

1. — Etsi parentum consensus ad matrimonii validitatem nec ex jure naturali neque ex jure positivo (Conc. Trid. Sess. 24. can. 1) requiratur: tamen *sancta Dei Ecclesia illa* (matrimonia sine consensu parentum inita) *semper detestata est atque prohibuit* Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1 de Ref., quum ex ipso jure naturali filii pietatem debeant parentibus, qui vero offenduntur, si ipsis insciis vel invitis illi matrimonium contrahunt. Hinc peccant filii familias, qui velint *cum dedecore familiae* matrimonium inire, aut conjugium quamvis decorum, invitis parentibus et cum eorum *scandalo* contrahere, quin ullam causam justam habeant, per quam excusentur; et tunc etiam *sponsalia*, parentibus juste contradicentibus dissolvi possunt.<sup>2)</sup>

Non vero peccat filius, si parentes eum vellent inducere ad nuptias illicitas vel contra rectam rationem, e. g. jubendo filium ducere uxorem haereticam aut malis moribus praeditam, aut quam filius nullo modo tamquam conjugem amare posset; in his similibusque casibus, in quibus parentes honestam et christianam libertatem in matrimonio contrahendo impedire vellent, filii obedire non tenentur. Quae autem de parentibus, eadem similiter intelligi debent de tutoribus aliisque, quorum potestati filii subsunt.

2. — **Conclusio practica.** 1. Confessarius filios, qui dissentientibus parentibus matrimonium inire cupiunt, impense admonere debet, ut contra parentum voluntatem agere desistant; iis vero ex gravi ratione reluctantibus absolutionem concedat. 2. Parochus tali matrimonio non assistat, si patris vel tutoris consensus ex

---

tantum Sacramentum; sed haec ratio non convenit doctrinae catholicae, Sacramentum esse inseparabile a contractu. 2. *Alii* dicunt, sponsos, licet conficiant Sacramentum, non tamen esse ministros ad hoc deputatos; sed nec haec ratio videtur satis firma.

Nescio meliorem rationem, quam in praedictis casibus propter gravia incommoda vel inconvenientia obtinere exceptionem a regula.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 55.

<sup>2)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 18 n. 17.

praescripto legis civilis exigitur; neque reluctantibus parentibus tunc assistat, si eorum consensum non necessario postulat lex civilis, ob inconvenientia inde timenda,<sup>1)</sup> sed rem ad Ordinarium deferat.

### §. 219.

#### Cognitio religionis.

Rituale Romanum loquens de iis, qui matrimonio sunt jungendi, ait: *Uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.* His conformiter in S. Congr. Conc. coram Innocentio XII. a. 1697 decretum est, non esse a parochis matrimonium in ecclesia proclamandum, nisi antea sponso repererint in christianae religionis rudimentis sufficienter instructos; quod Decretum a Clemente XI. est confirmatum.<sup>2)</sup> Recte enim advertit Benedictus XIV.: „Qui fidei rudimenta ignorat, quae ex gravi praeepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur.“<sup>3)</sup>

Hinc parochi est curare, ut sponsi saltem ea noscant, quae scitu necessaria sunt necessitate mediis et praeepti (Lib. II. §. 6 n. 1—7), posteriora: Symbolum, Decalogum, praeepta Ecclesiae, Sacramenta, praesertim Poenitentiae, ss. Eucharistiae et Matrimonii ad minimum quoad substantiam,<sup>4)</sup> utque instruantur, quomodo in matrimonio recte et christiane conversari debeant.

<sup>1)</sup> Juxta C. A. §§. 1222, 1231 parentes, quibus insciis vel invitis filii vel filiae etiam majorenes matrimonium inierunt, non tenentur dotem illis concedere casu, quo judex causam improbationis justam fuisse repererit.

<sup>2)</sup> Conc. nostrum Provinc. a. 1858 Tit. III cap. 11 dicit: „*Si elementorum fidei ignari sint, antequam ea edocti fuerint, ad nuptias non admittantur.*“

<sup>3)</sup> De Syn. Dioec. Lib. VIII. cap. 14 n. 5.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV. op. c. n. 6 tradit: „Quandoque evenit, ut quis praecipua Fidei nostrae mysteria

et sciat et credat, cetera pariter, quae necessitate praeepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit; sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriae, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere et recitare non valeat; in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini sine propria culpa est dene-gandum; sed curabit parochus, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit; ne ab ejus mente penitus elabantur.“



## §. 220.

**Status gratiae.**

1. — Sponsi matrimonium contrahentes *in statu gratiae* versari debent, quia matrimonium est Sacramentum vivorum. Qui peccato mortali coinquinati contrahunt, duplex committunt sacrilegium, unum indigne suscipiendo, alterum indigne ministrando Sacramentum.<sup>1)</sup>

Nulla exstat Ecclesiae lex universalis obligans sponso ad confessionem sacramentalem matrimonio praemittendam. Etenim Conc. Trid. Sess. 24. de ref. matr. cap. 1 tantum *hortatur* conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad ss. Eucharistiae Sacramentum pie accedant; similiter Rituale Rom. ait: *Admoneantur* conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur etc.; jam vero *hortari, admonere* non exprimunt praeceptum, et alioquin ad statum gratiae recuperandum sufficit contritio perfecta. Idque declaratum est<sup>2)</sup> a S. C. Conc. 28. Aug. 1852. At vero sponsi matrimonio confessionem praemittere debent, si lex particularis in dioecesi eam praescribit. Sed hic premunt duae quaestiones gravis ponderis, nostroque tempore valde practicae.

2. — Quaestio I. *An parochus assistere possit matrimonio sponsorum, qui confessionem a lege dioecesana praescriptam ante copulationem peragere nolunt?* Resp. Primum sane parochus sponso ad confitenda peccata commovere studebit, caritatis industria, non increpationis duritiae utens, ne sponsi ideo tantum, quia omne effugium praeclusum vident, ac veluti coacti ad confessionem accedant cum evidenti periculo, sacrilegae conjunctioni sacrilegam confessionem vel etiam sacrilegam Communionem praemittendi. Opera sine fructu adhibita parochus illorum matrimonio assistere poterit, imo (ut ego puto) assistere debet, si ex denegata assistentia majora mala timeantur, videlicet ne sponsi ad publicum scandalum turpiter cohabitent vel matrimonium mere civile ineant vel fide catholica deserta coram ministro haeretico contrahant. Ratio, quia ex una parte assistentia parochi in hoc casu est coepe-

---

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 884.

<sup>2)</sup> Prout Scavini testatur Lib. III. n. 828, Not. 1. Ed. 13.

ratio mere materialis, quae ex causa gravi, qualis hic revera obtinet, est licita; atque ex altera parte parochus bono spirituali ovium suarum prospicere, hincque majora mala communitatis vel ipsorum contrahentium impedire tenetur. Eo minus parochus assistentiam denegare poterit in hujusmodi circumstantiis, si unus sponsus confessionem sacramentalem peregit; quia favendum est innocenti. Ceterum hujusmodi casus, si occurrant, Ordinario denuntientur.

Quaestio 2. *An parochus possit assistere matrimonio sponsorum, si uterque vel unus est publicus peccator?* Resp. 1. *Neg.* generatim loquendo, si *uterque* sponsus est publicus peccator, quia per se nemo potest cooperari peccato proximi, et praeterea quia parochus ex justitia tenetur salutem ovium suarum providere, eas avertendo a peccatis. Excusatur autem parochus, si ex denegatione assistentiae gravia mala imminere videantur sive ipsi, e. g. intentatio mortis, sive communitati, prout scandalum grave ex fornicaria cohabitatione, sive contrahentibus, prout si velint mere civiliter contrahere vel perseverare in peccato vel deficere ad sectam haeticam. Haec est doctrina s. Alphonsi,<sup>1)</sup> a S. Poenitentiarum 10. Dec. 1860 confirmata. — Porro 2. si *unus* tantum sponsus est publicus peccator, parochus tunc potest assistentiam matrimonio exhibere, si innocenti ex gravi causa permissum est, peccatori hujusmodi nubere coll. §. 217 n. 2 q. 2, vel si ex denegatione assistentiae gravia mala communitati vel parochi imminerent, ut in casu superiori.

Parochus etiam matrimonio eorum, *qui notorie innodati sunt censuris ecclesiasticis*, assistere potest, si mediis adhibitis opportunis isti cum Ecclesia reconciliari recusent et, nisi matrimonium celebretur, gravia inde mala subsequi videantur. Ex eadem s. Alphonsi doctrina a S. Poenitentiarum probata.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Lib. VI. n. 54.

<sup>2)</sup> Ad quaesitum: Quomodo parochi se gerere debent in celebratione matrimoniorum illorum, qui notorie innodati sunt censuris ecclesiasticis? R. *Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconciliantur; at si reconciliari recusent et, nisi matrimonium cele-*

*bretur, gravia inde damna imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a s. Alphonso (Lib. VI. n. 54) traduntur, ea declaret quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione.*“

Quodsi contrahentes publice peterent assistentiam parochi ad matrimonium, et essent indigni ratione *peccati occulti* vel *cen-surae occultae*, communiter docent, parochum teneri assistere.<sup>1)</sup>

Quaestio 3. *Quid, si persona catholica matrimonium petit cum apostata, seu persona quae fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit?* Resp. S. C. Inq. 30. Jan. 1867 et. 26. Maji 1897: Quando parochus nullo modo potest hujusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur: res deferenda est ad episcopum qui, inspectis omnibus casus adjunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio *passive* intersit tamquam testis autorizabilis (cf. §. 224 n. 4), dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus conditionibus.

Quaestio 4. *Quid, si una contrahentium pars clandestinis aggregationibus per Pontificias constitutiones damnatis adhaeret?* Resp. Dummodo absit scandalum, poterit Ordinarius, habita circumstantiarum ratione pro casibus particularibus, ea decernere quae magis expedire judicaverit. Ita S. Off. 25. Maji 1897, quo responso recolitur decretum d. 28. Junii 1865, omissis verbis quae in hoc decreto addebantur: „excluso tamen omni ecclesiastico ritu“.

### C. De matrimonii celebratione.

In considerationem veniunt solemnitas matrimonii a Conc. Trid. praescripta, benedictio nuptialis et Missa pro sponso et sponsa; quibus adjungenda erunt, quae de matrimonio mixto, deque matrimonio civili in praxi observari debent.

#### §. 221.

#### Solemnitas a Concilio Tridentino praescripta.

1. — Solemnitas substantialis matrimonii juxta Conc. Trid. Sess. 24. de ref. matr. cap. 1 in eo consistit, quod matrimonium *praesente parochi vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus* contrahatur. Matrimonium aliter contractum dicitur clandestinum. Advertendum: 1. in locis, ubi Conc. Trid. est publicatum, conjugia clandestina sunt invalida.

<sup>1)</sup> S. Alph. l. c. La Croix: Lib. VI. P. I n. 147.

2. In locis, ubi promulgatio fuit omissa sive culpabiliter sive inculpabiliter, matrimonia clandestina sunt quidem graviter illicita, sed valida.<sup>1)</sup>

De quaestione, *an Decretum Concilii etiam haereticos obliget*, auctores plures valde confuse disserunt. Ita resolvenda est: 1. Obligat haereticos in locis, in quibus publicatum fuit aut viget tamquam Concilii Trid. Decretum, et consequenter ibi matrimonia clandestina seu non contracta coram parochio catholico sunt invalida.<sup>2)</sup> 2. Non obligat, ideoque valida possunt esse haereticorum conjugia a) si in eorum locis publicatum Decretum non fuit, vel b) si non observatum tamquam ejusdem Concilii Decretum, vel c) si in iisdem locis ex quacunque causa in desuetudinem abiit. Pius VII. in lit. 8. Oct. 1803 ad archiep. Moguntinum. Vid. Acta S. Sedis Vol. VII pag. 61 et seq.

2. — Explanatio Decreti Tridentini ad jus canonicum spectat. Sequentia tamen notare non superfluum erit:

Si *parochus proprius* contrahentium vel alterutrius contrahentium quoad *domicilium* vel *quasi domicilium* non ipse assistit: sacerdos alius sive saecularis sive regularis assistens debet habere licentiam ejusdem parochi vel Ordinarii *expressam*, sufficere tamen potest etiam *tacita*, numquam *praesumptu*.<sup>3)</sup> Sacerdos sive regularis sive saecularis, *qui sine licentia parochi proprii vel Ordinarii sponso matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur*. Conc. Trid. Sess. 24. de ref. matr. cap. 1.

Valide assistit parochus, *licet ab episcopo prohibeatur*, ideoque graviter peccet; quia non desinit esse parochus. Item si habeat titulum *coloratum* et *ex errore communi* parochus reputetur. Nec excipitur *irregularis, suspensus, schismaticus, excommunicatus* vitandus,

<sup>1)</sup> Non valet clandestinum eorum, qui a sua parochia publicati Decreti recedunt et, dum in loco non publicati Decreti peregrinantur, matrimonium contrahunt, quin in hoc loco saltem *quasi domicilium* sint assecuti; item a fortiori dicendum, si a dicta parochia recesserint, inque similem locum se contulerint ad matrimonii solemnitates vitandas, quia *fraus* nemini patrocinari debet. Urban. VIII. *Exponi nobis*. — Non valet matrimonium eorum, qui relicto loco, ubi Decretum Trid. non est publicatum, clandestine contrahunt in loco, ubi

viget; quia legi universali omnes in loco, ubi viget, subduntur. Lib. I. §. 53 n. 6.

<sup>2)</sup> Excipe, si pro singulis regionibus exstent declarationes pontificiae, quarum vigore ejusmodi matrimonia pro validis habenda sunt, e. g. decretum Benedicti XIV. a. 1741 super matrimoniis tum pure acatholicis tum mixtis in Hollandia. Cf. Aichner-Friedle: Comp. Juris eccl. p. 670, 1900. Marc: Th. mor. II. n. 2071 q. 3.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 1088. Instr. nostra §. 47.

quamdiu beneficio parochiali non destituitur sive abdicatione sive depositione;<sup>1)</sup> attamen parochus vitandus sine gravissima causa assistens, vel assistentiam ab hujusmodi parochi postulantem, mortaliter peccat ob communicationem in re sacra et gravi contra expressam Ecclesiae prohibitionem.<sup>2)</sup>

3. — Valet matrimonium coram parochi coeco, modo contrahentes ex voce cognoscat et eorum consensum vere et clare percipiat.<sup>3)</sup>

Sufficit etiam praesentia parochi *coacta, fraude obtenta, invita*, modo moneatur, se adhiberi in matrimonii testem.<sup>4)</sup> Eadem tenenda de praesentia duorum vel trium testium.

4. — Parochus statuta dioecesis in matrimonii celebratione tenetur observare. Conc. Trid. Sess. 24. de ref. cap. 1. Omittendo verba: *Ego vos conjungo etc.*, juxta sententiam probabiliorum graviter peccat. Cum nec conficiat neque ministret Sacramentum, assistens in statu peccati mortalis non peccat graviter.<sup>5)</sup>

Matrimonium in ecclesia celebrari debet; et tantum ex gravi causa e. g. ob morbum unius contrahentium, ad scandalum vitandum, in domo privata illud contrahere licet.

## §. 222.

### Benedictio nuptialis.

1. — Sub hac benedictione intelliguntur preces, quae in Missa pro sponso et sponsa post matrimonii celebrationem indicantur. Antiquissima est et jure canonico cap. *Aliter* inducta, ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et valorem conjugii pertinens.

Quaeritur, *quaenam* nuptiae, *a quo, ubi, quomodo* et *quando* sint benedicendae.

2. — **Punctum I.** *Quae nuptiae sint benedicendae.* 1. Nuptiae tantum *catholicorum*, non mixtae religionis, possunt benedici.

<sup>1)</sup> Idem n. 1082 et 1804. Hinc matrimonia tempore perturbationis gallicanae coram parochi legitimo, sed propter adhaesionem Constitutioni civili *schismatico*, vel coram sacerdote ab eo delegato celebrata reputanda sunt valida; dicit Bouvier: Inst. Theol. Tom. IV de matr. pag. 363. Ed. 12.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 1083, coll. n. 88.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 1092.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV.: De Syn. Lib. XIII. cap. 23 n. 5. Quod etiam valet, si parochus affectasset non intelligere.

<sup>5)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 18 n. 29.

2. Nuptiae *primae* ex parte viri et mulieris benedici debent, ex praecepto, sed tantum sub veniali.<sup>1)</sup> Nihil refert, utrum mulier sit virgo an corrupta; modo nondum sit benedicta, semper est benedicenda S. C. C. 2. Oct. 1593. Benedici nequeunt *a)* nuptiae, quae sunt secundae ex parte viri et mulieris; *b)* nuptiae, quae sunt secundae ex parte mulieris tantum, nisi forte in primis nuptiis non fuerit benedicta; *c)* nuptiae, quae sunt secundae ex parte viri, primae ex parte mulieris; nisi vigeat consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, quamvis vir aliam habuerit uxorem, nuptiae benedicantur.

3. — **Punctum II.** *A quo nuptiae sint benedicendae.* Tantum a parocho sponsorum vel ex ejusdem sive Ordinarii licentia ab alio sacerdote benedictio nuptialis impertienda est. Rit. Rom. ex Conc. Trid. Sess. 24. de ref. matr. cap. 1. Potest igitur matrimonium coram parochō celebratum dein ab alio sacerdote, cum illius licentia, benedici.

**Punctum III.** *Ubi nuptiae benedici debeant.* Tantum in ecclesia fieri debet benedictio, quamvis ex gravi causa matrimonium domi fuerit celebratum. Rit. Rom.

4. — **Punctum IV.** *Quomodo sit impertienda benedictio.* Dari debet modo in Missa pro sponso et sponsa praescripto, *intra Missam*, numquam extra Missam. Ita S. R. C. (3016) 23. Junii 1853 in una Limburgen., mandante Pio IX., et 14. Aug. 1858 (3079) dubiis ab ep. Montis Albani ea de re propositis.

In *eadem* Missa plura possunt matrimonia benedici S. C. Inq. 1. Sept. 1841, nihil tamen immutetur in orationibus; quamvis enim in singulari recitentur, de unaquaque tamen intelliguntur.

Ex Rubrica Missae pro sponso et sponsa conjuges *communicent* post sumptionem sanguinis. Ast haec Communio non est de praecepto et essentia benedictionis, sed de convenientia. Ad quaesitum episcopi Lavantini: Num Missa votiva pro sponso et sponsa dici et in ea benedictio nuptialis fieri possit etiam in casu, ubi sponsi infra hanc Missam s. Communionem non percipiant? S. R. C. rescribere rata est: *Affirmative; curent tamen parochi et animarum rectores adhortari fideles nupturos, ut in Missa, in qua benedictiones nuptiales impertiuntur, communicent.* Die 21. Martii 1874 n. 3329.

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 984.

5. — **Punctum V.** *Quando benedictio nuptialis conferri queat.* Omni tempore, excepto vetito seu clauso (ab Adventu usque in diem Epiphaniae, a feria IV. cinerum usque ad dominicam in Albis), quo Ecclesia vetat solemnitates, inter quas recensetur sollemnis sponsae benedictio et Missa pro sponsis. Ideo si ex episcopi licentia matrimonium tempore vetito contrahatur, nuptiae sine Missa (vel commemoratione ex eadem) pro sponsis et benedictione nuptiali celebrandae sunt S. R. C. (3079) 14. Aug. 1858 in Montis Albani; nec in eo episcopus dispensare valet S. R. C. (3016) 23. Junii 1853, (3798) 9. Maji 1893; neque etiam benedictionem *extra Missam* elapso tempore vetito supplere licet S. R. C. (2797) 31. Aug. 1839.

6. — Attamen impertienda est benedictio nuptialis post tempus clausum omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacunque ex causa non obtinuerunt; Missaque pro sponso et sponsa simul celebranda, cum haec benedictio omnino infra Missam fieri debeat. S. R. C. Decr. gen. de Missis votiv. VI. (3920) 30. Junii 1896.

§. 223.

**Missa pro sponso et sponsa.**

Haec Missa multis gaudet privilegiis, sed tunc tantum, quando in ea confertur benedictio nuptialis. Quaeritur, *quando et quomodo* celebranda sit.

1. — **Punctum I.** *Quando Missa pro sponsis celebretur.*

Permittitur *a) quoad tempus* omnibus diebus, excepto tempore clauso, quo nec Missa nec commemoratio pro sponsis in Missa diei (neque benedictio nuptialis §. 222 n. 5) fieri potest S. R. C. (2797) 31. Aug. 1839; porro exceptis omnibus diebus dominicis et festis in foro observandis, nec non dupl. 1. et 2. cl.; exceptis tota Octava Epiphaniae, Vigilia et tota Octava Pentecostes, die octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia 2. cl. excludentibus S. R. C. (2619) 20. April. 1822. Quibus diebus dicenda est Missa diei et addenda commemoratio Missae pro sponsis *post* orationes in Missa diei per Rubricas praescriptas, et *ante* orationes a superiore imperatas, et semper sub distincta conclusione etiam in festis dupl. 1. et 2. cl. S. R. C. (2619) 20. April. 1822; et infra Missam datur benedictio nuptialis, prout habetur in Missa pro sponso et sponsa.

Permittitur *b) quoad conjuges*, si uterque est catholicus, et si mulier potest benedici. Hinc eam celebrare non licet: 1) si matrimonium sit mixtum, quo casu si pars catholica Missam *pro se* offerendam exoptaverit, dicatur Missa de die vel aliqua votiva juxta Rubricas; — 2) si mulier sit vidua et jam semel benedicta S. R. C. (2461) 3. Martii 1761; et tunc alia Missa votiva pro devotione sponsorum, si Rubricae permittant, vel Missa conformis officio absque commemoratione nuptiarum celebretur.

2. — *An Missa pro sponso et sponsa diebus permissis debeat celebrari?* Aff., ex Decr. S. R. C. (3016) 23. Junii 1853: *Missa in nuptiis semper debet esse votiva pro sponso et sponsa ut in Missali, praeterquam in festis de praecepto etc.* Attamen sacerdos non tenetur Missam pro sponsis applicare, nisi ab iisdem stipendium accipiat. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

3. — **Punctum II.** *Quomodo Missa haec celebranda.* Tamquam Missa votiva privata (pro privato nubentium bono) celebrari debet, in colore albo, et quamvis fiat in cantu, *sine Gl. et Cr.*, dicitur in fine *Benedicamus Domino*, ultimum *Evang. s. Joannis*, et oratio 1. est Missae votivae 2. officii diei, 3. (etiam in duplici dicenda), nisi alia in Directorio assignetur, de tempore, videlicet *Deus qui salutis* a 14. Jan. usque 2. Feb.; *A cunctis* a 3. Feb. usque fer. IV. Cin. et post Dom. Trin. usque ad Adv.; *Concede nos* post Dom. in Albis usque ad Pent. Recole §. 35 n. 6 et §. 222 n. 5 et 6.

### §. 224.

#### **Observanda quoad matrimonium mixtum.**

1. — Episcopi et parochi suos dehortari debent a conjugiiis mixtae religionis, ut graviter monuit Benedictus XIV. *Matrimonia* 4. Nov. 1741; nam Ecclesia numquam non illa reprobavit „tum ob flagitiosam in rebus divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugii perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem“, ut habetur in Instr. jussu Gregorii XVI. die 22. Maji 1841 ad episcopos Austriae in foederatis Germaniae partibus, et die 30. April. 1841 ad Primatem et archiep. Hungariae data. Et Leo XIII. in Encycl. „*Arcanum*“ 10. Febr. 1880 dicit: „Ab hujusmodi conjugiiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod . . . persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine.“



2. — Hinc ad eorum celebrationem sponso nullatenus admittant, nisi a Sede Apostolica (apud nos ab episcopo facultatibus apostolicis munito) *dispensatio* obtenta fuerit, praemissis „*opportunitis cautionibus*, non modo, ut conjux catholicus ab acatholico perverti non possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex his conjugiiis procreandae in catholicae religionis sanctitate omnino educantur. Quae certe cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur.“ Sic Gregorius XVI. in praefata Instructione. Insuper requiritur causa gravis.<sup>1)</sup>

Ad quaesitum: *Quid significet cautio opportuna?* S. C. Inq. 30. Junii 1842 respondit, *cautionem opportunam esse talem promissionem, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter ejusmodi executio exspectari possit.*

Quam ob rem Austriae episcopi *litteras reversales* a parte acatholica exigebant de educandis omnibus prolibus in catholica religione. His autem per legem civilem annullatis a. 1868 praescripserunt, ut in posterum, quoties pro dispensatione supplicatur, semper adjiciatur *contractus*, quo sponsi mixtae religionis se obligent ad omnes proles in catholica religione educandas, addito simul parochi arbitrio, an adsit timor fundatus, ne illi contractum sint violaturi. Ita signanter Card. Rauscher in Instr. 19. Junii 1868.<sup>2)</sup>

3. — Si matrimonium mixtum *obtenta dispensatione* contrahitur, juxta plures Sedis Apostolicae declarationes parochus „*extra ecclesiam, sub qua sacristia comprehenditur, et absque stola et rochetto, atque sine benedictione*“ solummodo contrahentium consensum excipere debet. In Instructione tamen jussu Pii IX. ad omnes archiep. etc. die 15. Nov. 1858 data prudenti episcoporum arbitrio committitur, ut aliquando *ad majora damna ac mala vitanda* tolerant morem adhibendi *ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione.*<sup>3)</sup> Jam prius Gregorius XVI. in Brevi ad arch.

<sup>1)</sup> S. Alph. observat: „Hujusmodi conjugia fiunt instar contractuum civilium ad firmandas leges amicitiae et ad tuendam pacem republicae.“ Lib. VI. n. 56. Non tamen excluduntur aliae causae.

<sup>2)</sup> Wiener Diöcesanblatt 1868. S. 179, 180.

<sup>3)</sup> Acta S. Sedis Vol. VI pag. 456.

Friburg. 23. Maji 1846 edixit, *tolerari posse*, ut idem mos in nonnullis regionibus inductus servaretur.<sup>1)</sup> Hic mos in toto fere Austriae imperio viget.

4. — Si matrimonium mixtum *sine Ecclesiae dispensatione* contrahitur, juxta Instructionem Gregorii XVI. jussu datam ad episc. Bavariae 12. Sept. 1834, et ad episcopos Austriae 22. Maji 1841, parochus non potest nisi *assistentiam passivam* sen „materiale“ exhibere, extra ecclesiam (in domo sua aut aliis aedibus privatis), „excluso quovis ecclesiastico ritu, perinde ac si partes unice ageret *meri testis*, ut ajunt, *qualificati* seu auctorizabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.“

Porro idem Summus Pontifex in Inst. ad epp. Bavariae 12. Sept. 1834 „tolerandum esse dixit, ut a parochis catholicis *consuetae proclamationes* fiant, omni tamen praetermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi“. Id etiam apud nos obtinet.

5. — Non potest pars catholica absque peccato mortali ante vel post matrimonium coram parochis initum *coram ministro acatholico, ritu acatholico* contrahere.<sup>2)</sup> Nec illa excusatur, si consentiat solum ad vitanda gravia incommoda a parte acatholica vel ejus parentibus et propinquis oritura ex voluntate eorum neglecta. Etenim pars catholica hujusmodi ritum admittendo testaretur, se agnoscere haereticum illum tamquam verae fidei ministrum, et cooperaretur ritui haeretico cum Sacramenti injuria.<sup>3)</sup> Parochi igitur si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint, eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, silere non possunt, sed eosdem monere debent sponso de gravissimo peccato, quod patrant, et de censuris, in quas incurrunt. Si vero parochus catholicus non interpellatur, praevideat tamen, sponso matrimonio contracto adituros esse ministrum haereticum ad matrimonialem consensum renovandum, nullumque fructum ex dehortatione esse speran-

<sup>1)</sup> Vid. Kutschker: Eherecht B. IV S. 775.

<sup>2)</sup> Vid. Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. VI. cap. 7 n. 2. *Conc. Prov. Vienn.* a. 1858 Tit. III. cap. 11. *Conc. Prov. Remens.* a. 1857 cap. 11.

*Conc. Prov. Burdigal.* a. 1850 Tit. III. cap. 8 n. 4. *Conc. Prov. Rothomag.* a. 1850 Decr. XX n. 4.

<sup>3)</sup> Kenrick: Theol. mor. Tr. XXI n. 198.

dum; tunc taceat, ne peccatum eorum materiale fiat formale. Instr. Apost. Sedis die 17. Feb. 1864 episcopis regni Hannoverani data.

*An vero permissum est, ut parochus parti catholicae, quam a celebratione coram ministro acatholico avertere nequit, concedat literas testimoniales de peractis proclamationibus illum in finem requisitas?* Id generaliter fieri nequit, ob cooperationem parochi materiale ad illius peccatum. Attamen Gregorius XVI. die 12. Sept. 1834 episcopis Bavariae indulisit, „*ad majora damna et scandala praecavenda* esse tolerandum, ut de factis proclamationibus *literae mere testimoniales* concedantur, in quibus si nullum adsit dirimens impedimentum, unice enunciatur, nil aliud praeter vetitum Ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis matrimonio conciliando obstare, nullo prorsus addito verbo, ex quo consensus aut approbationis vel levis suspicio sit oritura“. <sup>1)</sup> Quod Indultum Apostolicum ad preces Card. et Arch. Rauscher extensum est ad archidioecesim Viennensem a Pio IX. per Breve 12. Aug. 1869. <sup>2)</sup>

Si vero nupturientes mixtae religionis nec cum passiva assistentia parochi, sed *solum coram acatholico ministro* matrimonium inire volunt, proclamationes hujusmodi nuptiarum a parochi fieri nequeunt.

6. — Denique omnes catholici, qui coram haeretico ministro nuptias contraxerunt vel in ejusmodi nuptiis acatholicae prolium educationi consenserunt, et dein cum Ecclesia reconciliari desiderant, indigent absolute a censura. Decr. S. C. Inq. 29. Aug. 1888. Haec censura, quae pro foro externo ipso facto incurritur, etiamsi hujus poenae notitia defuerit, est excommunicatio speciali modo R. Pontifici reservata, propter favorem haeresi datum. Et praedicta Congregatio episcopis Borussiae ad plura proposita dubia respondendum decrevit: *Qui matrimonium coram ministro haeretico ineunt, censuram contrahere. Ordinarios autem vi facultatum quinquennialium nedum posse eos absolvere, sed etiam alios subdelegare ad eosdem absolvendos. Qui vero hucusque, nulla praevia a censuris absolute, ab hujusmodi culpa absoluti sunt, non esse inquietandos.* Die 18. Maji 1892.

7. — Addi debet, „matrimonia catholicos inter et schismaticos quoad conditiones canonicas praemitti solitas, aequiparanda esse

<sup>1)</sup> Wiener Diöcesanblatt  
1869. S. 11.

<sup>2)</sup> Ibid. 1869 Nr. 30.

matrimoniis mixtis, id est, catholicos inter et haereticos (baptizatos) contrahendis“. Ita declaravit S. C. de Prop. Fide 11. April. 1894.<sup>1)</sup>

§. 225.

**Observanda quoad matrimonium civile.**

1. — Matrimonium civile illud dicitur, quod juxta leges mere civiles coram magistratu civili contrahitur, validumque a gubernio civili habetur nullo ad Ecclesiae sanctiones habito respectu.

Triplex distingui solet et datur matrimonium civile: 1. *necessitatis* appellatum (Nothcivilehe), quod a gubernio civili permittitur, quando non est contra legem civilem, denegata a parochio assistentia ob impedimentum, quod matrimonio obstat; 2. *facultativum*, si arbitrio nupturientium relinquitur, vel coram parochio vel coram magistratu civili conjugium inire; 3. *obligatorium*, si omnes nupturientes coram magistratu civili consensum declarare jubentur.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Matrimonium civile sive *facultativum* sive *obligatorium* in locis, ubi Trident. Decretum *Tametsi* viget, non solum non est Sacramentum, sed neque contractus, quia praefatum Decretum contrahentes sine parochi praesentia omnino inhabiles reddit ad contrahendum. Iis tamen in locis, ubi illud Decretum non est publicatum, matrimonium coram civili magistratu clandestine contractum non obstante alio impedimento dirimente est verum et ratum, seu eo ipso quod est validus contractus, etiam est Sacramentum,<sup>2)</sup> nisi merum civilem actum exercere sponsi intendant, excludendo matrimonium verum ut rem religiosam, tunc enim matrimonium est nullum.<sup>3)</sup>

Matrimonium civile, quod audit *necessitatis*, nedum ob impedimentum clandestinitatis, verum etiam ob aliud obstans impedimentum, ex quo assistentia parochi non permittitur, improbari debet.

3. — Qui matrimonium mere civile inire vel in eo persistere praesumunt, *absolutione indigni* sunt, nec in periculo mortis absolvi possunt, usquedum resipiscant ac praescriptionibus Ecclesiae se subjicientes ad poenitentiam convertantur. S. Poenitent. in sua

<sup>1)</sup> Acta S. Sedis, fasc. Jan. 1895.

<sup>2)</sup> Perrone: De matr. christ. Lib. I. pag. 206, 207.

<sup>3)</sup> Colligitur ex aliquo deciso S. Inquis. die 18. Julii 1867. (Archiv für kathol. Kirchenrecht, B. 41, S. 292.)

Instr. 15. Jan. 1866 n. 4. Non parit impedimentum publicae honestatis. Decr. S. C. C. 17. Martii 1879 a Leone XIII. confirm.

*Sed quid agere debet parochus, si conjuges civiliter contraxerunt, at postea unus renuat contrahere coram Ecclesia?* Sic respondet Card. Caprara, legatus a latere in Galliis: „*Satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more..* Et si iste nolit quidem contrahere per procuratorem, tunc (sic prosequitur Card. Caprara) *ad dispensationem in radice matrimonii seu ad matrimonii sanationem in radice deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino cautum sit, et quamprimum etiam renuentis animae saluti provideri possit.*

4. — **Principium II.** Ubi matrimonium civile est *obligatorium*, ad vexationes poenasque vitandas, ad consequendos effectus civiles, et ad polygamiae periculum avertendum, *opportunum et expediens* est, ut fideles se sistant gubernii officiali, ea tamen intentione, ut formalitatem seu actum mere civilem exsequantur, et quidem non ante, sed post matrimonium coram Ecclesia legitime contractum, nisi aliqua coactio vel absoluta necessitas ejusmodi ordinis invertendi causa esset; et tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant. S. Poenitent. 15. Jan. 1866 n. 5 et 7.

**Conclusio practica.** Enitendum est parochis, ut nupturientes matrimonium tum ratione legis Ecclesiae tum ratione legis civilis validum contrahant. Ideo 1. si matrimonio obstet impedimentum *canonicum*, parochus nupturientes admoneat vel etiam adjuvet ad impetrandam dispensationem, si concedi possit et soleat, gravi subsistente causa, inprimis dum timendum foret, ne civiliter contrahant et sic in perpetuo concubinato vivant. 2. Si nuptiis contrarium sit impedimentum *civile*, parochus sponso ad celebrationem matrimonii non admittat, nisi obtenta a gubernio civili necessaria dispensatione. 3. Si sponsi impedimento tam *canonico* quam *civili* detineantur, parochus eos attentos reddat, ut obtenta prius ab Ecclesia dispensatione simul procurent sibi dispensationem a gubernio civili. <sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Instr. Em. Card. Rauscher die 19. Junii 1868. (Wien. Diöcesanbl. 1868 Nr. 19.) Similiter plura Concilia

Provinc. temporis nostri. Cf. Aichner-Friedle: Jur. eccl. Comp. §. 157. Brixinae 1900.

## D. De statu conjugali.

Quoad hunc agere intendimus 1. de honestate et obligatione actus conjugalis, 2. de cohabitatione conjugum et divortio, 3. de matrimonio convalidando.

## §. 226.

**Honestas et obligatio actus conjugalis.**

## I. Honestas actus conjugalis.

1. — **Principium I.** Actus conjugalis *per se* honestus est et licitus inter veros conjuges. Etenim medium est ab auctore naturae ordinatum ad propagandum genus humanum, imo populum fidelem, et est „signum divinae Incarnationis“.<sup>1)</sup>

Fines, ex quibus licet matrimonio uti, sunt *a)* prolis generatio, quae etsi non debeat necessario explicite intendi, numquam tamen positive excludi vel impediri sine gravi peccato potest; — *b)* evitatio incontinentiae tum in se tum in comparte 1 Cor. 7, 9; — *c)* desiderium patefaciendi vel fovendi amoris, pacis reconciliandae. — Unde liquet, licitum esse usum matrimonii *sterilibus*, quia *per se* idonei sunt ad actum conjugalem perficiendum, et generatio non fit *per accidens*, alique fines honesti intendi possunt; itemque *senibus*, dummodo copulam sufficienter perficere valeant, quod confirmatur ex praxi Ecclesiae, quae matrimonia senum permittit iisque benedictionem impertitur.

2. — **Principium II.** Actus conjugalis inter veros conjuges *per se* honestus et licitus, ut probatum est, illicitus fieri potest quandoque vel respectu conjugum, vel finis, vel temporis, vel modi, vel loci. Quae per partes sunt explananda.

1. Respectu *conjugum* usus matrimonii fit illicitus: *a.* si matrimonium est *certe* nullum, quo casu parti id scienti numquam licet vel petere vel reddere debitum. Si *dubium* est matrimonium, *dubiumque supervenit* matrimonio bona fide contracto, conjux dubitans diligentiam adhibere tenetur ad illud dispellendum, et interim non potest quidem petere, sed reddere debet petenti bona fide, utpote qui adhuc est in possessione juris; sique diligentia adhibita non potuit removeere dubium, etiam petere potest. Et

<sup>1)</sup> S. Joann. Chrys.: Hom. 12 in cap. 8. Collect. Lacens. Tom. IV ep. ad Coloss. Conc. Prov. Burdigal. pag. 830.

idem non improbabilius valet, si dubium de valore *antecessit* matrimonio; quia in dubio standum est pro valore actus, praesertim matrimonii, in cuius favorem semper in dubio est iudicandum.<sup>1)</sup> Porro *b.* si *uterque* conjux voto castitatis devincitur. Si *unus* conjux est voto castitatis ligatus, non potest petere, sed potest, imo tenetur reddere debitum; porro ipsi etiam licet se offerre, si alter *interpretative* petit e. g. mulier ex verecundia detinetur, ac vir sentit ejus voluntatem;<sup>2)</sup> vel cum advertit alterum versari in periculo incontinentiae.<sup>3)</sup>

2. Respectu *finis* vel affectus pravi, nempe si fiat actus conjugalis ob *solam* voluptatem, quia delectatio, quae intenta est a natura ut medium ad generationem, fit finis exercendae copulae. Confirmatur ex prop. 9 ab Innocentio XI. damnata: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus caret culpa ac defectu veniali.* Per se est peccatum tantum veniale. Itemque peccatum veniale est delectatio morosa de copula habita vel remote habenda cum comparte; deest enim finis honestus. Graviter peccat, qui dum accedit ad suam uxorem, aliam sibi feminam imaginatur.<sup>4)</sup> Tactus, aspectus etc. inter conjuges tunc liciti sunt, quando referuntur ad copulam (tamquam necessarii et utiles ad naturam excitandam), quia veluti praeparatio vel inchoatio sunt copulae. Quodsi ad hanc non ordinantur, sed causa voluptatis habeantur, secluso periculo pollutionis, sunt peccata venialia.<sup>5)</sup>

3. Respectu *temporis*, si adsit grave periculum sanitatis aut vitae, cum nemo sit dominus vitae suae aut salutis; attamen si morbus esset diuturnus nec proxime tendens ad mortem, simulque exstaret justa causa e. g. vitandi periculum incontinentiae vel fovendi amorem conjugalem: sanus posset petere, et alter deberet reddere.<sup>6)</sup> Tempore menstrui vel purgationis post partum coitus vix excusari potest a peccato veniali ob indecentiam, nisi adsit causa honesta v. g. periculum incontinentiae vel dissidii. Tempore lactationis coire conjugibus licet, itemque tempore praegnationis, secluso periculo abortus, quod ordinarie deesse dicunt, si concubitus sit moderatus. Non est illicitus usus conjugii diebus

<sup>1)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 18 n. 36 et 37.

<sup>2)</sup> S. Thom. In IV Sent. Dist. 32 q. 1 a. 1 ad 1. S. Alph. Lib. VI. n. 930.

<sup>3)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 930. H. A. Tr. 18 n. 41.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 913.

<sup>5)</sup> Idem n. 932.

<sup>6)</sup> Idem n. 909.

dominicus et festis.<sup>1)</sup> An die sacrae Communionis, dictum est §. 99 n. 3.

4. Respectu *modi* gravissime peccant conjuges, dum vel more sodomitico luxuriantur vel saltem prolis conceptionem impedire satagunt ad instar impiissimi Onan. Vid. dicta Lib. II. §. 171 n. 13 et 14.

Graviter peccant conjuges, dum in *loco* publico et generatim ad aliorum scandalum opus maritalis exercent. Ad rem Stapf: „*Praesertim adolescenti soboli a parentibus summa reverentia debetur. Rarum non est, ut homines omni spurcitia repleti corruptionis suae initium a propriis parentibus repetant, quippe quorum pudendae conversationis testes fuerunt. Omnem fidem superat, quae sit circa hanc materiam aetatis adhuc tenerae sagacitas. Hinc summopere dolendum est, ubi parentes proles suas sui jam quodammodo compotes vel in suo secum cubili tenent, vel coram ipsis inhoneste jocantur etc.*“<sup>2)</sup>

## II. Obligatio actus conjugalis.

3. — **Principium III.** Quamvis matrimonium sit institutum ad generis humani multiplicationem, imo ad Ecclesiam propagandam et complendum electorum numerum: conjuges tamen ad operam generationi dandam non ita obligantur, ut nulla detur exceptio. Imo si ex amore Dei et virtutis pari consensu continentiam servare vellent, excellentiorem certo viam sequerentur; *neque votum de servanda virginitate valori matrimonii obstat.* Quod s. Augustinus<sup>3)</sup> ex castissimo probat conjugio, quod inter B. M. V. Deiparam et s. Joseph, dignissimum ejus sponsum, intercessit. Hinc etiam Ecclesia plures, qui id consilii observaverant, tamquam heroicae virtutis exempla proponit, inter quos sunt s. Julianus M. et s. Basilissa Virgo,<sup>4)</sup> s. Henricus imperator et s. Chunegundis,<sup>5)</sup> s. Conradus filius Henrici IV. cum Mathilde,<sup>6)</sup> s. Eduardus, Angliae rex,<sup>7)</sup> s. Evildrida cum Ecfrido, Anglorum rege.<sup>8)</sup>

4. — **Principium IV.** Conjux conjugis *serio* et *rationabiliter* petenti sub gravi ex justitia debitum reddere tenetur. Constat

1) S. Alph. n. 923—926.

2) Tom. III §. 482.

3) Lib. II. de consensu Evang. cap. 1.

4) Martyrol. die 9. Jan.

5) Breviar. die 3. Martii.

6) Benedictus XIV.: De Servor. Dei Beatif. Lib. III. cap. 24. n. 57.

7) Off. div. die 13. Oct. Lect. 5.

8) Bened. XIV. op. c. Lib. IV. P. I c. 30 n. 10.



ex verbis Apostoli: „*Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxori viro etc.*“ 1 Cor. 7, 3. Praeterea ex debito negato tristissimi eventus oriri solent, ut incontinentia, mutua aversio, dissidia etc.

In specie 1. non excusatur a debito reddendo uxor *a)* ob timorem prolis numerosioris, quia procreatio prolis ad praecipuum finem matrimonii spectat; unde incommodum illud est intrinsecum matrimonio, *b)* ob ordinaria partus aut nutritionis incommoda, nec ob sanitatem debilitatam, ex eadem ratione.<sup>1)</sup>

2. Excusatur conjux *a)* si alter immoderate vel in ebrietate petit, *b)* si morbo contagioso laborat, *c)* si uxor experta sit se non posse parere sine probabili mortis periculo vel se filios parere mortuos; nisi conjuges essent in periculo incontinentiae, quod maxime aderit, si perpetuo deberent abstinere ab usu matrimonii.<sup>2)</sup>

### III. Cessatio hujus obligationis.

5. — **Principium V.** Obligatio haec in uno cessat, quando-cunque alter amisit jus exigendi debitum, quod potissime fit 1. per adulterium ab uno conjugum commissum, 2. per affinitatem supervenientem ex incestu, et 3. per divortium publica auctoritate factum, de quo mox infra §. 227.

1. Per *adulterium* conjux, qui illud culpabiliter patravit, jure petendi debitum privatur; etsi enim pars innocens possit, non tamen tenetur reddere. Excipitur tamen *a)* si alter conjux in idem crimen est prolapsus; *b)* si alter adulterium remisit vel expresse vel tacite, prout si conjugem adulterum, adulterio cognito, rursus cognoverit, nisi exercendo actum conjugalem expresse intendisset, illi non remittere injuriam. Ceterum adulter debitum petendo non peccat.<sup>3)</sup>

2. Per *affinitatem* supervenientem matrimonium ex incestu, conjux, qui cum alterius consanguineis in 1. vel 2. gradu copula carnali jungitur, ex lege Ecclesiae privatur jure petendi debitum conjugale, donec dispensationem obtinuerit. Igitur vir, qui peccavit cum sorore vel consobrina vel amita compartis suae, debitum petenti quidem reddere tenetur, ipse vero petere nequit. Sed ad incurrendam hanc poenam requiritur *a)* incestus *completus*, nempe

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 941, 952.

<sup>2)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 966.

<sup>3)</sup> Idem n. 953. H. A. Tr. 16 n. 49.

seminatione; b) *formalis* seu cum culpa patratu, quare mulier per vim oppressa, et *probabilius* etiam, per metum gravem inducta, hanc poenam non subit; cum metus gravis, sicut excusat a lege ecclesiastica, ita etiam a poena ecclesiastica; porro excusat *ignorantia*, nempe ignorantia *facti*, dum conjux nescit, personam ad quam accedit, esse consanguineam alterius conjugis, deest enim culpa incestus; excusat ignorantia *juris*, si nempe peccans ignorat in hoc casu legem Ecclesiae prohibentem, quia non formaliter transgrediendo legem humanam nec poena plectitur humana; excusat (saltem *valde probabiliter*) ignorantia solius *poenae* ab Ecclesia statutae, quia haec est extraordinaria, a qua incurrenda eximit ignorantia. Lib. I. §. 58 n. 4. Ceterum per accidens *incestuosus potest debitum petere*: si sentit voluntatem mulieris ob verecundiam petere non audentis, quia „tunc est potius reddere, quam petere“, vel si mulier est in periculo incontinentiae, quia innocens ex culpa nocentis non debet pati detrimentum, imo etiam (saltem *non improbabiler*), si ipse incestuosus versatur in periculo incontinentiae, et dispensatio brevi haberi nequit, quia lex ecclesiastica in tanto discrimine non obligat;<sup>1)</sup> „saltem si periculum exstet incontinentiae, relinquendus est poenitens in sua bona fide“, prudenter s. Alphonsus<sup>2)</sup> subjungit.

Super hoc impedimento petendi debitum possunt, ut communissime docent, episcopi semper et absolute dispensare,<sup>3)</sup> saltem ex consuetudine, imo dispensandi facultatem possunt non solum in casu particulari, sed etiam generaliter aliis delegare.<sup>4)</sup>

## §. 227.

### **Cohabitatio conjugum, et divortium.**

1. — Conjuges *simul habitare* debent, ratione debiti reddendi, aliarumque obligationum per matrimonium susceptarum, quas secus implere non possent. Exceptionis locus est, si separentur ad breve tempus vel si ad longius, ex consensu et justa causa, secluso incontinentiae periculo. Justaque causa esset bonum

<sup>1)</sup> De tofa hac materia s. Alph. Lib. VI. n. 1070—1075.

<sup>2)</sup> Etiam confessarius regularis, vi privilegii. S. Alph. l. c.

<sup>3)</sup> Praxis Confess. cap. 6 n. 86.

<sup>4)</sup> Idem n. 1076. Craisson: Manual. juris can. Tom. III n. 4289.

publicum vel familiae. Maritus autem, si commode possit, uxorem secum ducere debet. <sup>1)</sup>)

Gravibus de causis fas est conjuges *separari a toro et mensa* seu habitatione, ita tamen, ut matrimonii vinculum permaneat. Conc. Trid. Sess. 24. can. 8. Et potest divortium hoc esse aut perpetuum aut ad tempus subsecutae emendationis vel mali sublatis.

2. — I. *Divortium perpetuum* fieri potest duabus de causis, quae sunt 1. *mutuus conjugum consensus* eum in finem, ut ambo vel una pars Ordinem religiosum ingrediantur, aut maritus Ordines sacros suscipiat; quo spectat Christi sententia: „*Omnis, qui reliquerit . . . uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.*“ Matth. 19, 29. Ast tunc alter conjux, si non ingrediatur Religionem, sed manere velit in saeculo (quod permittitur, si sit provectoris aetatis, saltem 50 annorum), votum perpetuae castitatis coram episcopo emittere debet. <sup>2)</sup>) Insuper necesse est, ut desit incontinentiae periculum, et proles, si adsit, non indigeat parentum cura.

2. *Adulterium* juxta verba Christi: „*Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*“ Matth. 5, 32. Requiritur autem a) ut adulterium sit completum i. e. cum seminis effusione; b) ut sit certum aut ejusdem suspiciones adsint vehementissimae, ut habeatur quaedam moralis certitudo de crimine patrato; c) ut sit formale seu culpabile; d) ut alter adulterium non approbaverit, permiserit vel sua culpa adduxerit, porro ut ipse quoque adulterii reum se non reddiderit; <sup>3)</sup> e) ut non sit remissum expresse vel tacite per actum conjugalem. <sup>4)</sup>)

II. *Divortium temporaneum* fieri ob multas causas potest, quae reducuntur ad periculum animae (sollicitatio ad graviora peccata), periculum grave corporis (e. g. saevities in conjugem, comminatio mortis, percussiones atroces, frequentia convicia et jurgia, malitiosa desertio, morbus contagiosus et diuturnus). <sup>5)</sup>)

3. — Separatio conjugum a toro et habitatione *per auctoritatem judicis competentis* decernenda est. Ob adulterium autem fas est

<sup>1)</sup> S. Alph. H. A. Tr. 18 n. 51.

<sup>2)</sup> Idem Lib. VI. n. 975. Benedictus XIV.: De Syn. Lib. XIII. cap. 12.

<sup>3)</sup> Vid. Acta S. Sedis Vol. II pag. 401—406.

<sup>4)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 960—966 Inst. nostra §. 207.

<sup>5)</sup> Vid. s. Alph. Lib. VI. n. 970 et seq. Instr. §§. 208—210.

conjugi innocenti, sine iudicis sententia se ab altero non modo quoad torum (§. 226 n. 5), sed etiam quoad habitationem separare, quum Christus absolute permiserit dimittere adulterantem; dummodo adulterium sit certum, et ex separatione non eveniat scandalum, quod autem vix deerit, nisi adulterium sit notorium publicitate juris vel facti.<sup>1)</sup> Ob aliam causam privata auctoritate consortium vitae maritalis abrumpere non licet, nisi periculum sit in mora vel non possit iudex ecclesiasticus adiri, aut causa non facile probari.<sup>2)</sup> Serventur praeterea, si quae sint, statuta dioecesana.

#### 4. — **Observationes practicae.**

1. Separatio conjugum quoad familiarem convictum non raro multarum calamitatum fons esse solet; ideo non nisi tamquam minus malum ad avertenda majora mala conceditur. Quam ob rem parochus vel etiam confessarius a divortio, quoad fieri possit, conjuges avertere et dissidentes reconciliare studeat. Qui absque gravi et probata causa divortium facere contendunt, indigni sunt absolutione.

2. Quoad conjuges, *qui non petita separatione legitima sejuncti vivunt*, parochus vel confessarius sequentia attendat: *a)* Non est a Sacramentis arcenda mulier, quam publice constat fuisse a suo viro inique depulsam; at maritus non est absolvendus, nisi vitae consortium cum uxore restituat. *b)* Non est inquietandus, qui causa adulterii notorii secessit a comparte; reus autem non est admittendus ad Sacramenta, nisi crimen et scandalum reparaverit. *c)* Absolutione indigni sunt habendi, qui causa matrimonii infeliciter initi e. g. mutua aversione, se privato consilio seperaverint. Ast remoto scandalo, si sint *in bona fide*, nec moniti velint acquiescere, non sunt de hoc monendi.<sup>3)</sup> Nec inquietandos puto conjuges, qui civili tantum auctoritate sunt separati, si versentur in bona fide; vix enim erit fructus admonitionis sperandus. Serventur vero, si quae sint, instructiones episcopales.

<sup>1)</sup> S. Alph. n. 968.

<sup>2)</sup> Idem n. 971. Konings, *Theol. Mechliniensis*. Scavini Lib. IV n. 540 notat: „Si causae satis graves et canonicae existant, ut conjuges ab invicem separentur, juxta plures non essent inquietandi, si id agerent propria auctoritate et communi sententia, scan-

dalo et admiratione seclusa; nam pluribus nimis grave est, quod iudicalem sententiam cogantur provocare; saltem id tolerandum dicunt, si fiat ad tempus tantummodo.“

<sup>3)</sup> Scavini: Lib. IV. n. 540, cum Gousset.

## §. 228.

**Convalidatio matrimonii.**

Matrimonium potest esse nullum vel ob defectum consensus vel ob defectum formae Tridentinae vel ob aliud impedimentum dirimens.

1. — I. *Convalidatio matrimonii ob defectum consensus*, dum hic fide vel ex errore vel vi et metu praestitus est.

1. Si nullitas est *publice* nota, consensus coram parcho et testibus renovari debet, etiamsi conjuges prius jam in facie Ecclesiae matrimonium celebraverint. S. C. C. 30. Sept. 1719 et alias. —

2. Si nullitas est *occulta*, tunc a) quando ex *utraque* parte defuit consensus, ab utraque renovandus est, b) quando ex *una* tantum parte, satis est, ut haec vere consentiat sive per verba sive per signa (nempe per copulam maritalem, voluntariam cohabitationem), quia consensus ab altera parte vere praestitus moraliter perseverat, et ideo, dum alterius consensus accedit, mutuus consensus habetur.<sup>1)</sup>

2. — II. *Convalidatio matrimonii irriti ex defectu formae Tridentinae.*

a) Si nullitas est *occulta*, matrimonium coram parcho et testibus duobus *secreto* contrahendum est, ad scandalum vitandum; b) si nullitas est *publica*, matrimonium *publice* est celebrandum, ad scandalum removendum, vel si Ordinarius judicaverit expedire, ut secreto coram parcho et testibus celebretur (e. g. in domo a conjugibus electa), publicum scandalum alio modo removeri debet. Constat ex Instr. Card. Caprara, legati a latere in Galliis §§. 6 et 7. Si *unus* renuat coram parcho matrimonium convalidari, tunc satagendum est, ut per procuratorem contrahat matrimonium, vel obtineatur sanatio matrimonii in radice.

3. — III. *Convalidatio matrimonii irriti ob aliud impedimentum dirimens*, puta, dispensabile.

1. Si impedimentum *utriusque parti notum* est, obtenta dispensatione convalidari debet per consensus renovationem. Interim, si nullitas *publica* fuerit, conjuges separentur ad scandalum tollendum,

<sup>1)</sup> S. Alph.: Lib. VI. n. 1114. Nihilominus (ita nostr. Instr. §. 93) ad omne de consensu praestito dubium excludendum, his quoque in casibus *consultum* est, ut conjuges consensum

coram parcho et duobus testibus renovent; igitur hoc ut fiat, agendum erit, nisi obversetur prudens scandalorum vel matrimonii in discrimen adducendi metus.

si *occulta*, iis interdicator usus conjugii vel ipsa quoque cohabitatio, imminente incontinentiae periculo.

2. Si impedimentum *uni parti* notum est, matrimonium mutuo consensu convalidari debet, quocirca pars conscia tenetur parti ignoranti impedimentum manifestare,<sup>1)</sup> vel si pars inscia non posset certa reddi de conjugii nullitate absque periculo infamiae vel aliorum malorum, consensus renovari potest, si conjux conscius impedimenti per dispensationem sublato per copulam maritalem intendit exprimere novum consensum ad matrimonium valide contrahendum, sic s. Alphonsus<sup>2)</sup> cum aliis multis. Ceterum etiam peti poterit a Sede Apostolica dispensatio in radice matrimonii i. e. a novo consensu praestando.

3. Si impedimentum *neutri parti* notum est, conjuges de nullitate matrimonii erunt monendi, si certa spes, fore ut matrimonium convalidetur; secus sunt relinquendi in bona fide et sanatio matrimonii in radice peti poterit.

Observare velis, quod ad convalidandum matrimonium ob impedimentum dirimens tunc *coram parochio et testibus* consensus renovari debet, quando impedimentum est publicum; secus, si impedimentum est occultum et matrimonium prius jam in facie Ecclesiae celebratum, id quod ex constanti praxi SS. Congregationum constat.<sup>3)</sup>

4. — *Sanatio matrimonii in radice*, hactenus passim commemorata, est *sanatio consensus* contrahentium, qui initio erat vitiatus per impedimentum dirimens. Quippe *radix matrimonii* est consensus, ex hoc enim contractus ac proinde Sacramentum enascitur. Fitque sanatio consensus, qui vitiatus erat per impedimentum, per ejusdem impedimenti remotionem seu legis ecclesiasticae impedimentum statuentis abrogationem in casu particulari, ita ut jam validum fiat matrimonium et Sacramentum vi consensus ab initio praestiti et nunc a vitio impedimenti liberati, omnesque producat effectus (praepriis legitimationem prolium ex matrimonio progenitarum), perinde ac si a suis primordiis consensus legitimus fuisset. Amplior hujus doctrinae discussio ad jus canonicum spectat.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Nam in Rescriptis S. Poenitentiariae haec clausula addi solet: *Altera parte de nullitate consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.*

<sup>2)</sup> S. Alph. n. 1117.

<sup>3)</sup> S. Alph. n. 1110.

<sup>4)</sup> Vid. Acta S. Sedis Vol. I. Appendix VIII pag. 182 et seq. Perrone: De matrimonio christ. Lib. II. cap. 4 Kutschker: Eherecht B. V S. 350 etc. Aichner-Friedle: Com-

5. — *Quid agendum, si impedimentum, quo implicantur conjuges putati, non sit dispensabile?* Si 1. hoc impedimentum sit *publicum*, parochus illico praecipiat separationem a toro et cohabitatione, et rem deferat ad iudicium ecclesiasticum vel Ordinarium. 2. Si sit *occultum*, et a) quidem *neutri parti* notum, conjuges relinquendi sunt in bona fide, si non possit obtineri separatio propter nimia incommoda et scandala; b) si *utrique parti* notum, parochus conjugii usum interdicit, et nullo exstante periculo incontinentiae permittere potest, ut instar fratris vel sororis cohabitent; secus separationem urgeat; c) si *uni* parti notum, pars inscia est monenda, licet monitio non sit profutura; et recurrendum ad superiorem ecclesiasticum pro matrimonii solutione, si conjuges cohabitare nequeant absque gravi periculo fornicandi.<sup>1)</sup>

## §. 229.

**Admonitio s. Joannis Chrysostomi ad conjuges.**

*Ex ejusdem Comment. in ep. ad Ephes. Homil. 20.*

„*Vir, inquit (Apostolus), caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae; et ipse est salvator corporis ejus.* Ephes. 5, 23. Sed sicut Ecclesia est subjecta Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus . . . Unicuique locum tribuit convenientem, marito quidem principatus et providentiae, uxori vero subjectionis. Rursus eodem utitur exemplo: *Viri, inquit, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Vidisti mensuram obedientiae? audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi obedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam? ipse quoque ejus curam gere, sicut Christus Ecclesiae. Etiam si animam pro ipsa dare oporteat, etiam si millies concindi, etiam si quodvis sustinere et pati, non recusabis; et si haec passus fueris, nihil adhuc tale fecisti, quale Christus. Nam tu quidem jam conjunctus haec facis; ille autem pro adversante et ipsum habente odio. Quemadmodum ergo Christus eam, quae ipsum aversabatur oderatque et despectui habebat ac conspuebat, et per lasciviam ei insultabat, magna sua cura sibi subiecit, non minis nec contumeliis neque metu neque alia re ejusmodi: ita tu

pendiam juris canon. §. 197. Ed. 9. Manuale juris canon. Tom. III n. 447  
1900. Philipps: Lehrbuch des et seq.

Kirchenrechtes §. 279. Craisson:

<sup>1)</sup> Scavini: Lib. III. n. 833.

quoque te gere in tuam uxorem; etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciviam insultantem, etiamsi contemnentem, poteris multa ejus cura et providentia, dilectione et amicitia eam tibi subdicere. Famulum quidem poterit quispiam metu alligare, imo vero ne illum quidem, fortasse enim resiliet et abibit: vitae autem sociam, liberorum matrem, et quæ est causa et occasio omnis lætitiæ, non oportet metu et minis ligare, sed dilectione et affectione. Quænam enim est conjunctio, quando uxor exhorrescit maritum? Quamnam autem voluptate fruitur ipse maritus, cum uxore habitans tamquam cum ancilla, et non tamquam cum libera? Et si quid pro ea passus fueris, ne exprobres. Neque enim Christus hoc fecit. *Et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Erat ergo immunda, erant in ea sordes et maculae, erat turpis ac deformis, vilis erat et abjecta. Quamcunque ergo acceperis uxorem, non talem accipies sponam, qualem Christus Ecclesiam, nec quæ a te tantum absit, quantum Ecclesia a Christo. Sed tamen non est abominatus, nec eam odio habuit propter summam deformitatem; et cum talem accepisset, eam lavit et ornavit et fecit gloriosam, *non habentem maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi*. Noli aversari uxorem propter deformitatem; quære animæ pulchritudinem, quære a muliere benevolentiam, modestiam, moderationem, lenitatem et benignitatem. Hæ sunt veræ pulchritudinis notæ. Talem Deus requirit pulchritudinem.“

---



## DISPUTATIO II.

### De instrumentis quibus gratia obtinetur ex opere operantis et per modum impetrationis

§. 230.

#### Transitio.

Praeter Sacramenta in Ecclesia Dei multa alia habentur media gratiae et virtutis; media, inquam, quae non sicut Sacramenta virtute sua gratiam conferunt, sed a Deo tantum impetrant gratiam, sanctificationem non per se efficiunt, ad eam tamen praeparant, eamque juvant et augent. Sunt haec instrumenta sanctitatis et salutis 1. Sacramentalia, et 2. multiplicia devotionis christianae exercitia, privata et publica.

#### A. De Sacramentalibus.

§. 231.

#### Notio, divisio et efficacia Sacramentalium.

1. — Sensu *latiori* intellecta Sacramentalia sunt *actiones vel res ad cultum divinum ordinatae, quae hominum sanctificationi inserviunt*. Sunt quadruplicis classis: 1. alia hominem sanctificandum vel res ad hominis sanctificationem et salutem destinatas potestati daemonum eripiunt, nempe *exorcismi*; — 2. alia ad sanctificationem disponunt, in homine fidem, reverentiam, devotionem erga Deum ac res divinas excitando, nempe *caeremoniae* Sacramentis et Missae sacrificio adnexae; <sup>1)</sup> — 3. alia sanctificationem promovent et augent, videlicet *pia quaedam exercitia*, qualia sunt oratio Dominica, preces ab Ecclesia statutae (e. g. horae canonicae), orationes in loco sacro recitatae, generalis confessio in Missa et Officio divino dici solita, humilis et supplex tunsio pectoris, eleemosyna; per quae gratiae

---

<sup>1)</sup> Eodem sensu dicit s. Thomas 3. q. 38 a. 1 ad 1: *Baptismum Joannis fuisse quasi quoddam Sacramentale dis-*

*ponens ad Baptismum Christi; et ideo aliquammodo pertinuisse ad legem Christi, non autem ad legem Moysis.*

actuales obtineri, peccata venialia expiari, poenae temporales redimi possunt; — item 4. sanctificationem juvant *benedictiones* personarum et rerum, nec non ipsae *res benedictae* et *sacrae*, quibus quaedam vis salutifera adnexa est *vel* ex intrinseca sanctitate, prout ss. nominibus Jesu et Mariae, signo s. Crucis, *vel* ex benedictione Ecclesiae, sicuti aquae lustrali, candelis, palmis, cineribus, esculentis etc. Ecclesiae more benedictis; per quas impetrari possunt gratiae actuales, deleri leviora peccata, infestationes daemonis repelli, obtineri etiam beneficia temporalia e. g. sanitatis, si expediant saluti animae. Ubi notandum, quod Sacramentalia non immediate tollunt peccata venialia, sed quatenus per illa impetratur gratia ad eliciendos actus doloris vel caritatis, quorum vi peccata venialia delentur. Hinc omnibus fidelibus consulendum, ut post sumptionem aquae benedictae etc. eliciant actum doloris vel amoris.<sup>1)</sup>

Praedictae actiones ac res igitur *inserviunt ad hominis sanctificationem*, diversis modis: 1. *negative*, depellendo vel arcendo daemones, expiando peccata venialia, redimendo poenas temporales; 2. *positive*, fidem, spem, devotionem excitando et nutriendo, ut cum uberiori fructu Sacramenta suscipiantur, Missae sacrificio assistatur; gratias actuales ad bona opera impetrando, per quae gratia sanctificans augetur; imo et beneficia temporalia ad salutem animae efflagitando.

2. — Verum hos effectus Sacramentalia non producant *ex opere operato* et *infallibiliter*,<sup>2)</sup> nisi excipias exorcismum solemnem Lib. II. §. 62 n. 4. Etenim 1. *caeremoniae* Missae sacrificio et Sacramentis adjunctae ex se aptissimae quidem sunt ad fidem et devotionem excitandam, nullam tamen vi institutionis suae virtutem habent infallibiliter causandi talem effectum ex ipso opere operato; — 2. *pia illa exercitia* supra memorata vel a) solum ex opere operantis vi promissionis divinae efficaciam habent, ut opera misericordiae, vel b) simul ex divina sua origine, ut oratio Dominica, signum Crucis, nomen Jesu, aut c) ex auctoritate et intercessione Ecclesiae, cujus nomine fiunt, prout Horae canonicae, vim habent, sed non aliam quam impetrandi; — denique 3. *benedictiones* et *res benedictae* pariter ex auctoritate et intercessione

<sup>1)</sup> S. Alph. Lib. VI. n. 92.

*Baltimor.* II. a. 1866 Tit. VI cap. 10

<sup>2)</sup> S. Alph. l. c. *Conc. Prov. Vienn.*  
a 1858 Tit. III cap. 14. *Conc. Plenar.*

n. 341. Plura Suarez: De Sacrament.  
Disp. XV Sect. 4.

Ecclesiae, cujus nomine a sacrorum ministris benedictiones peraguntur, virtutem habent ad impetrandum id, quod Ecclesia in benedictionibus petit. Sed magna efficacia inest orationibus Ecclesiae, quae tamquam sponsa a Christo Domino diligitur. *Si enim singulorum jam preces, quidquid recte petant, impetraturas esse docemur, numquid quod Ecclesia Christi sponsa petit, non obtinebitur?*<sup>1)</sup> Hinc e. g. orationes fidelium in loco sacro singularem vim impetrandi auxilia divina habent ratione consecrationis et precum, quas Ecclesia in dedicatione hujusmodi loci peregit.

3. — Sacramentalia, quamvis longe inferiora sint Sacramentis, tamen connexionem et affinitatem cum eis habent; unde etiam nomen sortita sunt. 1. *Cohaerent Sacramentis*, quatenus ad ea dignius et fructuosius recipienda disponunt, vel etiam in eorum collatione adhibentur. 2. *Affinia sunt Sacramentis*, quatenus eorum effectus quodam modo imitantur, nimirum *a)* sicut Sacramenta *mortuorum*, peccata delent, scilicet venialia; *b)* sicut Sacramenta *vivorum*, conferunt gratiam, nempe actuale, et augmentum gratiae habitualis; *c)* quaedam tribuunt personis vel rebus *aliquod esse sacrum* modo permanente (consecrationes seu benedictiones constitutivae), et sic aliqualem prae se ferunt similitudinem Sacramentorum characterem imprimendum.<sup>2)</sup>

4. — Hactenus consideravimus Sacramentalia sensu latiori intellecta. Sensu *strictiori* a recentioribus Theologis solum exorcismi et benedictiones, imo a nonnullis tantum benedictiones sub compellatione Sacramentalium intelliguntur. Nunc de *Benedictionibus* scitu necessaria proferre intendimus, si de aliis quidem Sacramentalibus jam aliis in locis actum est.

## §. 232.

### De Benedictionibus.

1. — Sub Benedictionibus sensu liturgico intelliguntur *ritus, qui nomine et auctoritate Ecclesiae a sacris ministris peraguntur, sive ad personas aut res cultui divino consecrandas, sive ad aliquid boni super aliquam personam vel rem exorandum*. Hinc Benedictiones dupliciter distinguuntur: 1. *Benedictiones consecrativae* seu *constitutivae*, quibus aut personae aut res ad cultum divinum deputantur

<sup>1)</sup> *Conc. Prov. Coloniens.* a. 1859  
P. II Tit. II cap. 18.

<sup>2)</sup> Konings: *Theol. mor.* P III  
n. 1245. Bostoniae 1875.

seu in esse sacro ac religioso permanenter constituuntur; cujusmodi sunt *quoad personas*: prima Tonsura, consecratio abbatis, abbatissae, monialis etc., *quoad res*: benedictio ecclesiae, oratorii, coemeterii, calicis, patenae, chrismatis, oleorum sacrorum, salis pro Baptismate, paramentorum sacerdotalium etc. 2. *Benedictiones invocativae* seu *Benedictiones simpliciter*, quibus benignitas Dei invocatur, ut personis vel rebus benedicendis aliquid boni tribuat, quin tamen statum mutant et stricte sacrae fiant; cujusmodi sunt benedictio data ab episcopo, etiam a presbytero in Missa, et multo magis cum Venerabili Sacramento, et praecipue Pontificis Romani; benedictio nuptialis, benedictio mulieris post partum, benedictio domus, agrorum, frugum, esulentorum etc.

Res, quae per Benedictiones consecrativas ad Dei cultum sunt destinatae, nunquam ad usus profanos, licet honestos, adhiberi possunt; prout e. g. paramenta sacerdotalia, calices. Sed res, quae simpliciter sunt benedictae, ut e. g. domus, navis, candelae extra festum Purificationis benedictae, esculenta, ad usus profanos, honestos tamen, converti possunt.<sup>1)</sup>

2. — Inter Benedictiones sunt aliae propriae (seu reservatae) Romano Pontifici, aliae episcopis, aliae a simplici sacerdote fieri possunt.

1. Summo Pontifici propriae sunt benedictio Pallii, benedictio *Agnus Dei*, rosae aureae,<sup>2)</sup> gladii principis.

2. Ad episcopos pertinent *a)* benedictiones, quae sacra unctione perficiuntur, *b)* benedictiones rerum, quae non nisi ut benedictae sunt materia alicujus Sacramenti, nempe benedictio chrismatis, olei infirmorum, *c)* benedictiones primarii lapidis, ecclesiae, coemeterii, item benedictiones rerum, quae ad usum et ornatum sacrificii Missae ordinantur, ut sunt corporalia, indumenta sacerdotalia, *d)* benedictio Crucis vel imaginum, si sit *solemnis*, cum concursu populi, cantu, pluribus ministris; nam privata sine dicto apparatu, cum unico ministro, a quolibet sacerdote fieri potest S. R. C. (2143) 12. Julii 1704.

<sup>1)</sup> Hinc ossa agni vel ova in Paschate benedicta projicere canibus non est illicitum, ut ait s. Alph. Lib. VI. n. 94.

<sup>2)</sup> Haec in Dominica 4. Quadragesimae a Papa benedicuntur ac postea dono mittitur ad aliquem principem vel reginam. Benedict. XIV. epist. *Pervetustus* a. 1752.

Inter has Benedictiones *aliae* ita sunt episcopis propriae, ut ab eis nequeant sacerdotibus delegari, nempe sub *a)* et *b)* adductae. *Aliae* ab Ordinario sacerdotibus delegari possunt, prout benedictio primarii lapidis ecclesiae aedificandae, coemeterii, oratorii, reconciliatio coemeterii violati vel ecclesiae nondum consecratae; item ex Indulto Apostolico benedictio paramentorum et aliorum utensilium ad Sacrificium Missae necessariorum, ubi non intervenit sacra unctio etc.

3. Sacerdos absque delegatione omnes benedictiones facere potest, quae in Missali et Rituali habentur a benedictione aquae usque ad Benedictiones ab episcopis vel facultatem habentibus faciendas. Attamen nonnullae earum sunt *de jure parochi*, et ab aliis sacerdotibus impendi nequeunt nisi ex licentia parochi vel Ordinarii; hujusmodi sunt benedictio nuptiarum, benedictio fontis baptismalis, benedictio domorum in Sabbato sancto cum aqua a fonte baptismali ante infusionem sacrorum oleorum desumpta, benedictio communis super fruges, saltem si solemniter fiat, et illae, quae notantur in Rituali, ut fiant a parochi.

3. — Ad faciendas Benedictiones utendum est Missali et Rituali Romano, non aliis libris, nisi Missali vel Rituali Romano sint conformes S. R. C. (2689) 7. April. 1832; nec aliae formulae benedictionum sunt adhibendae, dummodo non constat eas a S. R. C. fuisse approbatas S. R. C. (2725) 23. Maji 1835.<sup>1)</sup> Quodsi in Rituali non inveniatur formula congrua pro re benedicenda, adhiberi potest *Benedictio ad omnia* cum aspersione aquae benedictae. Rit. Rom. Sacerdos ab Ordinario delegatus e. g. ad paramenta benedicenda, non debet uti formulis quae in Pontif. habentur, sed quae in Missali et Rituali reperiantur. S. R. C. (3524) 4. Sept. 1880 et (3533) 2. Dec. 1881.

Reliqua in dandis Benedictionibus observanda in Missali et Rituali Romano notantur.

4. — Speciatim de *benedictione mulieris post partum* sequentia addimus: 1. Ad hanc benedictionem jus habet solummodo mulier, quae ex legitimo matrimonio peperit, quod non est matrimonium

<sup>1)</sup> Ad dubium: *An in aquae benedictione, quae in Vigilia vel in festo Epiphaniae in aliquibus locis cum aliqua solemnitate fieri consuevit, permittendus sit ritus alius quam qui*

*praescribitur a Rituali Romano ad faciendam aquam benedictam?* respondit S. R. C. (3730) 17. Maji 1890: *Negative*. Quod rescriptum Sanctitas Sua confirmavit die 11. Junii anno eodem.

mere civile S. C. C. 31. Julii 1867; etiam mulier, cujus proles mortua, imo sine baptismo mortua est, nam S. R. C. (3059) 12. Sept. 1857 et (3904) 19. Maji 1896 rescripsit, in hoc casu servandum esse Rituale Romanum seu benedictionem impertendam esse sine ulla mutatione. 2. Mulier hanc benedictionem non petens, graviter non peccaret, nisi sic ageret ex contemptu; si vero eam omitteret ex levitate tantum vel ex ignorantia inexcusabili, venialiter peccaret praecipue ratione scandali in locis, ubi haec pia et laudabilis consuetudo viget. 3. Haec benedictio extra ecclesiam facienda non est. Conc. Prov. Vienn. 1858 Tit. III c. 2 declarat: „Ut autem preces, quibus mulier post partum in ecclesiam introducit, illico post infantis baptismum supra matrem lecto decumbentem recitentur, abusus est, qui, si hinc inde viget, absque mora tollatur.“ 4. Tandem decrevit S. R. C. (3813) 21. Nov. 1893: „Benedictionem mulieris post partum fieri debere a paroco, si expetitus ipse fuerit; posse autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae.

### §. 233.

#### Usus Sacramentalium.

Sapientia, quae desursum est, Sacramentalibus continenter et devote uti nos edocet; etenim ad auxilia superna multiplicanda et totum vitae decursum sanctificandum opem ferunt.<sup>1)</sup> Exigua quandoque sunt, quae maxima praestant emolumenta, si tamen exiguum dici potest, quod christianorum semper magni fecit pietas, quod apostolica exercuit antiquitas, quod Ecclesiae commendat auctoritas.<sup>2)</sup>

Curent imprimis concionatores et animarum rectores, ut Sacramentalium (eorum praesertim, quae frequentiora sunt) naturam, significationem, rectumque usum fidelibus exponant ac saepius inculcent.<sup>3)</sup> Eos admoneant, ut in cubiculo habeant vasculum cum aqua benedicta, qua frequenter se aspergant; ut signo crucis,

<sup>1)</sup> *Conc. Prov. Vienn.* a. 1858  
Tit. III cap. 14.

<sup>2)</sup> *Conc. Prov. Colon.* a. 1859. P. II  
Tit. II cap. 18.

<sup>3)</sup> *Conc. Plenar. Baltimoreense II.*  
a. 1866 Tit. V cap. 10 n. 350. (Collect.  
Lacens. Tom. III pag. 491.)

hac insuperabili christianorum armatura contra potestates tenebrarum,<sup>1)</sup> pio animi affectu se signent, dum primo mane surgunt e lecto, ante cubitum, ante cibum et potum, dum domo egrediuntur, intrant ecclesiam, suscipiunt negotium etc. Ex una parte a Sacramentalium vilipensione, ex altera parte ab omni superstitione et fiducia temeraria in eorundem usu fideles avertere studeant. Denique faciles se praebeant, ut suorum fidelium necessitatibus subveniant per hujusmodi remedia spiritualia, prouti distribuendo numismata, imagines aliasve res benedictas, benedicendo parvulos, infirmos, domus, res ad augendam piorum religionem accommodatas.

## B. De variis devotionis exercitiis, privatis et publicis.

Sub his comprehendimus pias preces, cultum B. V. Mariae, Angelorum et Sanctorum, processiones et confraternitates.

### §. 234.

#### Piae preces.

1. — „Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis praesidio cum virtute degere, cumque hac vitae hujus cursum peragere. Etenim qui fiat, ut quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat et supplex flexis genibus accedat ad eum, qui virtutem omnem suppeditat et largitur?“ His verbis s. Chrysostomi utens notam suppono necessitatem orationis ad vitam spiritualem et salutem; satis enim exposita jam est Lib. II. §. 48. Multum autem interest, ut observetur monitum Doctoris zelantissimi, s. Alphonsi sic loquentis: *De necessitate orationis perfecte persuasus dico, omnia scripta spiritualia lectoribus, omnes concionatores auditoribus, omnes confessarios poenitentibus nihil magis debere inculcare, quam necessitatem orationis, et eos continenter adhortari: Orate, orate, orate; si oretis, certo salvamini; si non oretis, certo condemnamini.*“<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> S. Joannes Gualbertus ad daemones comprimendos crucem quasi ensem adhibuit. Off. diei festi 12. Julii Lect. 6.

<sup>2)</sup> Abhandl. über die Nothw., die Wirksamkeit und die Eigenschaften des Gesetzes §. 3 in fine.

2. — Valde commendandae fidelibus sunt *preces jaculatoriae*, nempe oratiunculae, quibus bona nobis vel aliis a Deo efflagitamus, piae aspirationes, quibus actus caritatis, fiducia, doloris de peccatis, aliosve breviter elicimus. Magnam praestant utilitatem, utpote quibus multae gratiae impetrantur, virtutes augentur, tentationes facillime vincuntur, intellectus coelesti lumine imbuitur, erigitur affectus, inflammatur voluntas, quidquid in nobis terrenae adhaesionis et deformitatis est, paulatim detergitur, et ipsos Beatos in coelo quodammodo aemulamur.<sup>1)</sup> Fieri possunt die ac nocte, domi et foris, nullisque negotiis impediuntur, imo cuncta negotia expeditiora faciunt.

Aspirationes aliae *incipientibus*, aliae *proficientibus*, aliae valde piis seu *perfectis* magis conveniunt. Sed eliciat quivis affectus, ad quos per gratiam Spiritus Sancti sese attractum sentit. Plurimum prodest, actus caritatis frequenter elicere, atque seipsum suosque ss. Cordibus Jesu et Mariae supplicando offerre.

Ex Decreto S. R. C. (3820) 6. Martii 1894 in ecclesiis et oratoriis publicis recitari valent publice Litaniae tantum, quae habentur in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis.

### §. 235.

#### Veneratio et invocatio B. V. Mariae.

Potens est, pia est Dei mater Maria, ipsa tenente non corruimus, ipsa protegente non metuimus, ipsa intercedente digni efficimur promissionibus Christi. Igitur prae omnibus Sanctis et Electis Dei colamus Dominam et Advocatam nostram, assiduisque precibus ad eam clamemus, ut misericordes oculos ad nos convertat. Ita Conc. Prov. Vienn. a. 1858 Tit. IV cap. 8. *Singularem devotionem erga Matrem Dei ad indicia praedestinationis pertinere*, tradunt auctores, quos ceu Sanctos et Doctores colit Ecclesia.<sup>2)</sup>

Quicumque igitur animarum saluti incumbunt, cultum sanctissimae Matris tueri, fovere, promovere summopere adlaborent.

<sup>1)</sup> Stapf: Tom. IV §. 569.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura dicit: „*Sicut, o beatissima Virgo, omnis a te aversus et a te despectus, necesse est ut intereat: ita omnis ad te conversus et a te respectus, impossibile est ut pereat.*“ Speculum

B. M. V. Lect. 3. Iisdem fere verbis utitur s. Antoninus: Summa P. IV Tit. 15 cap. 14 §. 7. Multis id probat et exponit s. Alphons.: Herrlichkeiten Mariens B. I cap. 8 §. 1, auctoribus magno numero citatis.



Nonne sacerdotum curae in persona s. Joannis Apostoli Christus moriens in cruce Matrem suam commendavit? *Accipit eam discipulus in sua* Joan. 19, 27. Accipiamus et nos eam in curam nostram, ejus dignitatem fortiter tuendo contra infideles, ejus venerationem suaviter fovendo et promovendo in fidelibus, ejus gloriam ubique celebrando publice et privatim. Multa Concilia Provincialia, quae recentiora sunt, celebrata, passim animarum pastores monent, ut consuetudinem mane, meridie et vespere ad campanae signum salutandi B. Virginem, rosarii recitationem, cultum Matris dolorosae, cultum purissimi Cordis Mariae (praesertim ob conversionem peccatorum), pulchrum et fructuosum cultum, quo per mensem Maji glorificatur Maria, fovere et promovere studeant. Sunt et alii modi, colendi sanctissimam Virginem, praesertim a s. Alphonso expositi,<sup>1)</sup> quos sacerdos ipse pro viribus peragat, fidelibusque pro eorum conditione commendet. Non ultimum locum inter illos obtinet devotio, ss. Trinitati per *ter Pater et Ave*, et *Gloria Patri etc.* gratias agere pro omnibus gratiarum donis et praerogativis Beatissimae Virgini abundanter concessis.

Beatus sacerdos, qui servus est Mariae, ipsique servos congregat! Beatus populus, qui illam colit! Accipient benedictionem a Domino, gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Servus Mariae non peribit.<sup>2)</sup>

### §. 236.

#### Cultus Angelorum et Sanctorum.

Imploremus auxilia cum Christo regnantium; nam Dominus, ut clarificaret merita passionis suae in eis et gratiae praesidia nobis multiplicaret, ipsos deprecatores et intercessores nobis dedit, multumque orant pro populo Dei et pro sancta Ecclesia. Sic Conv. Prov. Vienn. Vit. IV cap. 8, quod imprimis commendat devote colere s. Joseph, cui ut patri Christus subditus fuit,<sup>3)</sup> porro eximium cultum impendere s. Michaeli Archangelo, principi militiae Angelorum, s. Joanni B., ss. Apostolis Petro et Paulo, s. Joanni discipulo, quem Dominus dilexit, venerari

<sup>1)</sup> Herrlichkeiten Mariens II. Th. S. 1 etc.

<sup>2)</sup> Memoriale vitae sacerdotalis.

<sup>3)</sup> De cultu s. Joseph multa habet *Concil. Prov. Burdigal.* a. 1868 cap. 11. Coll. Lacens. Tom. IV pag. 849, 850.

s. Patronos dioeceseos, Coelitem quem quisque in Baptismo protectorem accepit, et Angelum Custodem. His addo, quod multum juvabit sacerdotes curam animarum gerentes, ss. Angelos et Patronos fidelium sibi concreditorum supplicibus precibus frequenter invocare.

Plura Concilia Provincialia nostri temporis instant, ut de Sanctorum cultu fideles diligenter instruantur, et ad eum exercendum incitentur.

*Fac nunc tibi amicos, venerando Dei Sanctos, et eorum actus imitando: ut cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in aeterna tabernacula* Luc. 16, 9.<sup>1)</sup>

### §. 237.

#### De processionibus.

*Processio* sensu ecclesiastico intellecta est *publica supplicatio ad Deum facta a clero et christiano populo, de loco sacro ad sacrum procedente*. Processiones aliae sunt *ordinariae*, quae fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis B. M. V., in Dominica Palmarum, in festo s. Marci, triduo Rogationum ante Ascensionem Domini, in festo ss. Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum. Aliae vero sunt *extraordinariae*, ut quae variis ac publicis Ecclesiae de causis in dies indicuntur. — Ordinem in processionibus observandum describit Rituale Romanum. — *Salutares effectus* producunt, si pie instituantur; communibus quippe huiusmodi supplicationibus solent averti flagella divinae iracundiae, gratiae copiosae et beneficia etiam temporalia a Deo impetrari; praeterquam quod fidelium pietas per easdem maxime excitatur.

Processiones insuper (juxta verba Ritualis Romani) *magna ac divina mysteria continent*.

I. *Processiones* ipsae universim a) adumbrant nostram peregrinationem ex hoc saeculo in futurum, nempe in patriam coelestem; et b) quodammodo repraesentant Ecclesiam militantem, ad cujus similitudinem in processionibus coetus ecclesiasticorum veluti in varias acies distributus, ex clero et laicis componitur; „quo jucundum Deo et Angelis exhibetur spectaculum, et non modicum terroris malignis spiritibus incutitur.“

<sup>1)</sup> De Imitatione Christi Lib. I. cap. 32 n. 8.

II. *Modus*, quo processiones instituuntur, est norma recta peregrinationis nostrae ad patriam atque militiae nostrae super terram. Nimirum 1. *praefertur Crux*,<sup>1)</sup> quia in Cruce nobis est gloriandum, in Cruce spes nostra reponenda, vexillum Crucis, non Satanae, fideliter et constanter sequi debemus, ut ad victoriam de hostibus in terra et ad gloriam in patria coelesti perveniamus. 2. Praeferri solent *vexilla sacris imaginibus insignita*, quibus triumphus Christi et Sanctorum per ipsum designatur, ut magna confidentia animati ambulemus in via Domini, qua ad patriam pergimus, intrepide dimicantes contra hostes salutis, qui iter nostrum obsident. 3. *Pulsantur campanae*, quibus daemones fugantur; unde monemur, „ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus Christo, in sanctitate et justitia, omnibus diebus nostris“. 4. *Certo ordine* omnes post Crucem incedunt; ita pariter recto ordine, Christum spectante, totus vitae nostrae cursus debet esse dispositus. 5. *Bini* incedunt, ad commendandam fraternam caritatem, sociale vitam, humilitatem, prout s. Bernardus<sup>2)</sup> observat. 6. *Orantes et cantantes* incedunt; similiter in progressu vitae nostrae *orare* assidue, et *cantare* Domino, non modo vocibus, sed moribus etiam placitis, veluti bene sonantibus cantare canticum caritatis tenemur. 7. Obeuntes processionem *non otiose morantur*; sic et nos de virtute in virtutem progredi debemus. „Si quis forsitan, ita s. Bernardus,<sup>3)</sup> proficere dissimulat, et proficisci de virtute in virtutem; noverit quisquis hujusmodi est, *in statione*, non *in processione* se esse, imo vero *in regressione*; quoniam in via vitae non progredi, regredi est.“

### §. 238.

#### De confraternitatibus.

1. — Sub his intelliguntur *sodalitates fidelium sub titulo aliquo religioso auctoritate Ecclesiae institutae ad exercenda pietatis vel caritatis opera*. Post late per orbem diffusos Ordines regulares ad quandam

<sup>1)</sup> Crux deferenda est cum imagine Crucifixi non ad celebrantem seu deferentem conversa, sed ut eis tergum vertat, quasi Christus praeire videatur S. R. C. (1538) 18. Maji 1675, ad differentiam crucis archiepiscopalis, in

qua imago Crucifixi ipsum archiepiscopum respicere debet.

<sup>2)</sup> In Purific. B. V. Mariae Serm. 2 n. 2 et 3.

<sup>3)</sup> Serm. cit. n. 3.

eorum similitudinem videntur esse exortae. *Archifraternitas* est confraternitas privilegium habens alias sibi aggregandi, eisque communicandi gratias spirituales sibi ab Apostolica Sede concessas.

2. — Potestatem ordinariam erigendi confraternitates habet episcopus, ad quem pertinet quoque examinare et approbare earum statuta (ex Const. Clementis VIII. *Quaecumque* 7. Dec. 1604), nisi jam a S. Sede fuissent confirmata. Ex privilegio Pauli V. easdem erigere possunt Superiores Ordinum. Aggregatio confraternitatis ad archiconfraternitatem fit per istius officiales, praevio Ordinarii loci consensu, in eadem Constitutione requisito.

Piae istae sodalitates in omnibus subjacent jurisdictioni episcopi, qui eas quoque visitare potest, quamvis in ecclesiis seu capellis regularium sint erectae, non tantum quoad cultum, sed etiam quoad bonorum administrationem, ex Conc. Trid. Sess. 22. cap. 8. de Ref. Porro Ordinarius potest vel per se ipsum vel per delegatum assistere congregationibus sodalium, etiam pro electionibus officialium, licet in ecclesiis vel oratoriis regularium fierent; dummodo non faciat novitates S. C. C. 16. April. 1692. Nequit autem statuere, ne absque sui delegati praesentia congregentur sodales, sub poena nullitatis agendorum, juxta plura decisa.<sup>1)</sup> Prohibere potest insolita exercitia, quae offensionem aut scandalum generarent S. C. Epp. 9. April. 1602. — Adscriptiones defunctorum piis unionibus piisque operibus non sustinentur. Decr. S. C. Ind. (approb. a Leone XIII.) 5. Aug. 1897.

3. — Parocho religiosae fidelium sodalitates cordi esse debent, eas inter suos constituendo, fovendo prudenterque dirigendo. 1. *Sedes Apostolica* confraternitates non tantum probavit, sed etiam commendavit multisque Indulgentiis ditavit; numquid sacerdoti catholico illas vilipendere vel detrectare ac respuere fas est? Porro 2. *magna est confraternitatum utilitas*; excitatur enim per eas orandi fervor, inducitur et nutritur frequens Sacramentorum susceptio; imo hujusmodi sodalitatum erectio fere unicum est medium efficax, movendi fideles ad Sacramenta saepius suscipienda. Quum enim Indulgentias plenarias multis per annum diebus lucrari possint sodales, confessi et s. Communionem refecti: ideo ad confessionem et Communionem frequenter accedunt; quod

---

<sup>1)</sup> Vid. Craisson: Manuale jur. can. Tom. III n. 4672; de tota materia cap. 11 a. 6 pag. 431—438.

absque desiderio acquirendi Indulgentias ab ipsis non fieret, ut experimento constat. Istorum exemplum subinde alii imitantur. Orationis autem et Sacramentorum subsidiis muniti simul promptiores redduntur ad alia pietatis christianae opera suscipienda, statusque sui officia sedulo adimplenda. Denique 3. *confraternitates magnum juvamen et solatium adferunt animarum pastoribus*. Jam id non est praetereundum, quod fideles, quia tunc frequenter solent confiteri, parum laboris facessunt confessariis; praeterea autem occasionarii et recidivi securius redibunt ad confessionem, dum et alios vident accedentes ad sacrum tribunal, et sic emendari poterunt; dum e contrario, si non solent alii confiteri, hujusmodi peccatores ex humano respectu vix commoveri patiuntur, ut redeant ad confessionem peragendam; unde fit, ut raro emendentur. Subdo, quod ad decorem et ornatum ecclesiae procurandum, ad Dei cultum evehendum, ad scandala tollenda, piae sodalitates prudenti parochi possunt magno adjumento esse.

Praecipue *confraternitas ss. Cordis Jesu, Apostolatus orationis et confraternitas purissimi Cordis Mariae*, ob immensos, quos ubique proferunt, fructus commendari merentur. Saepenumero Leo XIII. commendavit piam Associationem Sacrae Familiae, ordinem tertium s. Francisci, a quo renovationem sociale generis humani exspectat, et piam societatem s. Vincentii a Paulo.

### §. 239.

#### **Recollectio brevis et cohortatio s. Bernardi.**

Copiose gratiae divinae, sine quibus vita christiana impossibilis est, a Christo Domino in nos descendunt, cooperantibus ipsius ac Ecclesiae suae ministris, Angelis et Sanctis cum B. Maria Virgine, nobisque ipsis cooperantibus, prout jam §. 3 innuimus et per decursum tractationis accuratius perspeximus. Ideo multa quoque diversaque praesto nobis sunt instrumenta gratiae ac virtutum, diversis modis vim suam exserentia, quae hactenus consideravimus.

Tam multis validisque gratiarum subsidiis suffulti arctam et arduam virtutis semitam viriliter sectari, et ad perfectionis verticem, „ad montem, qui Christus est, pervenire valemus“; <sup>1)</sup> quare Doctor mellifluus ita pulcherrime monet:

<sup>1)</sup> Or. Eccl. in festo s. Catharinae, d. 25. Novemb.

„Venite, ascendamus in hunc montem, fratres; et si via nobis videtur ardua, exoneremus nos; si arcta, etiam exinanire nos non parcamus; si longa, tanto magis festinemus; si laboriosa, clamemus ei: *Trahere nos, post te in odorem unguentorum tuorum curremus.* Felix, qui sic cucurrerit, ut comprehendat, imo ut ipse comprehendatur, et in illam amplitudinem montis mereatur admitti. Felix, qui in illum beatificum montem tam desideranter et perseveranter ascenderit, ut in loco sancto locum accipiens stationis, Deo Patri in sancto ejus appareat, simul et videat virtutem ejus et gloriam, haud aliam sane, quam eundem ipsum montem montium, Jesum Christum Dominum nostrum, qui est super omnia benedictus in saecula. Amen.“<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> De diversis Serm. 33 n. 9.

---

## TITULUS II.

### Veritas Christi, alterum medium vitae christianae.

§. 240.

#### Transitio et rerum dicendarum conspectus.

„Christus Dominus, inquit s. Bernardus,<sup>1)</sup> mons est, mons uberrimus, mons coelestium aromatum, charismatum spiritualium, omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum; mons, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi sunt.“ Ab eo sicut omnis gratia, ita et omnis et salutaris veritas descendit, cujus columna et firmamentum est Ecclesia catholica.<sup>2)</sup>

Si quaeritur de instrumentis, quorum ope salutaris Christi veritas per Ecclesiam in nos derivetur, praenotari oportet, quod Christi doctrina tum ab Ecclesiae ministris viva voce praedicatur, tum in documentis scriptis continetur, tum in vita B. M. V. atque Sanctorum, imo et proborum fidelium resplendet; ita ut hac etiam in re Coelites cum hominibus in terris concurrant, diversis modis, ad opus nostrae salutis, prouti jam §. 3 praemisimus. Consequenter, quamvis veritas sit una, plura tamen praesto sunt instrumenta ad eam salubriter assequendam; et haec instrumenta rursus duplicis classis distingui possunt, quatenus alia *per se* et proxime spectant ad doctrinam Christi cognoscendam, alia *per se* et praecipue spectant ad doctrinam Christi nobis applicandam, et consequenter ad mores illi conformandos; quamvis omnia inter se cohaereant et mutuo se eximie juvent.

Jam vero I. instrumenta, quae per se et proxime inserviunt ad cognoscendam veritatem, sunt 1. *auditio verbi divini*, 2. *studium doctrinae sacrae*, 3. *conversatio cum fidelibus piis et sapientibus*, 4. *lectio spiritualis*; quatenus doctrina Christi vel voce praedicata,

---

<sup>1)</sup> De diversis Serm. 33 n. 8.

<sup>2)</sup> 1 Tim. 3, 15.

vel a doctoribus erudite tradita, vel in moribus fidelium insigniter manifestata, vel libris spiritualibus mandata est. II. Instrumenta, quae per se et praecipue inserviunt ad doctrinam cognitam vitae moribusque particulariter applicandam, sunt 1. *examen conscientiae*, 2. *meditatio*, 3. *tres modi orandi* a s. Ignatio propositi; si nempe doctrinae applicatio fit ad errata cognoscenda et detestanda, est discussio conscientiae; si fit ad eliciendos pios affectus et mores componendos, obtinet meditatio; si utrumque conjungitur, habentur tres modi orandi. His accedunt *Exercitia spiritualia*, quae saltem eo modo, quo s. Ignatius ea exhibet, tum ad instructionem tum ad vitae reformationem et sanctificationem mirifice deserviunt.

### §. 241.

#### Auditio verbi divini.

1. — *Dominus noster Jesus Christus Dei filius proprio ore primum promulgavit Evangelium, deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari jussit.* Ita Conc. Trid. Sess. 4. Decr. de canon. scripturis. Quare Evangelium audire, est ipsam vocem Filii Dei audire. *Os Christi Evangelium est*, ait s. Augustinus.<sup>1)</sup> *In coelo sedet: sed in terra loqui non cessat. Nos non simus surdi: nam ille clamat. Nos non simus mortui: nam ille tonat.* Sed Christus, qui in Evangelio loquitur, non tantum foris insonat auribus nostris, sed intus etiam menti et cordi suggerit gratiam, ut quod voce percipimus, mente et voluntate amplectamur per fidem et caritatem, juxta ipsius verba per Prophetam loquentis: „*Dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas.*“ Jer. 31, 33. Hebr. 8, 10. Recole dicta Lib. I. §. 42 n. 3—5.

Inde magna vis praedicationis evangelicae. S. Augustinus, adhuc Manichaeorum haeresi imbutus, Mediolani audiebat conciones s. Ambrosii, non eo animo quo par erat, sed ut experiretur, an ejus eloquentia infra vel supra famam esset; at vero, ut ipse enarrat,<sup>2)</sup> veniebant in animum ejus simul cum verbis quae diligebat, res etiam quas negligebat; et dum cor aperiabat ad excipiendum, quam diserte diceret, pariter intrabat et quam vere diceret, gradatim quidem; et quamvis non statim catholicus fieret,

<sup>1)</sup> Serm. 85 (al. de tempore 205)  
n. 1.

<sup>2)</sup> Confess. Lib. V. cap. 14 n. 24.



tamen a Manichaeis discedere constituit. Una Evangelii vox: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc.* magnum s. Antonium, juvenem nobilitate et opibus inclytum, potuit tanto evangelicae paupertatis amore incendere, ut bonis omnibus se exueret et coelestem in terris vitam monastica professione complecteretur. S. Franciscus Seraphicus, cum illud ex Evangelio audiisset: *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam etc.*, sibi eam regulam servandam proposuit. <sup>1)</sup> S. Joannes de Deo ob auditam praedicationem verbi Dei sic ad meliora se excitatum sensit, ut jam ab ipso sanctioris vitae rudimento consummatum aliquid perfectumque visus sit attigisse. <sup>2)</sup>

2. — Ideo ne quis magno animae bono se privet vel in ipsum Deum, boni largitorem, se ingratum exhibeat, diligenter et assidue audiat verbum Dei; ad quod etiam gravis obligatio esse potest, coll. Lib. II. §. 64 n. 2. Apostolus Jacobus 1, 21 sic monet: „*In mansuetudine suscipite verbum insitum, quod potest salvare animas vestras.*“ Verbum Dei appellat *insitum*, nempe jam seminatum fidelium cordibus, innuens assiduitatem verbi divini suscipiendi, ut firma radice haereat, fructumque multiplicem referat. — Etiam sacerdotibus commendandum, ut arripiant occasionem audiendi verbum Dei, quod ab aliis praedicatur; valde enim illis quoque id proficuum esse dubitari nequit.

3. — Sed fideles verbum divinum, ut eis prosit ad vitam spiritus, audire debent cum reverentia, retinere in corde bono, et opere adimplere in patientia.

1. *Audire debent cum reverentia*, tanta quidem, quanta Christum ipsum, quia Christus loquitur nobis, nihil attendentes, a quo vel quam diserte, sed quid proferatur. Praeclare s. Augustinus ait: „*Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi praesentem Dominum: sursus est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus.*“ <sup>3)</sup> Ideoque *exhortamur caritatem vestram*, ad Christi fideles inquit, *ut impigre et vigilanter verba Dei, ministrantibus presbyteris, vos audire non pigeat. Dominus enim Deus est ipsa veritas, quam auditis, per quemlibet loquatur.* <sup>4)</sup>

2. *Retinere debent verbum auditum, sollicite conservare, sibi, non aliis applicare*, alte recondere in animo, ne ejusdem obliviscantur,

<sup>1)</sup> Off. festi d. 4. Oct. Lect. 5.

<sup>2)</sup> Off. festi d. 8. Mart. Lect. 4.

<sup>3)</sup> In Evang. Joan. Tract. 30 n. 1.

<sup>4)</sup> Serm. 20 (al. 3 ex Sirmond.) n. 5.

ideoque illud frequenter ruminare, recogitare, meditari tamquam sibi dictum, ad exemplum Prophetæ dicentis: „*In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*“ Ps. 118, 11. Porro quilibet fidelis primum recondat illud *in corde bono*, dein crescens virtutibus in corde *meliori*, ac demum in corde *optimo* Luc. 8, 15. Et cor quidem bonum est cor purum, a spinis cupiditatum terrestrium vacuum, est cor docile, flexibile, ad virtutem pietatemque propensum; quod et s. Jacobus significat verbis: „*In mansuetudine suscipite insitum verbum.*“

3. *Opere implere debent* verbum susceptum; nam beati prædicantur, qui non solum audiunt verbum Dei, sed et custodiunt illud Luc. 11, 28. „*Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*“ Rom. 2, 13. Hinc s. Jacobus 1, 22: „*Estote ergo factores verbi, et non auditores tantum.*“ Adimplere, facere divinum verbum debemus *in patientia* Luc. 8, 15, ne videlicet animum despondeamus ob tentationes et afflictiones, quæ non desunt volentibus pie vivere, nec non ob fragilitatem nostram, pro qua sæpe in pristinos defectus recidimus.

Verbum Dei debite et cum fructu audire, s. Bernardus<sup>1)</sup> reputat signum prædestinationis. Contemptum verbi divini notam reprobationis existimat s. Gregorius Magnus.<sup>2)</sup>

4. — Supervacaneum foret adnotare, quod sacerdos, ut munere prædicandi ad fidelium utilitatem probe fungatur, Christum prædicare tenetur, „*sapientia prædicantium vel magistrorum Christus est*“, dicit s. Anselmus.<sup>3)</sup> Ast non verbo solum, sed exemplo etiam prædicare debet: „*Tanto namque efficacius bonum exemplo quam verbo persuadetur, quanto boni mores in tacente diliguntur, et facundia in torpente contemnitur*“, idem s. Doctor observat.<sup>4)</sup> Si quæ in se peccata animadvertat, animam purget; imo in statu peccati mortalis concionantem communiter non excusant a peccato veniali, ob aliqualem irreverentiam, quæ fit verbo divino.<sup>5)</sup> Attentissime caveat, ne superba sui aestimatione vel minimum infletur; magno opere enim impedit fructum hæc labes.<sup>6)</sup> Ardenti oratione Deum imploret, ut quod exterius ore proferet, intimis in cordibus auditorum ipse gratia sua inscribat. Numquam s. Thomas a Villa-

1) In Septuag. Serm. 1 n. 2.

2) In Evang. Hom. 18 n. 1.

3) Homil. 7 in Evang. Luc.

4) Epist. Lib. I. ep. 71.

5) S. Alph. Lib. VI. n. 40.

6) Vid. s. Chrys. Lib. V. de sacerdot. c. 7 et 8.

n o v a, <sup>1)</sup> numquam alii pii sacerdotes ad conciones habendas perrexerunt, nisi precibus ad Deum effusis. Leo XIII. die 4. Julii 1880 sanctum Joan. Chrysostomum sacrorum oratorum patronum constituit.

\* S. Joannes Chrysostomus: Homil. 1 in Matth. Hom. 1 in Joan. Hom. 3 in ep. 2. ad Thess. Hom. 3 de Lazaro n. 1—3. Hom. 3 in princip. Actorum n. 1—2, et alias. S. Gregorius M.: In Evang. Lib. I. Homil. 15 (de verbo Dei retinendo et fructibus afferendis in patientia). S. Anselmus: Tract. de concordia gratiae et liberi arbitrii cap. 6 (quomodo in verbo Dei salubriter suscipiendo gratia et liberum arbitrium concurrant). S. Bernardus: De diversis Serm. 24 de multiplici utilitate verbi Dei.

### §. 242.

#### Studium doctrinae sacrae.

1. — Non tantum pia verbi divini auditio est medium vitae spiritualis, sed et solers ejusdem studium conducere potest ad pietatem christianam, dummodo recte instituat. Imo *finis sacrae doctrinae, in quantum est practica, beatitudo aeterna*, d. Thomas <sup>2)</sup> inquit. <sup>3)</sup>

Nimirum 1. studium doctrinae sacrae par est confirmando fidem, quatenus per sic dicta motiva credibilitatis divina origo religionis et Ecclesiae catholicae certissime ostenditur; per probationes dogmatum ex fontibus revelationis palam fit doctrinas, quascunque Ecclesia tamquam divinitus revelatas proponit, revera et eo sensu, quo ab Ecclesia sunt definitae, in fontibus revelationis contineri; atque veritatibus divinis perspicue intellectis errores facilius vitantur. 2. Aptum est hoc studium fovendo adhaesionem et subjectionem erga Ecclesiam catholicam, consideratis argumentis, quod est una vera Christi Ecclesia, una salvifica, indefectibilis et infallibilis. 3. Idem studium arma subministrat animumque addere valet ad decertandum pro doctrinis, institutionibus et juribus Ecclesiae contra adversarios stulta vesania iis repugnantes. 4. Juvat amorem et gratitudinem erga Christum Dominum, qui Ecclesiam instituit, tam praeclaris dotibus instruxit, tantisque bonis supernaturalibus ditavit propter aeternam hominum salutem,

<sup>1)</sup> Lit. Canoniz. ab Alex. VII. a. 1658 edit. §. 8.

<sup>2)</sup> Summa Th. q. 1 a. 5.

<sup>3)</sup> De hoc themate s. Alphon-

sus: Einige Bemerkungen für junge Leute, die sich mit theologischen Studien beschäftigen. Übers. der moralth. Werke B. 7. Regensb. 1844.

quique nos immeritos, imo rationis adhuc impotes ex sola misericordia illi aggregavit. 5. Perspicientes maximum pretium, simul atque necessitatem ac utilitatem veritatum coelestium fortius inclinamur ad eas profitendas et opere exsequendas. 6. Quam pulchrae et delectabiles nobis apparent veritates divinae, pio studio exquisitae, etsi eas tantum per speculum in aenigmate (1 Cor. 13, 12), nempe imperfecte et quasi procul cognoscimus! Exultans s. Franciscus Salesius exclamavit: „O Deus, pulchritudo fidei nostrae tam gratiosa mihi apparet, ut amore ejus mori vellem!“ Nonne vero exinde inardescere poterit animus desiderio, „manifestissimam beatis oculis ascipiendi veritatem, et contemplationis divinae dulcedine potiendi in saecula saeculorum?“

2. — Ut vero studium theologicum proficuum sit ad pietatem, requiritur 1. *spiritus ecclesiasticus* seu tenera mentis cordisque affectio ad Ecclesiam catholicam, sponsam Christi, quae spiritu Christi animatur et regitur. Cui plane oppositus est *liberalismus ecclesiasticus*, qui ultimam normam omnis veri et boni in ipso homine, nempe in subjectivis ideis et principiis, non autem in divina Ecclesiae auctoritate reponit.<sup>1)</sup> Iste tantum abest, ut juvet fidem et vitam ex fide, ut potius penitus destruat fidem. Aemulentur, qui scientiae sanctorum operam navant, in pio erga Ecclesiam et Apostolicam Sedem affectu praeclarissima Sanctorum exempla. S. Hippolytus presbyter, Novati schismate aliquantulum deceptus, gratia Christi operante ad unitatem Ecclesiae rediit. Hic Antiochiae a suis rogatus, quaenam secta verior esset, exsecratus dogma Novati, eam fidem dicens esse servandam, quam Petri Cathedra custodiret, jugulum praebuit.<sup>2)</sup> S. Dionysius Corinthi episcopus Romanos Pontifices adeo coluit, ut eorum epistolas publice legere in ecclesia diebus dominicis consueverit.<sup>3)</sup> Novemdecim Martyres Gorcomienses nuncupati Brielaë in Hollandia ob tuendam Ecclesiae Romanae auctoritatem a Calvinianis haereticis varia ludibria et tormenta perpessi, extremo supplicio martyrium consummarunt.<sup>4)</sup>

2. *Mundities et humilitas cordis* requiritur. Nam „*animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et*

<sup>1)</sup> Vid. Constant. Schüzler: Divus Thomas Doctor Angelicus contra Liberalismum invictus veritatis catholicae assertor. Romae 1874.

<sup>2)</sup> Martyrolog. die 30. Jan.

<sup>3)</sup> Martyr. die 8. April.

<sup>4)</sup> Martyr. die 9. Julii.

*non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*“. 1 Cor. 2, 14. Et *declaratio sermonum divinorum intellectum dat parvulis* Ps. 118, nempe humilibus. B. Clemens Maria Hofbauer suis dicere solebat: *Estote humiles, alioquin verbum Dei fabula vobis videbitur.*<sup>1)</sup> Porro s. Joannes Chrysost. ait: „*Ab omnibus animi passionibus oportet esse liberum eum, qui est venaturus veritatem.*“<sup>2)</sup> Item Leo XIII. in Encycl. 4. August. 1830 dicit: „*Est virtus ad periclitandas ingenii vires, adipiscendamque doctrinam praeparatio optima.*“ Hinc Conc. Prov. Vien. 1858 Tit. I cap. 3: „*Viri, quibus scientiae theologiae incrementa maxime debentur, ita vixerunt, ut Coelitibus adscribi mererentur.*“ Studium sacrae doctrinae cum spiritu profano, nempe inflato et immundo, susceptum nec ad fidem neque ad bonam operationem proficere potest. Imo aberrationes omnes a veritate catholica exordium sumpserunt ex superbia vel luxuria, vel utraque simul. Vere dicit cl. Perrone: „*Tolle superbiam, tolle cupiditates, et apostasia omnis sub quovis respectu sive partialis sive totalis a mundo exulabit.*“<sup>3)</sup>

3. Requiritur *pura intentio*, ut patet, et *oratio* ad Patrem luminum, ut ope divinae gratiae studium ad progressus non solum in scientia, sed etiam in vita spiritus faciendos conducat. „*Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas. — Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. — Viam justificationum tuarum instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis. — Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. — Da mihi intellectum, et discam mandata tua. — Da mihi intellectum, et vivam.*“ etc. Ps. 118. Leo XIII. s. Thomam Aquinatem Patronum studiorum die 4. Aug. 1880 constituit. Hic socio suo Reginaldo aperuit, se eruditionem et scientiam suam non tam ingenio ac studio, quam fuis ad Dominum precibus acquisivisse; quod Reginaldus post ejus decessum crebro in scholis referre solebat, dignum profecto, quod studiosi imitentur.<sup>4)</sup> Id imitabantur s. Aloisius, s. Joannes Berchmans, qui non nisi oratione praemissa studiis animum applicarunt. Sic et s. Joannes Nepomucenus cum maximo in literis profectu,<sup>5)</sup> sic et alii egerunt. B. Clemens Maria Hofbauer, adhuc juvenis, cum animad-

<sup>1)</sup> Acta Beatif. pag. 302. Romae 1866.

<sup>2)</sup> In ep. 1 ad Cor. Homil. 9.

<sup>3)</sup> Praelect. de virtutibus theol. n. 533. Ratisb. 1865.

<sup>4)</sup> Surius die 7. Martii §. 10.

<sup>5)</sup> Surius die 16. Maji §. 4. Edit. nova Taurini.

verteret virum doctum Joannem Jahn ex Ordine Praemonstratensium (qui serius Professor studii biblici in Universitate Viennensi factus est) nimium studiis, ac minus quam par erat precibus vacare, consuluit ipsi, ut plus temporis orationi, minus lectioni impenderet, alias enim rem ipsi haud bene successuram, quod etiam eventus comprobavit, siquidem ejusdem opera ob doctrinas minus rectas Indici librorum prohibitorum sunt inserta.<sup>1)</sup>

### §. 243.

#### Pia conversatio.

1. — Quemadmodum societas malorum detrimentum animae adferre solet, ita conversatio cum probis vereque sapientibus multum prodest ad proficiendum in doctrina et virtute christiana. „*Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.*“ Prov. 13, 20. Apte dicit s. Gregorius M.: „*Viva lectio est vita bonorum.*“<sup>2)</sup> Imo, una piae conversationis hora sapientiorem te potest efficere et meliorem, quam diuturna lectio, merito pius quidam scriptor<sup>3)</sup> asseverat. Instructio, quae fit non arte quaesita, sed occasione data, per modum familiaris conversationis, gratius accipitur firmissime tenetur; atque exempla, quae monstrant factibilia, quae facienda suadentur, ad sectandas virtutes fortius movent. Utilitatem piae conversationis etiam experientia testatur. S. Franciscus Xaverius ex conversatione cum s. Ignatio Parisiis ad arctam Christi sequelam sprete mundi gloria adductus, s. Petrus Claver S. J. ex conversatione cum s. Alphonso Rodriguez ad currendam altioris virtutis semitam multum adjutus est. S. Philippus Neri dicere solebat: „Si in mea juventute aliquid boni erat, id debeo conversationi, praesertim cum duobus Dominicanis.“<sup>4)</sup> Ipse piis ac familiaribus colloquiis plurimos ad virtutes erudiebat confluentes.<sup>5)</sup> Ad b. Clementem Mariam Hofbauer conveniebant Vindobonae quotidie juvenes multi literarum studiosi, quos per colloquia, omni ornato dicendi modo posthabito, eminentem scientiam Jesu Christi docuit et ad pietatem convertit, imo et ad perfectionem perduxit. Sola conversatio erat

<sup>1)</sup> Acta Beatif. de Virtut. pag. 99. Romae 1873.

<sup>2)</sup> Moral. in Job Lib. 24. n. 16.

<sup>3)</sup> Lectiones in usum cleri Ed. 4. Viennae 1834 pag. 251.

<sup>4)</sup> Poesl: Leben des hl. Phil. Neri S. 4. Regensburg 1851.

<sup>5)</sup> Bulla Canoniz. a. 1623 §. 9.

sufficiens, ut multi tum catholici tum protestantes e corde proicerent omnes errores, qui ab eo fuerant refutati.<sup>1)</sup>

2. — Igitur virorum proborum et sapientium exquirenda consortia, audienda monita, petenda consilia, imitanda exempla. S. Antonius Abbas, quemcunque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studebat.<sup>2)</sup> S. Pius V., quum in adolescentia Ordinem s. Dominici esset ingressus, totus in eo fuit, ut viva probatorum patrum exempla sibi proponeret imitanda.<sup>3)</sup> Ipse Spiritus Sanctus monet: „*In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde conjunge, ut omnem narrationem Dei (quae est de Deo et divinis) possis audire, et proverbialaudis (i. e. quae sunt in laudem Dei) non effugiant a te. Et si videris sensatum (sapientem), evigila ad eum (studiose et assidue perge ad eum audiendum), et gradus ostiorum illius exterat pes tuus (crebro eum adi et visita). Eccl. 6, 35—36. Vid. ibid. 8, 9—12. S. Isidorus ait: „Bonorum societatem require; si fueris socius conversationis, eris et virtutis eorum.*<sup>4)</sup> Profecto, ut s. Gregorius M. dicit, *qui sancto viro adhaeret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugiat, in desiderio lucis exardescat.*<sup>5)</sup>

3. — Cum vero sacerdos praecipue adiri debeat a fidelibus ad suscipienda consilia prudentiae et hortamenta virtutum, ideo sollicite attendat, quod praeclare s. Joannes Chrysost. monet: „*Animae ejus pulchritudinem splendere oportet, ut spectatorum animos oblectare simul et illustrare possit.*“<sup>6)</sup>

#### §. 244.

### Pia lectio.

1. — Librorum spiritualium, qui probati sunt, lectio attentata et devota est veluti quaedam conversatio cum Deo, cujus doctrinam et vocem per illos percipimus. Ex tali autem conversatione nonnisi maxima utilitas animae provenire potest; quare omnes piam lectionem tamquam subsidium perfectionis christianae commendant. Innumera exempla vim lectionis spiritualis comprobant.

<sup>1)</sup> Acta Beatif., Summ. n. 9 de fide pag. 69.

<sup>2)</sup> Festo die 17. Jan. Off. Lect. 4. n. 6.

<sup>3)</sup> Bulla Canoniz. a. 1622 §. 4.

<sup>4)</sup> In Synonimis cap. 9.

<sup>5)</sup> In Ezech. Lib. I. Homil. 5

<sup>6)</sup> De sacerdotio Lib. III. n. 14.

S. Chrysanthus, qui Romae Martyr occubuit, assidua Evangelii lectione ab idolis ad Christum est conversus, et Dariam conjugem quoque ad eundem convertit. S. Augustinus lectione verborum Apostoli Rom. 13, 13 penitus est corde immutatus. S. Ignatius ex fortuita vitae Sanctorum lectione ad Christi Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Frequentes sunt ss. Doctorum adhortationes ad piam lectionem. S. Hieronymus ait: „*Semper in manibus (sit) sacra lectio.*“<sup>1)</sup> S. Bonaventura monet: „*Lectionibus divinis est anima nutrienda.*“ Similiter alii.

2. — Legantur potissime libri, qui a Sanctis sunt conscripti, opera s. Bernardi, s. Francisci Salesii, s. Alphonsi, s. Bonaventurae, porro libri omnium utilitate comprobati, quales sunt Thomae a Kempis, Ludovici de Granada, Rodriguez, Ludovici de Ponte, Crasset, Scaramelli, Scupoli etc. Vid. Lib. I. §. 13 n. 7.

Permulum ad acuendum perfectionis studium faciunt biographiae Sanctorum, eorum maxime, qui eundem nobiscum vitae statum tenuerunt, et ab aevo nostro non adeo distant. S. Basilius,<sup>2)</sup> s. Ambrosius,<sup>3)</sup> s. Hieronymus,<sup>4)</sup> s. Augustinus,<sup>5)</sup> s. Gregorius M.,<sup>6)</sup> s. Bernardus<sup>7)</sup> exempla Sanctorum tamquam normam regulamque morum valde commendant. Familiare est s. Gregorio M. in suis scriptis, virtutum studium exemplis sanctorum accendere. Inter Sanctorum biographias illae sunt utiliores (sed etiam rariores), in quibus non tantum heroicae eorum virtutes, ut par est, extolluntur, sed etiam imperfectiones, naturae infirmitates, tentationes et pugnae illorum vehementissimae non raro atque assiduae sincere referuntur; magis enim animum lectoris propriae miseriae consciium erigunt, provocantque et confortant ad eosdem viriliter aemulandos.

Sacerdotes praeterea assidui sint in legenda s. *scriptura*, quae proprie liber sacerdotalis appellari potest, quia non unicuique fidelium illam legere fas est. S. Paulus Timotheum 1 ep. 4, 13 adhortatur: „*Attende lectioni, exhortationi et doctrinae Haec meditare, in his esto.*“ Et s. Ambrosius scribit: *Cur non illa tempora,*

<sup>1)</sup> Epist. 52 (al. 2) n. 7.

<sup>2)</sup> Epist. 1 ad s. Gregorium Theologum.

<sup>3)</sup> De offic. Lib. II. cap. 20.

<sup>4)</sup> Epist. 130 (al. 8) n. 17.

<sup>5)</sup> Enarr. in Ps. 39 n. 6.

<sup>6)</sup> In Ezech. Lib. II. Hom. 3 n. 20—22. Lib. 27. Mor. in Job cap. 10 n. 17.

<sup>7)</sup> In natali s. Victor. Serm. 1 n. 3 et 4.



*quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas? Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula.*"<sup>1)</sup> Etiam praeclaris ss. *Patrum scriptis* mentes cordaque pascere, commendandum est sacerdotibus et clericis omnibus. S. Carolus Borromaeus ita clerum monuit: „*Quotidie aliquid ex sacris Bibliis legite; ac si per ecclesiasticas occupationes licet, qui apti estis, aliquid item ex ss. Patrum opusculis.*“

3. — Ut lectio spiritualis veram utilitatem pariat animae, 1. non instituatur nisi benedictione a Deo petita, 2. fiat debita intentione, non ex curiositate vel sciendi cupiditate, sed ex desiderio proficiendi in via salutis, 3. non multa, sed multum legas, non raptim et praepropere, sed mature et iterato, lecta applicando ad animae tuae statum, lumina percepta breviter scriptis mandando, quod praesertim fieri expedit in lectione s. scripturae. *Multi etenim legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt, conqueritur s. Gregorius Magnus.*<sup>2)</sup> Melius est, unum bonum librum decies, quam decem bonos libros semel legere.

\* De lectione s. scripturae: S. Augustinus: Epist. 132 (quo animi fervore lectioni s. scripturae vacare oporteat). S. Gregorius M.: Lib. I. in Ezech. Hom. 6, 7, 9, 10. Lib. III. epist. 67. Lib. IV. epist. 31. Lib. VIII. epist. 17. Lib. XII. epist. 40 (lectionem s. scripturae tamquam virtutis medium commendat). De lectione spirituali generatim s. Bonaventura: Pharetra Lib. IV. cap. 32 (multa ex ss. Patribus). S. Franciscus Salesius: Philothea P. II cap. 17. S. Alphonsus: Die Braut Christi B. I. Scaramelli: Anleitung zur Ascese B. I. Abschn. 4. Rodriguez: Übung der christl. Vollkommenheit, B. I. Abh. 5. cap. 28.

## §. 245.

### Examen conscientiae.

1. — Maximi momenti negotium omnibus, qui virtutis semitam sectari et in ea proficere cupiunt, est examen conscientiae; imo ad confessionem rite peragendam omnino necessarie exigitur. Duplex distinguitur, generale et particulare.

Sub *generali* examine illa conscientiae discussio intelligitur, qua quis a certo tempore omnia sensa, dicta et facta nec non omissiones ad Dei et Ecclesiae praecepta severe exigit.

Qui illud instituere vult, si a multo tempore non est confessus, 1. lumen divinum ad perscrutandas conscientiae latebras humiliter imploret; 2. conscientiam discutiat juxta ordinem decalogi et prae-

<sup>1)</sup> Lib. I. de offic. cap. 20 n. 88.

<sup>2)</sup> Lib. I. in Ezech. Homil. 10 n. 7.

ceptorum Ecclesiae, peccata capitalia et obligationes proprii status, disquirendo an circa haec cogitatione, verbo, opere et omissione deliquerit; quod ut facilius consequatur, recogitet loca ubi fuit, personas cum quibus egit, negotia quae tractavit, animi affectiones quibus indulgere consuevit; et in hac discussione non tantum peccata, sed etiam (si mortalia sint) eorum numerum et species exploret; si frequenter confitetur, sufficit ad pravos habitus, ad peccata magis consueta, vel summam ad peccata contra Deum, proximum et seipsum attendere. 3. Magna cura dolorem et propositum ex motivo supernaturali eliciat, atque in iis specialiter insistat.

Optimus modus examinandi singulis diebus conscientiam hic est:<sup>1)</sup>

*Praeparatio:* Fides in Dei praesentiam vivide excitetur.

*Pars I.* Beneficia divina per diem accepta in memoriam revoces et expendas, ut intelligas, quam benevole Deus amantissimus tecum egerit, quantumque Deo pro omnibus, quae retribuit tibi, ex grato amore debeas.

*Pars II.* Te ipsum examina, quomodo erga Deum tam benignum per diem egeris. Quem in finem 1. implorato lumine divino ad omnes defectus cognoscendos, 2. sedulo inquiras, qualis per singulas diei horas conversatio tua fuerit; 3. considerata peccatorum commissorum turpitudine, tua erga Deum ingratitude, Dei amabilissimi offensione, dolorem de culpis admissis elicias cum firmo proposito, ad omnes circumstantias determinato; atque auxilium divinum ad vitae emendationem instituendam fiducialiter implores.

*Conclusio* fit per Dominicam orationem.

2. — Sancti Doctores et omnes vitae spiritualis magistri quotidianum conscientiae examen enixe commendant. „Singulis diebus, inquit s. Chrysostomus, vespere ab anima rationem exige. Id si quotidie diligenter feceris, terribili futuri iudicis tribunali laetus assistes.“<sup>2)</sup> Imo ipsi gentiles ad hoc natura duce impellebantur. Sic e. g. Pythagoraeis olim quotidianus fuit usus: „quid quoque die dixeris, audieris, egeris, vespere commemorare.“ Seneca scribit: „Quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta

<sup>1)</sup> Vid. s. Ignat. in lib. Exercit. spiritual. hebd. I. post fundamentum.

<sup>2)</sup> Homil. in Ps. 4.

mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo.“<sup>1)</sup> Quodsi pagani hoc virtutis subsidium tanta cura adhibuerunt, nonne christianus, clericus, sacerdos erubescat oportet, si raro tantum conscientiam suam discutiat?

3. — Examen *particulare* est inquisitio in aliquem defectum singularem, ut efficacius corrigatur. Utilitas ejus maxima est; cum enim pro conditione nostra, ubi pluribus simul intenti sumus, ad singula deficere soleamus: maxime juvat, ope hujus examinis adversus singulos hostes singulare certamen instituere, ut successive singuli profligantur. Profecto, *si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur.*<sup>2)</sup> Jam vero inter vitia praepriis illud est extirpandum, quod veluti radix ceterorum in nobis pullulat. Inter defectus leviores primo loco ille excindatur, qui in aliorum offensionem vel scandalum cadit.

Methodus instituendi examen particulare accurate describitur a s. Ignatio in lib. Exercit. hebd. 1. post fundamentum.<sup>3)</sup>

#### §. 246.

### M e d i t a t i o .

1. — Meditatio duplici sensu accipi potest, latiori et strictiori.

1. *Sensu latiori* meditatio est *divinarum veritatum consideratio ad vitam eis conformandam, abstrahendo a peculiari methodo vel forma.* Sic intellecta meditatio est necessaria omnibus, ut veritates revelatae salubrem in eis producant effectum; adjungi debet tum auditioni tum lectioni verbi divini. Quid enim sunt fidei veritates, si solis excipiantur auribus, aut oculis hauriantur e libro? Semen sunt cadens *super viam* (Matth. 13). Instrumentum vero, cujus ope semen verbi divini in corde nostro germinat et fructificat ad poenitentiam vitamque christianam, est attenta et pia ejusdem consideratio. Conqueritur propheta: „*Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.*“ Jer. 12, 11. Nimirum, quia homines haud perpendunt seu recogitant religionis dogmata, ideo omnis terra vitiis malisque repleta est. Contra „*in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*“ Eccli. 7, 40.

2. *Sensu strictiori* meditatio est *methodica seu certa methodo instituta consideratio veritatum divinarum ad finem supra denotatum.*

<sup>1)</sup> Lib. 3 de ira cap. 36.

<sup>2)</sup> De imit. Christi Lib. I. cap. 11.

<sup>3)</sup> Multis hanc methodum ex-

planat Rodriguez: Übung der christl. Vollkommenheit. B. I Abth. 7. cap. 2 etc.

Hic meditandi modus, in quo (ut mox videbimus) omnes pie exercentur animae facultates, non quidem stricte necessarius, valde tamen utilis est; siquidem per curam exactiorem, quae in illa methodo impenditur meditandis veritatibus, mens lumine veritatum divinarum perfunditur, proprii defectus et animae indigentiae ac pericula clarius innotescunt, orationis necessitas vividius sentitur, oratio majori devotione peragitur, cor flexible redditur ad gratias divinas suscipiendas, virtutis studium et Deo in omnibus placendi desiderium accenditur, familiaris cum Deo conversatio efficitur, voluntas a malo retrahitur et in bono confirmatur: *oratio mentalis et peccatum una simul cohaerere non possunt*, ait s. Alphonsus.<sup>1)</sup>

2. — Methodus meditandi haec est:

I. *Praeparatio*, quae est remota et proxima.

1. Praeparatio *remota* consistit in electione materiae in certa puncta dispositae. Optima materia meditationum est vita et passio Christi. Peccatores, qui ad Deum converti desiderant, meditationum materiam merito accipient peccati turpitudinem, et hominis novissima. Qui mane vult meditari (quod tempus optimum est), jam pridie materiam eligat.

2. Praeparatio *proxima* est ipsa meditationis ingressio, quae consistit *a)* in Dei praesentia recolenda per actum fidei, *b)* in oratiuncula, qua a Deo gratia petitur, ut meditatio omnesque actus, qui in ea fient, ad gloriam suam et animae salutem cedant. Etiam B. M. V., Angelos et Sanctos invocare convenit.

II. *Meditatio* ipsa.

1. Praevie revocanda in memoriam est materia meditationis; juvabit, si haec materia est factum, illam per imaginationem ita sibi proponere, acsi in praesentia perageretur; si doctrina, imaginari personam, quae eam tradidit, vel illam sub aliqua similitudine et figura (si possibile sit) sibi repraesentare. Dein petenda a Deo gratia, ut mens et voluntas ab hac veritate efficaciter penetrentur.

2. Sequitur *consideratio* veritatis ad meditationem acceptae, ad illamque instituendam saepe juvabit ratiocinari juxta versiculum notissimum: *quis? quid? cur? quomodo?* etc. Considerationi adjungantur actus fidei, adorationis, admirationis, gaudii, compassionis, gratiarum actionis, prouti materiae conveniunt.

---

<sup>1)</sup> H. A. Append. 4 §. III.

3. *Applicanda* est a meditante veritas considerata ad se ipsum, interrogando: quaenam doctrina practica ex illa pro me sequitur? an eam hactenus observavi vel neglexi? quaenam sunt causae transgressionis et infidelitatis a me commissae?

Elicito dolore de peccatis patratis firma *proposita* emendationis concipiantur, eaque *particularia et maxime practica*, respiciendo ad tentationes et occupationes consuetas. Expedit proposita concepta motivis firmare, e. g. aequum et justum, necessarium, utile, amoenum, facile esse, illa ad amussim exsequi. Propriae infirmitatis conscius meditans per humiles et fiduciales *preces* a Deo gratias necessarias ad exsequenda proposita efflagitet, intercessionem B. M. V. imploret.

III. *Conclusio*. Haec fit per Dominicam vel aliam orationem. Commendandum est, ut unum vel alterum punctum, in quo anima magis mota est, ad eam recreandam inter diei negotia colligatur; utque lumina divina inter meditationem accepta chartulae breviter inscribantur.

In toto egregio apparatu (ut ita dicam) meditationis *praecipua et quasi essentialia* sunt, post brevem veritatis cujusdam considerationem elicere pios affectus seu actus e. g. fidei, caritatis, gratitudinis, inde convenientes; formare particularia emendationis proposita, et preces pro obtinenda gratia necessaria adnectere; propositis et precibus plurimum temporis impendi debet. Unde conspicitur, quod *omnes, qui volunt, meditationem peragere possunt*. Vel quis est, qui non possit aliquam fidei veritatem pie recogitare, affectus ei convenientes atque salubria proposita concipere, Deumque orare?

Hinc confessarius non omitat, poenitentem, cui tempus et bona est voluntas, ad instituendam meditationem inducere; quod facillime praestare poterit. Videlicet primam breviter explicato modo, quo meditatio fiat, poenitenti proponat aliquam veritatem e. g. mysterium passionis Domini, dein quid de hoc mysterio considerari, perpendi possit (e. g. caritas Christi immensa erga homines) indiget, tum quinam apti affectus e. g. fidei, gratitudinis, elici ac qualia proposita formari et preces adjungi possint, paucis insinuet; jubeat poenitentem omnia dicta repetere, ipsique commendet, ut singulis per hebdomadem diebus saltem per unum quadrantem (ab initio sufficientem) hoc exercitium instituat. Postea a poenitente redeunte rationem meditationis peractae exigat, si

defecerit, instructionem repetat; aliamque materiam eodem modo assignet et disponat, rursus per plures dies meditandam, deinceps poterit poenitenti librum aptum assignare vel tradere, quo utatur ad meditationem praedicto modo peragendam.<sup>1)</sup> Hac ratione homines penitus illiterati et simplices (experientia testante) facillime inducuntur ad pium ac utilissimum hoc exercitium frequentandum. S. Rosa Lima na, ut in Bulla Canoniz. Clem. X. a. 1671 §. 17 legitur, ad orationis praecipue mentalis exercitium proximis allicere studebat, et confessarios exorabat, ut ad eam omni arte poenitentes inducerent.

Benedictus XIV. in Const. *Quemadmodum* 16. Dec. 1746 omnibus fidelibus, qui quotidie per dimidiam horam vel saltem per unum quadrantem meditationi incumbunt, Indulgentiam plenariam concessit, semel in mense lucranda eo die, quo s. Communionem suscipiunt et pro Ecclesia catholica preces peragunt; quam Indulgentiam idem Summus Pontifex iis quoque concessit, qui alios modum meditandi edocent.

Quid vero, si jam laicis, nonne eo magis clericis et sacerdotibus pium meditandi exercitium cordi esse debet?

### §. 247.

#### Tres orandi modi.

Sanctus Ignatius in lib. *Exerc. spir.* tres orandi modos, maxime utiles ac fidelibus commendandos proponit.

*Primus orandi modus* est, quo decem Dei praecepta aut septem vitia capitalia aut tres animae potentias (intellectum, memoriam et voluntatem) aut quinque corporis sensus tamquam materiam meditationis accipimus, et circa illa conscientiam examinamus, defectus cognitos dolemus ac detestamur, proposita convenientia concipimus, et gratiam emendationis a Deo precamur. Hic orandi modus praesertim viae purgativae conveniens est; et s. Franciscus Xaverius eum frequenter poenitentibus ad purgationem peccatorum efficiendam laetissimis cum fructibus praescrisit.

*Secundus orandi modus* est, quo singula verba orationis Dominicae vel salutationis Angelicae vel alicujus Psalmi seu Hymni veluti materiam meditationi subjicimus atque sic perpendimus, ut

---

<sup>1)</sup> Quoad virtutum proposita in poenitetem dirigat juxta exposita meditatione concipienda, confessarius §. 158 n. 2.

spiritum quasi et affectum latentem hauriamus. Methodus est, ut attendatur, *quis* illa verba proferat, *cui* et *in quem finem*, quid *doceant, mandent, promittant*, quid eis *petatur*; et deinceps ex singulis eliciantur affectus rei convenientes et petantur virtutes atque gratiae, quibus nos indigere sentimus. Hic orandi modus praecipue congruit viae illuminativae.

*Tertius orandi modus* est per modum aspirationis et affectuum, qui corporis respirationibus respondent, ita ut inter unam et alteram corporis respirationem unam vocem orationis Dominicae vel aliarum precum recitemus, attendendo praecipue ad significationem talis vocis vel ad majestatem et dignitatem ejus, ad quem oramus, vel ad propriam vilitatem. Hic orandi modus viae praesertim unitivae respondet.

#### §. 248.

### Exercitia spiritualia.

Haec maximae sunt utilitatis, siquidem iisdem „quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel comprobatur“. Sic Clemens XI. in Encycl. a. 1710.

In optimam formam ea redegit s. Ignatius, qui „admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicae judicio et omnium utilitate comprobatum“. S. Franciscus Sal. asserere non dubitavit, hunc librum tot animas salvasse, quot literas continet. Libri hujus ope b. Petrus Faber tempore pseudoreformationis clerum nec non populum magna ex parte in Germania vere reformavit.

*Nota.* Quod in sacerdote coetibusque religiosis exercitia spiritualia, idem in populo *Missiones* efficiunt. Benedictus XIV. Pius IX. et Leo XIII. *Missiones* laudant remedium malis curandis aptissimum et fortasse unicum. Et Conc. Prov. Pragensis a. 1860 ita dicit: „*Quo magis hisce praesertim diebus infensissimus generis humani hostis agro Dominico zizania superseminare novisque in dies ausibus animos pervertere conatur: tanto frequentius profecto salutare Missionum suppetiae quaerendae sunt, quibus videlicet quasi novo et extraordinario curae pastoralis conamine agrum Domini purgare et perficere oportet.*“

## §. 249.

**C o n c l u s i o .***Ex Meditatione XVIII. sancti Anselmi.*

„Tu es Deus meus vivus, Christus meus sanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, Pastor meus bonus. Te deprecor, supplico et oro, ut perficias in me opus coeptum misericordiae tuae; ego enim ultimus servorum tuorum, non immemor beneficiorum miserationis tuae, quae mihi peccatori collata sunt, gratias tibi ago, quia me indignum pro tua sola clementia ex christianis parentibus nasci fecisti, et per aquam sancti baptismatis et renovationis sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti, et in tuos adoptionis filios aggregasti; quoniam mihi rectam fidem donasti, eamque in corde meo semper augere et confirmare dignatus es per illuminationem gratiae tuae, et per documenta sanctae Matris Ecclesiae: obsecroque te, Domine, et suppliciter rogo, adauge semper in me hanc fidem, fidem veram, et fidem sanctam, catholicam et orthodoxam, fidem prudentissimam et invictissimam, bonis omnibus cunctisque virtutibus adornatam, quae per caritatem operetur in me, quod tibi placet; quae nequeat vinci inter verba altercationis in tempore persecutionis, vel in die necessitatis et mortis. Cunctarum fons et origo, largitor et conservator virtutum, Deus, auge, quaeso, in me fidem rectam, spem inconcussam, caritatem perfectam, humilitatem profundam, patientiam invictissimam, corporis et animae castitatem perpetuam. Da mihi prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam. Fac me ergo divitem sacrarum virtutum tuarum, ex quibus tibi serviam, per quas tibi in veritate placeam; amator enim factus sum pulchritudinis earum per gratiam tuam.

Pro bonitate ac pietate tua . . . dispone hic et ubique, nunc et semper, dies vitae meae in beneplacito tuo, et dirige per Spiritum sanctum tuum cor, linguam actusque meos secundum voluntatem tuam in tua misericordia, ut te rectore, te duce illa semper studeam cogitare, loqui et agere, quae tibi placent per gratiam tuam in veritate, et me tandem ad vitam perducant aeternam, te miserante et donante, qui es largitor omnium bonorum, et qui es Deus benedictus cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.“

---



# Appendix.

Censurae, quae in Constit. Pii IX. Apostolicae Sedis continentur, Notis illustratae.<sup>1)</sup>

## Articulus I.

Excommunicationes latae sententiae.

Quadruplicis generis sunt excommunicationes latae sententiae ex jure novissimo post hanc Constitutionem die 12. Oct. 1869 emanatam: 1. Romano Pontifici *speciali modo* reservatae, 2. Romano Pontifici *simpliciter* seu ordinario modo reservatae, 3. episcopis reservatae, 4. nemini reservatae. Hinc quadruplex excommunicationis elenchus.

A. Excommunicationes latae sententiae] speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Jam supra §. 144 n. 1 monuimus, facultatem absolvendi ab his censuris non comprehendi in facultate generali absolvendi a casibus papalibus. Censurae istae desumptae sunt ex Bulla *Coenae*; hinc S. C. Off. 4. April. 1871 decrevit, ut in formulis facultatum, quas S. C. de Prop. Fide concedere solet, ubi mentio fit de casibus in Bulla *Coenae* reservatis, substituantur censurae *speciali modo* in Bulla *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici reservatae, excepta absolute complicitatis in peccato turpi.

Pius IX. excommunicationi latae sententiae *speciali modo* Romano Pontifici reservatae subjacere declarat:

I. „Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur et cujuscumque sectae

---

<sup>1)</sup> Commentarios in hanc Constitutionem scripserunt cl. Petrus Avanzini, presbyter Romanus, in opusc. De Const. Apostolicae Sedis Commentarii ex latinis ephemer. *Acta S. Sedis* excerpti Romae 1874. Ed. 2 Fr. Aeg. Maurus O. P. episc. Reatinus: In

Const. Apost. Sedis Commentarii Ed. 2. Reate 1874. Dumas, Konings., Del Vecchio, Lehmkuhl, Marc, Goeffert, Génicot, in suis operibus moralibus. Ad has expositiones et ad novas S. Off. determinationes respicitur.

existent, eisque credentes; eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.“

Censura haec jam explicata est Lib. II. §. 10 n. 3.

Ex Decr. S. C. Inq. 29. Aug. 1888 et ex declaratione S. C. de P. Fide 11. Apr. 1894 incurrunt hanc excommunicationem catholici, qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico vel schismatico. (Cf. Lib. III. §. 224 n. 6.) Eandem censuram ex Decr. S. Off. 12. Julii 1894 incurrunt *a*) illi omnes, qui etiamsi animo haeresi non adhaereant, sese vel nomine tenus adscribunt sectae, cujuscumque sit ea nominis haereticae vel schismaticae, quacumque de causa id fiat; *b*) qui communicant damnatis haeticorum aut schismaticorum ritibus, ubicunque illos exercent; vel qui conciones, collationes aut disputationes eorum audiunt illa impia ac nefaria mente, ut si quidem persuasi fuerint, fidem eis sint adhibitori; *c*) qui auctores quoquo modo aliis sese praebent adeundi fana seu aulas haeticorum ad horum conciones aut sermones aut disputationes audiendas, quocumque modo haec incitatio fiat, nempe pecunia, auctoritate, consilio vel etiam solummodo propositis clam seu palam invitamentis. (V. Pruner: Pastoraltheologie S. 219.)

II. „Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haeticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos; eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.“

Quae ad hanc spectant censuram, a Leone XIII. in Const. „Officiorum ac munerum“ 25. Jan. 1897 iterum inculcatam, exposita sunt Lib. II. §. 11 n. 5.

III. „Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.“

Haec censura igitur comprehendit 1. *schismaticos* sensu strictiori seu pertinentes ad *schisma perfectum*, nempe eos qui tamquam rebelles ab auctoritate Apostolicae Sedis se subtrahunt, ut novam ecclesiam (e. g. nationalem) efforment vel hujusmodi ecclesiae separatae adhaereant; et 2. eos, qui *personae* quae actu S. Petri Sedem occupat, *pertinaciter* i. e. non sola aversione erga personam, sed animo excutiendi supremam ac divinam ejus auctoritatem, obedire nolunt, quique ad *schisma non perfectum* pertinent. Vid. Lib. II. §. 8 n. 3.

IV. „Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad unisversale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.“

Speciale rebellionis schismaticae crimen speciali censura mulctatur, ut praetextus pertinacis recessionis ab obedientia Romano Pontifici praestanda abscindatur.

V. „Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuntios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis,

terris seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.“

Puniuntur 1. *causae physicae* injuriae, quae personis nominatis infertur sive in corpus (interficiendo etc.) sive in libertatem (capiendo etc.), necnon 2. ejusdem injuriae *causae morales*, nempe mandantes, rata habentes (externe probando), auxilium, consilium vel favorem (e. g. commendando, laudando, congratulando) praestantes; porro ut hae causae incurrant censuram, requiritur formalis, non ex ignorantia vel gravi metu, sed ex deliberata voluntate procedens atque efficax cooperatio.

VI. „Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.“

Haec censura lata est ad tuendam *jurisdictionem ecclesiasticam* sive *fori interni*, quoad ministranda Sacramenta, sive *fori externi*, quoad ferendas leges, poenas injungendas, beneficia conferenda, dispensationes faciendas etc. Quam censuram incurrunt 1. *impedientes* sive *directe* (e. g. minando poenam episcopo) sive *indirecte* (e. g. metum gravem incutiendo officialibus episcopi, ne ejusdem sententia vel mandatum executioni detur); 2. *recurrentes ad forum saeculare* ut exercitium jurisdictionis impediatur, etiamsi sine effectu (prout e. g. si sacerdos a beneficio vel officio per episcopi sententiam amotus appellaret ad iudices saeculares); 3. *edentes* mandata fori saecularis (nempe auctores mandatorum, superiores saecularis fori, qui decernunt etc.), et reliqui, de quibus explicatio supra data est.

VII. „Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.“

Hanc excommunicationem non incurrunt iudices *subordinati*, qui leges imperii seu mandata superioris exsequuntur, sed ii *qui a nemine coacti vel talia agunt vel alios ad agendum cogunt*, ex declaratione S. C. Inq. 1. Feb. 1871. Huic censurae subjacere solos *legislatores et alias auctoritates cogentes* denuo S. C. Off. confirmante S. Pontifice declaravit 23. Jan. 1886. Per verba *praeter canonicas dispositiones* alluditur ad Concordata cum Apostolica Sede inita, necnon ad exceptiones, quae in jure communi admittuntur. *Edentes leges* etc. sunt auctores legum vel decretorum (prout parlamenta, coetus municipales), quae libertatem aut jura Ecclesiae infringunt, e. g. *de placeto regio*; v. *Syllab.* §. 22, 26, 29, 33, 45, 47.

VIII. „Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejus Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes.“

*Partes* sunt personae, quae Rescriptum aliquod a Sede Apostolica obtinuerunt; *alii* sunt earum agentes, executores etc. *Laedentes* intelliguntur, qui grave damnum inferunt, *perterrefacientes*, qui gravem metum injiciunt e. g.

minando poenas, *uti mandantes*. — Per *acta a Sede Apostolica profecta* non solum designantur acta, quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, sed etiam quae a SS. Congregationibus proveniunt. Ita comprobante S. Pontifice declaravit S. C. Off. 13. Jan. 1892.

IX. „Omnes falsarios Literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; necnon falso publicantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.“

*Supplicationes* proprie sunt petitiones ad Pontificem directae pro gratia vel jure obtinendo; verum, juxta stilum Curiae, significant potius Pontificis responsa, sive fiant simplici applicatione sigilli ad petitionem aut subscriptione nominis, sive per rescriptum, in quo petitio memoratur. *Falsarii* sunt, qui aut adulterant literas veras (e. g. aliquid notabile addendo vel minuendo vel delendo) aut falsas fabricant.

X. „Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exortura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem.“

Quoad hanc censuram sufficientia dicta sunt in hoc Lib. §. 146.

XI. „Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.“

*Usurpantes* appellantur, qui illa tamquam res proprias vi occupant seu quasi jus in ipsa haberent. Differunt *a.* a furibus, qui rem tamquam alienam invadunt, hinc proposito dubio: *An sub nomine „usurpantes“ comprehendantur fures, qui furarentur beneficiariis fructus suorum beneficiorum?* S. Cong. Off. die 9. Martii 1870 respondit, *non comprehendendi*. Differunt etiam *b.* ab iis qui rem quidem injuste sed citra occupationem detinent, e. g. conductor vel fructuarius qui dominum rem suam reposcentem repellit, S. Off. 3. Julii 1874; *c.* ab iis qui bona ecclesiastica ab usurpatoribus emptione, donatione aliove contractu acquirunt, vel *d.* bona beneficiatis aut ecclesiis debita e. g. decimas, locationum pretia etc. solvere negligunt.

*Sequestrantes* dicuntur, qui rem alicui tertio custodiendam committunt atque ita impediunt, ne ipsa sub potestate illius maneat, ad quem pertinet. Communiter dicunt, hic non agi de sequestro conventionali sed de judiciali tantum.

Sub *bonis* non comprehenduntur bona clericorum patrimonialia et quasi-ecclesiastica, nec ea quae spectant ad loca pia e. g. nosocomia, coemeteria, sodalitia laicorum, vel quae ad ecclesias sed non ad personas ecclesiasticas pertinent, v. g. bona destinata divinis officiis celebrandis, aedibus reparandis, pauperibus sublevandis etc. Neque comprehenduntur probabiliter bona monasteriorum. (Génicot: II. n. 591, Marc: I. n. 1325.)

Notandum, multos qui a praesenti censura excusantur, incurrere excommunicationem Papae simpliciter reservatam. V. infra sub B. n. XIX.

XII. „Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.“

Ut *praebentes auxilium, consilium, favorem* incurrant censuram, requiritur in eis formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistit solum in intentione sed in actione, non ex ignorantia aut gravi metu, sed ex deliberata voluntate, ut supra ad censuram V. dictum est, et confirmatur ex responso S. Poenitentiariae 10. Oct. 1860.

(XIII.) Censuris in Const. *Apostolicae Sedis* contentis accedit alia per Constit. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873 lata, pariter *speciali modo* Papae reservata, qua plectuntur:

1. Canonici ac Dignitates cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui ausi fuerint concedere et transferre Ecclesiae vacantis curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore, in nominatum ac praesentatum a laica potestate ex S. Sedis concessione seu privilegio vel, ubi consuetudo viget, ab Capitularibus ipsis electum ad eandem vacantem Ecclesiam, antequam hic Apostolicas institutionis Litteras exhibuerit.

2. Nominati et praesentati vel ut supra electi ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent sub nomine Provisoris, Vicarii generalis aliove nomine, ex concessione et translatione in eos peracta a Dignitatibus et Canonicis, aliisque qui deficientibus Capitulis, Vicarios deputant aut vacantes Ecclesias administrant.

3. Ii omnes, qui praemissis paruerint vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cujuscunque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.

#### B. Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici (simpliciter) reservatae.

Huic excommunicationi Pius IX. subjacere declaravit:

1. „Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicitis, prout

damnata est a Benedictio XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745; *Ubi primum*, 2. Julii 1746; *Ad eradicandum*, 28. Sept. 1746.“

Ubi notandum, quod docens vel defendens propositionem damnatam ceu *haereticam*, graviorem subiret poenam; nam haereticus esset, ideoque excommunicationem speciali modo reservatam incurreret.

Quoad prohibitionem inquirendi nomen complicit v. supra §. 152 n. 4.

II. „Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut episcopus aut alius absolvat.“

Verba *suadente diabolo* significant, percussione fuisse graviter peccaminosam tum ratione injuriae tum ratione advertentiae et intentionis. Nomine *clerici* venit omnis ecclesiasticus saltem tonsura initiatus, modo deferat habitum; nomine *monachi* quilibet religiosus utriusque sexus, etiam novitius. Quoad *casus*, episcopus absolvere potest, si percussio clerici fuerit levis, vel percussio occulta; quoad *personas*, si mulieres vel impuberes percusserint. Alia v. apud s. Alph.: Lib. VII. n. 264—280.

III. „Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.“

De qua censura v. Lib. II. §. 127 n. 3.

IV. „Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.“

Sub sectis in hoc art. significatis etiam secta *Fenianorum* comprehensa declaratur per Decret. S. Officii 12. Jan. 1870. Excommunicatione plectuntur 1. qui eis nomen dant; 2. qui qualemcumque favorem eis praestant; et 3. qui non denuntiant occultos coryphaeos ac duces (non publice notos ut tales), quamvis istorum nomina in ephemeridibus, praesertim in ephemeridibus masonicis vulgantur, etiam in iis regionibus, in quibus liberi muratorii et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur, ex Resp. S. C. Inq. 1. Feb. 1871 et 19. April. 1893. Denuntiandi sunt episcopo vel Inquisitori, etsi per intermediam personam e. g. confessarium, ex Resp. S. C. Inq. 15. Junii 1870.

Videntur etiam illi, qui nomen dant Socialismo moderno et in literis Rom. Pontificum descripto, hoc ipso incurrere excommunicationem, nisi ob ignorantiam ab illa incurranda excusentur. Imo juxta Const. „Apost. Sedis“ sub A art. I plures Socialistae, praecipue duces, subjacent excommunicationi spec. modo R. Pontifici reservatae, quatenus sunt haeretici vel apostatae a christiana fide. — Distinguendi sunt ab his fautores systematis oeconomici vel factionis mere politicae, quae unice bonum operariorum promovere inten-

dunt et vulgo christiano-socialistae vocantur. (Cf. Collat. Brug. 1900, Génicot, Lehmkühl etc.)

Ex Const. „Officiorum ac munerum“ 25. Jan. 1897 art. 14 absolute prohibentur i. e. nec legi nec retineri possunt sine facultate legitima „libri qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agunt easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt.“ V. Lib. II. §. 11 n. 2.

V. „Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes.“

Ex Instr. S. Officii 1. Feb. 1871 verba *ausu temerario* significant agendi rationem illius, *qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exsequendo violat.* Vi Conventionis inter Pium IX. et imperatorem nostrum Franciscum Josephum I. a. 1855 initae de asylo tantum valet, quod habetur art. XV.: *Ut honoretur domus Dei sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea, quae justitia exigit, fieri sinant.*

VI. „Violantes clausuram monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariter eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a s. Pio V. in Const. *Decori* praescriptam.“

Sermo est de *monialibus*, nempe iis feminis, quae vota solemnia emittunt; earum monasteria nonnisi ex licentia episcopi ingredi licet, et quidem *ex causa necessitatis*, quae est infirmarum cura, administratio Sacramentorum, et commune servitium. (S. Alph. Lib. VII. n. 227.)

*Casus*, in quibus monialibus e monasterio exire licet, in Const. praedicta die 24. Jan. 1570 assignantur: magnum incendium, infirmitas, lepra vel epidemia (lepra nempe et epidemia, quae coenobium invaserint); praeterea ex communi interpretatione, inundatio, aedificii ruina, latronum incursus et alia similis causa. (S. Alph. Lib. VII. n. 229.) *Forma* autem haec est, ut *infirmitas praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumbit, etiam (si tempus suppetat) per Ordinarium cognita et expresse in scriptis approbata sit.* Contra Constitutionem s. Pii V. nihil valet consuetudo. S. C. Inq. 22. Dec. 1880.

VII. „Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.“

Sermo est de clausura *virorum regularium*, qui nempe solemnia vota emittunt; quare censurae, saltem ex ss. canonum auctoritate, non subjiciuntur, qui in aliqua Congregatione ecclesiastica simplicia tantum vota edunt. Per *mulieres* intelliguntur omnes feminae, exceptis Imperatricibus, Reginis ac principissis regnantibus cum earum filiabus et comitatu necessario.

VIII. „Reos simoniae realis in beneficiis quibuscunque, eorumque complices.“

IX. „Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis.“

X. „Reos simoniae realis ob ingressum in religionem.“

Quid sit simonia realis et confidentialis, quibus modis utraque possit committi, et quomodo quis reus fiat simoniae ob ingressum in religionem, jam dictum est Lib. II. §. 79.

XI. „Omnes qui quaestum facientes ex Indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione s. Pii V. *Quam plenum*, 2. Jan. 1569.“

Excommunicantur, qui *episcopis inferiores* sunt (ex praefata s. Pii V. Const.) *quaestum facientes*, nempe accepta pecunia, ex Indulgentiis etc.

XII. „Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.“

Plura de Missarum stipendiis v. supra §. 22 n. 6, et §. 23.

XIII. „Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus s. Pii V. *Admonet nos*, quarto Calendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede*, pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam*, 26. Junii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras*, nono Calendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.“

Comprehenduntur hac censura omnes tum laici tum clerici, cujuscunque dignitatis (etiam episcopi et Cardinales), qui per se vel per alios sub quovis praetextu etiam necessitatis vel evidentis utilitatis insinuare, consulere etc. Romano Pontifici audent alienationem vel infeudationem civitatum et locorum ad Romanam Ecclesiam pertinentium.

XIV. „Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.“

De hac re v. supra §. 94 n. 2, et §. 189 n. 2.

XV. „Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.“

Reliquias vulgo accipimus *Sanctorum*, proinde qui has extrahit, non qui alias aufert, absque legitima venia, censuram incurrit.

XVI. „Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.“

XVII. „Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.“

Ante Constitutionem *Apost. Sedis* excommunicationem contrahebant, quotquot cum *vitando* communicabant vel in *crimine criminoso* i. e. in ipso crimine, propter quod noscitur fuisse nominatim excommunicatus, vel *in divinis*



*officiis* i. e. in Sacramentorum, Missae, precum publicarum etc. participatione: priores quidem incurrebant excommunicationem majorem, posteriores vero minorem. *Hodie excommunicatio minor sublata est*, et major incurritur in praedictis casibus. Porro ab excommunicatione ob communicationem *in crimine criminoso* non excusat ignorantia, si fuerit crassa; ab excommunicatione ob communicationem in *divinis* excusat quaevis ignorantia et metus gravis, cum dicatur *scienter et sponte* communicantes. Priori omnes sunt obnoxii, sive clerici sive laici; posteriori clerici tantum.

XVIII. „Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici specialiter reservatae innodatos.“ (Ita Const. *Apost. Sedis* post excommunicationem XII. inter specialiter Romano Pontifici reservatas.)

Quando liceat a censuris specialiter reservatis absolvere, dictum est in hoc Lib. §. 145.

His accedit (XIX.) censura a Conc. Trid. Sess. 22. cap. 11 de reform. *contra usurpatores quorumcunque bonorum ecclesiasticorum aut jurium* lata, et a Pio IX. per Const. *Apostol. Sedis* confirmata:

„Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae pervenerint, ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.“

Ubi nota 1. quod usurpatores, invasores bonorum et jurium pertinentium ad Ecclesiam Romanam, incurrunt excommunicationem Papae *speciali modo* reservatam sub n. XII, itemque 2. usurpantes etc. bona et jura pertinentia ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum, sub n. XI, — sed usurpatores bonorum vel jurium, quae quocumque modo ecclesiastica dici possunt, etiam quae pertinent ad loca pia et ad sublevandas pauperum necessitates, solum excommunicationem Papae *simpliciter*

reservatam incurrunt, per Decretum Conc. Tridentini. Porro in hanc excommunicationem incidunt etiam *ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata*, ex Resp. S. C. Inq. 8. Julii 1874.

### C. Excommunicationes latae sententiae episcopis sive Ordinariis locorum reservatae.

Declaravit Pius IX. huic excommunicationi subjacere:

I. „Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales, post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.“

Hanc censuram non incurrunt clerici etc. *sponsalia* contrahere praesumentes, cum sponsalia sint promissio duntaxat matrimonii. Attamen praedicti incurrunt excommunicationem, „*praesumentes contrahere matrimonium sic dictum civile in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget.*“ S. C. Inq. 22. Dec. 1880. Ratio a) quia tale matrimonium, licet nullum sit, tamen speciem matrimonii habet, et in locis, ubi lex Tridentina non viget, est validum matrimonium; b) quia non attenditur matrimonii validitas, sed solum factum celebrationis. Censura etiam contrahitur, quamvis cum impedimento ordinis vel voti solemnis aliud intercedat, e. g. consanguinitatis vel affinitatis. S. C. Inq. 13. Jan. 1892.

II. „Procurantes abortum, effectu secuto.“

Nulla fit distinctio inter foetum *animatum* vel *inanimatum*, atque ideo neque nos distinguere debemus. Indistincte pariter sub censura comprehenduntur *procurantes* abortum, ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret sive quisquis alius, qui censetur vere auctor seu causa principalis et efficax abortus e. g. mandato, comminatione, consilio, omnes in hanc censuram incidunt. Tamquam autem conditio, ut abortum procurantes censuram contrahant, est *effectus secutus*. Vid. Avanzini n. 40, Dumas: Tom. II n. 1018 et 1019. Alii probabiliter eximunt matrem ipsam, quae in se abortum faciat. Ita Lehmkühl, Aertnys, Sabetti, *Collationes Brugenses*, quae in fasc. Feb. 1901 adnotant, hujusmodi mulieres nonnisi metu gravissimi damni plerumque ad tantum facinus committendum adduci proindeque ob defectum contumaciae poenam adeo exorbitantem, qualis est excommunicatio latae sententiae, forte non mereri.

III. „Literis Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.“

(IV.) Ex Decreto „Vigilanti“ 25. Maji 1893 biblioplae vel mercatores, qui Missarum stipendia colligunt et sacerdotibus, quibus ea committunt, non pecuniam sed libros aliasque merces rependunt, et illi qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, si sint laici, excommunicatione l. s. Episcopis reservata obstringuntur. V §. 23 hujus Libri.

D. Excommunicationes latae sententiae nemini  
reservatae.

I. „Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.“

II. „Laedentes aut, perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusque sacri Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.“

III. „Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitosae* de reb. eccl. non alienandis.“

Sola immobilia et mobilia pretiosa sine licentia S. Sedis alienari prohibentur. (Extrav. cit.) Sed immobilia exigui valoris cum consensu Ordinarii alienare licet (ex c. Terrulas, causa 12. q. 2). — Episcopis imperii Austriaci facultates circa alienationem bonorum ecclesiasticorum a S. Sede concessae et per Apostolicas literas d. 8. Maji 1900 ad decennium prorogatae sunt. (Linzer Diöcesanblatt N. 7 a. 1900.)

Dicitur: *ad formam Extrav. etc.* i. e. cum legitima causa, qualis est necessitas, utilitas, pietas, incommoditas (ut si res alienanda valde distet), et servatis solemnitatibus, quatenus his consuetudo non derogaverit; has videre licet apud s. Alph. Lib. V. n. 187. Nota V.

IV. „Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Const. *Universi*, 20. Augusti 1622, et Benedicto XIV. Const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1. Junii 1741.“

Vid. in hoc Libro supra §. 147 n. 3.

His accedunt censurae Tridentinae, per Const. *Apost. Sedis* confirmatae.

1. Tridentina, sed limitata: Libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimentes aut imprimi facientes. Sess. 4. de edit. et usu sacrorum librorum.

Quae censura restringenda est ad libros sacrarum scripturarum, nec non ad earundem adnotationes aut commentarios, minime vero extendenda ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus tractantes. S. C. Inq. 22. Dec. 1880. Huic consonat art. 48 Const. Leonis XIII. de prohibitione librorum, vid. Lib. II. §. 11 n. 5.

2. Raptores mulierum et omnes illis consilium, auxilium et favorem praebentes. Sess. 24. cap. 6. de Ref. matr.

3. Domini temporales aut magistratus, qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant. Sess. 24. cap. 9 de Ref. matr.

4. Cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ad suscipiendum habitum cujuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint etc., item impediētes sine justa causa. Sess. 25. cap. 18 de Regul.

## Articulus II.

### Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I. „Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.“

II. „Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.“

III. „Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.“

IV. „Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.“

V. „Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.“

VI. „Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.“

VII. „Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postquam in praedicto examine rejecti fuerint; necnon Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.“

### Articulus III.

Interdicta latae sententiae reservata.

I. „Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantis.“

II. „Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.“

„Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.“ Ita Pius IX.

Suspenduntur vel interdicuntur, qui variis modis violant canones de sacra ordinatione. Sess. 23. cap. 8 de Ref., cap. 10 de Ref., cap. 16 de Ref., Sess. 7. cap. 10 de Ref., Sess. 6. cap. 5 de Ref., Sess. 14. cap. 2 de Ref.

Suspenduntur, qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt. Sess. 24. cap. 1 de Ref. matr.

Interdicuntur episcopi, qui non denuntiant episcopos illegitime absentes. Sess. 6. cap. 1 de Ref. Sess. 23. cap. 16 de Ref.

# Index Alphabeticus.

Numerus paginam libri designat.

## A.

- Ablutio** in Baptismo 170, in Missa 35.
- Abortum** procurantes, quoad poenam 590.
- Absolutio sacramentalis** 321, ritus 322 et seq. Fieri debet voce, in poenitentem praesentem 324, Absolutio directa et indirecta 325. Quibus concedenda, iteranda, differenda, sub conditione danda, deneganda 375 et seq. An absolvendus, qui confitetur peccata tantum in genere vel incerta 378, dubie dispositus 377, occasionarius 380 et seq., consuetudini pravae implicatus, recidivus 385 et seq., moribundus 404 et seq., quoties 411. Quatenus certitudo dispositionis requiratur ad absolutionem 375. An absolutio pluribus simul dari possit 322. Absolutio a reservatis 350 et seq. Absolutio complicis 356. Ineffabilis sacerdotis absolventis potestas, ex s. Chrys. 325.
- Absolutio generalis**, duplici sensu accepta 445.
- Acolythi** Ordo 470, non est Sacramentum 471, ejus functiones et excellentia 474, ritus 478, virtutes, sancti Acolythi 492, 493.
- Actus contritionis et attritionis** 265. Actus heroicus caritatis 435, 443, 445. Actus conjugalis, ejus honestas 538 et seq., obligatio 540, obligationis cessatio 541.
- Additiones** in celebratione Missae, qualia peccata 119.
- Adulterium**, causa divortii quoad torum 543, et mensam seu cohabitationem conjugum 544.
- Aegroti**, v. **Infirmi**.
- Affinitas** ex incestu impedit debitum conjugale 541–542.
- Alba**, ejus materia, necessitas in Missa, significatio etc. 92 et seq.
- Altare** pro Missa celebranda 78, fixum vel portatile 79, quando amittat consecrationem 79, ejus significatio 80, ornamenta 80 et seq. Altare *privilegiatum* 63, 442.
- Amentes**, an baptizandi 182, confirmandi 198, communicandi 220, Extrema Unctione reficiendi 463.
- Amictus** seu Humerale, ejus materia et alia observanda 91 et seq.
- Amorialis** in attritione contentus 270 et seq.
- Angeli**, per quos ad salutem nos Deus dirigit et juvat 3, colendi et invocandi 557.
- Anniversaria** 107.
- Antependium** 81.
- Apostasia**, reservatum papale 581.
- Apostolicae Sedis**, Constitutio Pii IX. quoad censuras paucis explicata 581 et seq.
- Applicatio** Missae in genere 49, conditionata 50, ad intentionem ejus qui primus stipendium dabit 51,

- applicatio pro populo 53 et seq. Applicatio Indulgentiae pro defunctis 423, 429, 443.
- A p p r o b a t i o** confessarii 327.
- A q u a** in Baptismo 169, in Eucharistia 210. Aqua benedicta, Sacramentale, ejus effectus 550, usus 554, praesertim quoad moribundum 410.
- A r c h i - f r a t e r n i t a s**, quid 560.
- A s s i s t e n t i a** quoad matrimonium 527 et seq., quoad moribundum 410, 411.
- A s y l i** ecclesiastici immunitatem violare, reservatum papale 587.
- A t t e n t i o**, in conficiendis Sacramentis 145.
- A t t r i t i o**, quid 269, actus 270, bona et utilis est 269, in se continet amorem concupiscentiae (amorem initialem) 270, caritatem non excludit, ad eam disponit 271. Poenitentes, praesertim duriores, primum ad attritionem, dein ad contritionem perfectam disponantur 374.
- A u d i t i o** verbi divini, subsidium vitae christianae 564—567.

## B.

- B a l s a m u m** in Confirmatione 194.
- B a n n i**, v. *Proclamationes*.
- B a p t i s m u s**, vitae spiritualis janua 165, definitio 165, tempus institutionis 166, effectus 167, necessitas (Baptismus fluminis, sanguinis, flaminis) 168, materia 169 et seq., significatio materiae 171, forma 172, minister 173 et seq., subjectum 176 et seq. An infantes haereticorum et infidelium sint baptizandi 180—182. An rursus baptizandi, baptizati ab haereticis 178, ab obstetricibus 179. Dispositio adultorum 182. Locus et tempus Baptismi 184, patrini 185. Caeremoniae 186. Nominis impositio 187, sponsio Baptismi 187.
- B e n e d i c t i o n e s**, et res benedictae Sacramentalia 550, definitio et divisio 551, aliae propriae Papae, aliae episcopo 552, aliae a parocho, aliae a

quolibet sacerdote fieri possunt 553, quatenus formulae adhibendae 553.

- B e n e d i c t i o** paramentorum calicis 90, paramentorum celebrantis 92. Benedictio aquae baptismalis 170, chrismatis 194, olei infirmorum 454, Crucis vel imaginum, solemnis et privata 552. Benedictio nuptialis 529. Benedictio mulieris post partum 553—554. Benedictio Apostolica 445. Benedictio aquae in Vigilia Epiphaniae 553.
- B i r e t u m** 91.
- B i s** celebrare eodem die, quando licitum 72. Ritus 74.
- B u r s a** in Missa 90.

## C.

- C a e r e m o n i a e** Missae explicatae 26 et seq., Sacramentorum in genere 161, Baptismi 186, Confirmationis 200, ritus dispensandi s. Eucharistiam 223—226, ritus absolutionis sacramentalis 322, Extremae Unctionis 458—460, Ordinum minorum 477, majorum 478 et seq., matrimonii 529.
- C a l i x** in Missa, significatio, materia, consecratio 88, 89, quomodo consecrationem amittat 89. Calix in ordinatione Subdiaconi 478, presbyteri 480—481.
- C a n d e l a e** ex sevo vel stearina, an in sacris possint adhiberi 83. Candelata accensa in Baptismate 188. V. *Cerei*.
- C a p i t e** damnati, s. viatico muniendi 221.
- C a s u l a**, v. *Planeta*.
- C a s u s** practici, qui in hoc Libro occurrunt: de stipendiis Missae 66, de materia et forma Sacramentorum 137, de materia Poenitentiae 262, de contritione perfecta (observatio practica) 269, de dotibus contritionis 279, de proposito 283, de necessitate confessionis 289, de dotibus confessionis 293, de integritate materiali confessionis 299, de integritate formali 302, de absolutione a reservatis

- 350, de occasionariis 380, de consuetudinariis et recidivis 385. Casus difficiliore in excipiendis confessionibus infirmorum 407—410. De extr. Uctione 464. De matrimonio infidelium 507, de nuptiarum proclamatione 515.
- Casus reservati 345. Potestas reservandi 345. Conditiones reservationis 347 et seq. Casus papales et episcopales 349. Absolutio a reservatis papalibus et episcopalibus 350 et seq., tempore Jubilaei 438—439. An peregrinus possit absolvi a reservatis 348. An ignorantia eximat a reservatione 348.
- Causae excusantes a jejuni naturali sacerdotem celebrantem 111, fidelem communicantem 234. Causae ad Sacramenta ministranda sub conditione 139, ad absolvendum sub conditione 377, ad sponsalia solvenda 512, ad dispensandum in impedimentis matrimonii 517, ad faciendum divortium 543.
- Celebratio Missae 41 et seq., sub dio, in navi, quando licita 76, matrimonii 527.
- Censurae, Const. Pii IX. Apostolicae Sedis, Notis illustratae 581 et seq.
- Cerei, cur, et quot in Missa adhibendi 82—83.
- Character sacramentalis 129.
- Chrisma in Baptismo 188, in Confirmatione 194—195.
- Christus, auctor et consummator vitae spiritualis 2, ejus destructio in Missae sacrificio, et in sacrificio crucis 16, est principalis offerens sacrificium Missae 25, ipse a Patribus desideratus, natus, in mundo conversatus, passus, glorificatus etc., repraesentatur in liturgia Missae 27 et seq. Est magnum pietatis Sacramentum, cui conformia sunt omnia Sacramenta 126, est eorum omnium auctor immediatus 128, instituit materiam et formam 133, principalis et proprio jure est eorundem minister 141. Convenientissime in ultima coena Sacramentum Eucharistiae instituit 204, ineffabilis fidelium cum ipso unio in hoc Sacramento 205. Mons est, ad quem ascendere valemus et debemus 563, in praedicatione verbi divini nobis loquitur 564, ipse praedicandus 566.
- Ciborium, ejus materia, benedictio 88, 244, velum album 90, 244.
- Cingulum, ejus materia etc. 91, significatio 94, 95.
- Circumstantiae, quae in confessione aperiendae 297—298.
- Clandestinitas matrimonii 527.
- Clausuram monialium violare, reservatum papale 587, virorum regularium 587.
- Claves Tabernaculi 244.
- Clericus fit per Tonsuram 470 et 472, ejus probitas 488, 489, exempla Sanctorum 490.
- Cochlear, an ejus usus in Missa prohibitus 213.
- Coecus parochus matrimonio assistens 529.
- Coelum et terra cooperantur in hominis bonum 2—4
- Cognatio spiritualis 185, 517.
- Cohabitatio conjugum 542.
- Color paramentorum 96 et seq.
- Communio, an necessaria necessitate medii, saltem in voto 228, necessitate praecepti, quando 229. Praeceptum Communionis paschalis 229 et seq., viatici 231 et seq., in infirmitate non periculosa 232. Ante et post Communionem observanda 234 et seq. Communio frequens prudenter promovenda 238 et seq. Specialia pro religiosis et monialibus 241. Communio spiritualis 242. Communio in susceptione Ordinum 485. An possit dari publico peccatori 220. Communio reparatrix 245. Num liceat statim post communionem edere vel spuere 237. Communio ad Indulgentias 431, 433. Vid. *Subiectum* Eucharistiae.
- Commutatio poenitentiae 319, operum pro Indulgentiis 434, 437.



Complex, an in confessione possit inquiri 372, absolutio complicis 356.

Compositio, v. *Condonatio*.

Concubinari<sup>us</sup>, concubina, an possit absolvi 384, moribundus 407.

Conditio, apposita ad Sacramenta 137 et seq., ad matrimonium 503.

Condonatio Missarum 70.

Conferentiae seu collationes morales vel pastorales multum juvant 362.

Confessarius, ejus ineffabilis potestas 325, approbatio 327, jurisdictio 328. Privilegium sibi eligendi confessarium 333. Jurisdictio ejus suppleta, probabilis 334—337. Absolvens complicem 356, quaerens nomen complicis 372, sollicitans 358 et seq.

Ejus dotes: scientia et prudentia 361, fortitudo et suavitas 363. Obligatio doctoris, instruendi et monendi 365; obligatio medici, media salutaria suggerendi 367, obligatio iudicis, interrogandi 369 et seq., disponendi 373 et seq., sententiam ferendi 375 et seq.

Confessarius regularium et monialium 338—345, quoad occasionarios 380 et seq., consuetudinarios et recidivos 385 et seq., pios 390, scrupulosos 392 et seq., conversos ab haeresi 395, pueros et adolescentes 397, feminas 398, sponsos 399, conjuges 401, mutos, surdos, patriae linguae ignaros 402 et seq., infirmos et moribundos 404 et seq.

Confessarii fidelitas in custodiendo sigillo sacramentali 411 et seq.; obligatio defectus commissos corrigendi 416.

Monita s. Franc. Sal. ad confessarios 418.

Confessio sacramentalis, quid 283, institutio et necessitas 284, praeceptum divinum 285, ecclesiasticum (confessio annua) 286 et seq., dotes confessionis 290 et seq., integritas materialis (quae peccata sint confitenda) 294—299, formalis (quae causae ab integr. materiali excusent)

299 et seq. Confessio invalida, iteranda 303 et seq. Confessio generalis 307 et seq.

Confessio, an possit fieri scripto, signo 290, per nuntium 291, publice 291. Confessio muti, surdi, surdastris, patriae linguae ignari, per interpretem 402—404, infirmi et moribundi 404 et seq., ex haeresi conversi 395. Confessio ante Missae celebrationem, 113—115, ad lucrandas Indulgentias 432, 437. Vid. *confessarius*.

Confirmatio, definitio, institutio 191, effectus 193, materia 193, forma 195, minister 195, subjectum 197, obligatio eam suscipiendi 199, locus et tempus, patrini 199, caeremoniae 200—202, necessaria ad Ordines 489. Epilogus ex s. Cyrillo 202.

Confraternitates, quid sint, cui subjectae 559, constituendae et fovendae 560.

Conjuges, quoad confessionem, impedimento matrimonii detecto, quomodo dirigendi 401, quoad actum conjugalem 538 et seq., eorum cohabitatio, divortium 542 et seq. Admonitio s. Chrysost. ad conjuges 547.

Consensus, sponsorum ad matrimonii validitatem requisitus 502, consensus parentum ad filiorum matrimonium 523.

Consuetudo quoad jurisdictionem 332, 338.

Consuetudinarii quoad absolutionem 385.

Contritio, notio et divisio 263, actus 265, contritio perfecta 266, imperfecta v. *attritio*; necessitas contritionis, quando elicienda 273 et seq., dotes 275 et seq., ad Indulgentias lucrandas 429.

Convalidatio matrimonii 545.

Conversatio pia, medium pietatis christianae 570.

Copula carnalis, v. *actus conjugalis*.

Cor Jesu, ex quo Sacramenta fluxerunt 126, ejus cultus remedium spir. 368, promovendus 561.

- Corporale in Missa, ejus significatio, benedictio, materia, mundities 90—91.
- Crimen criminorum, in causa excommunicationis 588.
- Crux in altari requisita, qualis 81. Crucis benedictio sollemnis ab episcopo fieri debet 552.
- Cultus B. M. V. 556, Angelorum et Sanctorum 557.

**D.**

- Dataria 518.
- Debitum conjugale v. *actus conjugalis*.
- Decreta S. R. Congr. quoad Missae celebrationem 43—45.
- Defectus vini in Missa deprehensus 18, defectus commissi a poenitente 300, 304, a confessario 416.
- Denuntiatio sollicitantis ad turpia, a quo, quando et quomodo facienda 358 et seq.
- Desiderium pietatis et perfectionis christianae, cur necessarium 4—5.
- Diaconatus, Sacramentum 471, ejus munera et dignitas 475, ritus 479.
- Diaconus, an possit solemniter baptizare 173, Communionem distribuere 218, ejus virtutes, sancti Diaconi 494.
- Dilatio poenitentiae implendae 318, absolutionis 376.
- Dimissoriales literae 486.
- Dispensatio a jejuniis naturali ad Communionem 234, in impedimentis matrimonii 517—520, dispensatio in radice 546.
- Dispositio corporis ad Missae celebrationem 109 et seq., animae 113 et seq. Dispositio ad suscipienda Sacramenta 155, ad Baptismum 182, ad Confirmationem 198, ad Communionem 233 et seq., ad absolutionem 375. An dubie dispositus possit absolvi et sine peccato communicare 377, dispositio ad Extremam Unctionem 464, ad Ordines 487 et seq., ad matrimonium 520 et seq.
- Dissolutio sponsalium 512.

- Distractio in Missa 117, in Sacramentis 145.
- Divortium 543, observanda in praxi 544, in casu infirmitatis 408.
- Duellum, reservatum papale 586.

**E.**

- Ecclesia, locus Missae celebrandae 75, quomodo polluitur et reconciliatur 77—78, excretur et in cultum restituatur 78, ejus significatio mystica 80.
- Effectus Sacrificii Missae 19, Sacramentorum 128, Baptismi 167, Confirmationis 193, Eucharistiae 205 et seq., Poenitentiae 254 et seq., Extremae Unctionis 452, Ordinis 471, Matrimonii 500, Sacramentalium 549—550, processuum 558.
- Eleemosyna ad Jubilaeum 436; Sacramentale 549.
- Epileptici quoad communionem 220.
- Episcopatus Ordo, Sacramentum 470, ritus 482.
- Episcopus minister Confirmationis 195, Ordinum 486, ordinans etiam Missam celebrare debet 484, quid opus, ut licite conferat Ordines 486. Ejus jurisdictio 331, potestas reservandi peccata 346, absolvendi a reservatis 350, quoad Indulgentias 427, quoad impedimenta matrimonii 518, 519, Sacramentalia 552.
- Error quoad jurisdictionem 335.
- Eucharistia, notio et veritas Sacramenti, convenientissime in ultima coena instituta 203, 204, est specificum unum, numerice sive unum sive multiplex Sacramentum 205, ejus effectus 205 et seq., ineffabilis dignitas 208.
- Materia remota 210 et seq., proxima 214 et seq., forma 217, minister 218, subjectum 219—221, tempus, locus et ritus eam dispensandi 221 et seq., modus eam deferendi ad infirmos 226 et seq. Praeceptum v. *Communio*.

Asservatio et renovatio ss. Sacramenti 243, cultus 245, expositio 246.  
**Examen** conscientiae 573, generale *ibid.*, particulare 575, quanta in eo requiratur diligentia ad confessionem 298.  
**Excommunicatus**, an liceat pro eo Missam offerre 46, an valide et licite administret Sacramenta 148, an liceat ab eo petere Sacramentum 157.  
**Excommunicationes** v. *censurae*.  
**Exercitia** spiritualia, medium vitae spiritualis 579, s. Ignatii explicata 10—11, ante Ordines suscipiendos 489.  
**Execratio** ecclesiae 78.  
**Exorcismus**, Sacramentale 549, 550, in Baptismo 187.  
**Exorcistae** Ordo 470, non est Sacramentum 471, officia et dignitas 474, ritus 478, virtutes, sancti Exorcistae 492.  
**Expositio** ss. Sacramenti 246.  
**Extrema Unctio**, ejus dignitas 451, notio, veritas Sacramenti 451, effectus 452, materia 454, forma 457, ritus 458, minister 460, subjectum 462. Quando et quoties ministrari possit vel debeat 465. Obligatio eam suscipiendi 466. Epilogus 468.

### F.

**Familiares** regularium quoad absolutionem 339.  
**Feminae** in confessionali 398.  
**Fideles** quo sensu sint offerentes Missam 26, et an possint assistentes illius fructus aliis applicare 26.  
**Fidelitas** confessarii in sigillo sacramentali servando 411 et seq.  
**Foetus abortivus**, an baptizandus 177.  
**Forma Sacramentorum**, ejus institutio, cum materia unio 133 et seq., mutatio 135, forma conditionata 137. Vid. singula Sacramenta.  
**Fortitudo** confessarii 363.  
**Francomurarii** v. *Massonica secta*.

**Fructus sacrificii Missae** 19, generalis, specialis et specialissimus 21, an fructus sint intensive, et extensive infiniti 23—25. Applicatio fructus specialis, specialissimi et generalis 49—51.

### G.

**Gradus vitae** spiritualis, incipientium, proficientium et perfectorum 8—11. Gradus in conferendis Ordinibus 477.  
**Gratia Christi**, medium vitae christianae 13. Gratia sacramentalis 129. Status gratiae in sacerdote celebrante Missam 113, in ministro Sacramentorum 145, in subjecto seu suscipiente 156, quoad sponso 525. An Sacramenta possint valide suscipi, sine gratia 158. Gratias actuales impetrant Sacramentalia 550.  
**Gratiarum actio** post Missae celebrationem 121—122.

### H.

**Habituat**, v. *consuetudinarius*.  
**Haeresis**, reservatum papale 581.  
**Haereticus**, an liceat pro eo Missam offerre 47—48, ab eo petere Sacramenta 157. An haeretici sint rebaptizandi 178, ut patrini admittendi 186. Conversi ab haeresi quoad confessionem, modus eos reconciliandi Ecclesiae, quid in articulo mortis 395—397. Vid. *Infans*.  
**Heroicus actus caritatis** 435.  
**Homo**, ejus cooperatio ad opus virtutis et salutis 4. Solus homo viator, minister Sacramentorum 141, potest et debet satisfacere pro suis peccatis 310.  
**Horologium** legitimum pro jejunio et officio divino 109, 110.  
**Hostia** in Missa, quid significet 34, fractio hostiae in tres partes plena mysteriis 31, 40. Hostiae consecrandae sint recentes, integrae et mundae 212, nec nimis parvae aut subtiles 213.

**I.**

- I**gnarus patriae linguae, quoad confessionem 403.
- I**gnorantia, an excuset ab integritate confessionis 300, a reservatione 348, ab incurrenda privatione juris debitum exigendi conjugale 542.
- I**mpedimenta matrimonii, quoad parochum et sponso 515, alia indispensabilia, alia, a quibus numquam solet dispensari, alia a quibus rarissime 516, 517. Causae dispensandi 517, potestas dispensandi 518. Impedimentum ex sponsorum confessione ante nuptias cognitum 400, jam into matrimonio expertum 401. Vid. *Convalidatio*.
- I**mpotentia, physica et moralis, excusans ab integritate confessionis 301.
- I**ncapacitas ad Sacramenta 130.
- I**ncestus privat jure debiti conjugalis 541.
- I**ndissolubilitas matrimonii ex jure divino et naturali 505–507.
- I**ndulgentiae, notio 420, fons 421, modus 423, varietas 424 et seq.; potestas largiendi Indulgentias 426, requisita in subjecto 428–435. Altare privilegiatum 442. Indulgentia pro articulo mortis concessa 444. Benedictio Apostolica 445. Translatio et cessatio Indulgentiarum 447. Incitamenta ad lucrificiendas Indulgentias 449. Vid. *Jubilaeum*.
- I**nfans seu puer, quando baptizandus 184, an confirmandus 197, communicandus 220, ungendus 463, an valide et licite ordinetur 154, 487.  
An infantes expositi baptizandi 179, an infantes haereticorum et infidelium baptizandi 180–182.
- I**nfideles, an pro eis Missa offerri possit 57, an eorum filii possint baptizari 180, quoad matrimonium 497, 504–507.
- I**ntegritas confessionis 294, materialis 295, formalis 299.

- I**ntentio in applicanda Missa 49–51, in Sacramentorum ministro 142–145; in subjecto 155, in ordinando 487.
- I**nterpellatio, dispensatio ab ea 506.
- I**nterpres in confessione 403, quoad sigillum 415.
- I**nterrogatio, quando et quae facienda a confessario 369 et seq., omitenda 372. Quid in dubio vel certitudine de poenitentis mendacitate 371.
- I**nterrumpere Missam an liceat 130.
- I**nterstitia in conferendis Ordinibus 488.
- I**nterdicta reservata 593.
- I**ntrusus, an valide absolvat 336.
- I**teratio Baptismi 178–180, Confirmationis 198, confessionis 303 et seq., Extremae Unctionis 465, Ordinum 477, 479–482.

**J.**

- J**aculatoriae preces 556.
- J**ejunium naturale, ante Missae celebrationem et Communionem 109, 234. Quomodo frangatur 110. Causae excusantes sacerdotem celebrantem 111, infirmum 232, quid extra mortis periculum, si infirmus nequeat manere jejunus, et quis possit dispensare 234.
- J**ubilaeum, quid 435, opera ad Jubilaeum regulariter praescripta 435–437, privilegia praecipua 437 et seq. An possit lucriferi pluries, et Indulgentia defunctis applicari 441. Quatenus suspendantur multae Indulgentiae in Jubilaeo ordinario 441.
- J**udaei, an eorum filii possint baptizari 180, quoad matrimonium 506–507.
- J**udex, confessarius, ejus obligationes 369 et seq.
- J**udicium sacramentale, quomodo differat a judicio forensi 254.
- J**urisdictio generatim, confessarii 327, necessitas 329, ordinaria et delegata 330, directe et indirecte dele-

gata 332–334, ab Ecclesia suppleta, ob errorem communem 335, ob probabilitatem 336. Restrictio jurisdictionis diversa 337, quoad locum et tempus 337, personas, regulares 338, moniales 340 et seq., quoad peccata 345. Vid. *casus reservati*.

Juvenes, adolescentes, quomodo a confessario dirigendi 397.

### L.

Lampas coram Tabernaculo, generatim oleo olivarum nutrienda 244.

Lectio pia, medium pietatis christianae 571–573.

Lectoratus Ordo 470, non Sacramentum 471, officia et dignitas 473, ritus 477, virtutes 491, sancti Lectores 491.

Liberalismus ecclesiasticus 568.

Literae dimissoriales, testimoniales 486, 592.

Liturgia, quid 41.

Locus pro celebratione Missae 75, pro Baptismo 184, Confirmatione 199, Eucharistiae dispensatione 222, asservatione 243, pro ordinatione 483, matrimonio 530.

Lotio Corporalis, pallae et purificatorii 91.

Lumen ad Missam, significatio, ex cera 83.

Lux electrica, an possit in ecclesiis adhiberi 83.

### M.

Manipulus in Missa 91 et seq.

Mappae altaris, quid significant, quot et quales sint 80–81.

Maria B. V., cum filio suo cooperatur ad hominum salutem 3, ejus cultus singularis est indicium praedestinationis, promovendus 556, modi, eam colendi 556.

Maritus v. conjuges.

Massonica secta, ejus asseclae et fautores excommunicantur, coryphaei occulti denuntiandi 586.

Materia Sacramentorum, ejus institutio 133, cum forma unio 134, mutatio 135 et seq. Vid. singula Sacramenta.

Matrimonium, qua actus 497, qua status 498, Sacramentum 498, materia, forma 499, minister 499. Sacramentum a contractu inseparabile 500. Quid, si christianus velit inire matrimonium sine Sacramento 501. Consensus ad matrimonii validitatem requisitus 502. Unitas matrimonii 504, indissolubilitas 505–507. Praestantia matrimonii, quatenus est contractus naturalis, et quatenus est Sacramentum 508, 509. Matrimonii praeparatio 500 et seq., celebratio 527 et seq. An matrimonia haereticorum pro validis habenda 528. Status conjugalis 538. Convalidatio matrimonii 545 et seq.

Observanda quoad matrimonium mixtum 532 et seq., quoad matrimonium civile 536.

Media, remedia, generalia et particularia, poenitenti suggerenda 367, 368.

Medicus, confessarius, ejus obligatio 367.

Meditatio, sensu latiori et strictiori 575, methodus 576, quomodo in ea fideles facile instrui possint 577.

Minister Sacramentorum 141, in eo requisita ad valide conficienda Sacramenta 142 et seq., ad licite ministranda Sacramenta 145 et seq. An excommunicatus valide et licite administret Sacramenta 148. Obligatio ministri 149. Indignis deneganda Sacramenta 150 et seq. Vid. singula Sacramenta.

Missae sacrificium, ad Sacramenta se habet tamquam causa universalis 14, est verum et proprium sacrificium, essentialiter idem ac sacrificium crucis 15 et seq.; ejus effectus, fructus 19 et seq., quantus ejus valor et effectus 23; ejus minister 25 et seq. Explicatio Missae, quatenus in ea repraesentatur sacrificium crucis

27, quatenus in ea sacrificium verum et proprium offertur 33. Rubricae 41.

Pro quibus possit sacrificium Missae offerri 45 et seq., in honorem et gaudium Sanctorum 49. Quomodo facienda Missae applicatio 49. Obligatio celebrandi ratione sacerdotii 51, ratione officii pastoralis (applicatio pro populo) 53, ratione stipendii 59 et seq. Reductio et condonatio Missarum 69.

Tempus celebrationis 71 et seq., locus 75 et seq. Missae prohibitae 98. Missarum triginta pro defunctis a s. Gregorio institutarum usus approbatus 98. Conformitas Missae cum Officio divino 99, celebrans in aliena ecclesia 100. Missae votivae 100 et seq. Missae defunctorum 104 et seq. Missae a presbytero ordinato celebrandae 485. Missa pro sponso et sponsa 531.

Necessaria sacerdotis celebrantis pietas ante, intra et post Missae celebrationem 109 et seq.

Missiones, populo salutare 579.

Modus celebrandi Missas votivas 103, Missas de Requie 108.

Moniales, quoad earum confessarios 340 et seq., quoad s. Communionem 241.

Monitio, quando a confessario facienda 365, quid si nullus fructus speretur vel de eo dubitetur 366.

Monstrum, an baptizandum 176.

Moribundus, quoad confessionem et absolutionem 404 et seq., modus juvandi moribundos 410.

Mundities, puritas corporis, quoad Missae celebrationem 112, quoad Communionem 235.

Mustum, an sit materia Sac. Eucharistiae 211.

Mutatio materiae et formae Sacramentorum, substantialis et accidentalis 135 et seq. Mutationes in celebratione Missae contra Rubricas, qualia peccata 119, 120.

Mutus, quoad confessionem 402, quoad Indulgentias 433.

## N.

Navigantes in mari, a quo possint absolvi 334.

Necessitas Sacramentorum 131.

Negotiatio stipendiorum Missae prohibita 67.

Nomina Jesu et Mariae, Sacramentalia, eorum efficacia 550, nomen in Baptismo 187. Nomen complicitis a confessario non inquirendum 372.

Nondum natus, an baptizandus 177.

Numerus peccatorum mortalium confitendus 296, a confessario exquirendus 370.

Numismata, quoad Indulgentias 425, Sacramentalia 555.

Nuptiae, v. *matrimonium*.

Nupturientes, v. *sponsi*.

## O.

Obex Sacramentorum, quid 130. Obice remoto Sacramenta informia fiunt formata, seu reviviscit gratia 159.

Oblivio excusans ab integritate confessionis 300.

Obstetrix rectum baptizandi ritum a parocho edoceri debet 175. An infantes ab illa baptizati sunt rebaptizandi 179.

Occasio peccati, quid, quotuplex 380. Quomodo agendum confessario cum iis, qui in peccati occasione versantur 381 et seq.

Oleum in lampade coram Tabernaculo 244, in Baptismo 188, ad Confirmationem 194, significatio 194, ad Extremam unctionem 454, significatio 457.

Omissiones in celebratione Missae, qualia peccata 119.

Opera satisfactoria omnia ad tria genera reducuntur 311.

Operatio caesarea, post mortem matris praegnantis 177.

Oratio, necessitas 555, oratio Dominica, Sacramentale 549, 550, oratio ad lucrandas Indulgentias 433, 436. Tres modi orandi 578.

Oratorium, quoad Missae celebrationem 75.

**O r d o** quid 469, quot Ordines Sacramenta 470—471, effectus 471. Singulorum Ordinum officia et excellentiae 472 et seq. Ordinatio per gradum fieri debet 477. Ritus Ordinum minorum 477, majorum 478—482. Defectus in collatione Ordinum commissi, quomodo reparentur 477, 479—482. Tempus et locus ordinationis 483. Missa ordinationis et Communio ordinatorum 484. Preces et Missae ordinatis ab episcopo impositae 485. Conditiones requisitae in ministro 486, in ordinando 487. Pia et religiosa ordinandorum dispositio 488. Virtutes, quae singulis congruunt Ordinibus 490.

**O r n a m e n t a** altaris 80 et seq. Vid. *Paramenta*.

**O s t e n s o r i u m**, ejus materia, lunulae benedictio etc. 89.

**O s t i a r i i** Ordo 470, non Sacramentum 471, officia et praestantia 473, ritus 477, virtutes, exempla Sanctorum 490.

## P.

**P a l l a** et Corporale, quid significant, materia etc. 90—91.

**P a n i s**, qualis sit in Eucharistia materia 210, significatio 213.

**P a p a**, ejus potestas jurisdictionis 330, quoad Indulgentias 426, quoad impedimenta matrimonii 517, Sacramentalia 552.

**P a r a m e n t a** calicis 90, celebrantis 91, eorum colores 96.

**P a r o c h u s**, ejus obligatio applicandi Missam pro populo 53, ministrandi Sacramenta 149, ejus jurisdictio ordinaria 331, restricta 337. An possit assistere matrimonio sponsorum, invitis parentibus 523, confiteri nolentium, vel qui sunt publici peccatores vel innodati censuris ecclesiasticis 525—527. Alia quoad matrimonium 527 et seq.

**P a s t o r e s** animarum, qui dicantur 149.

**P a t e n a** in Missa 88, 89, in ordinatione Subdiaconi 478, presbyteri 480—481.

**P a t r i n u s** in Baptismo 185, in Confirmatione 200.

**P a t r o n u s** et Titularis ecclesiae, quis dicatur, quomodo ejus festum celebrandum 84 et seq.

**P e c c a t a**, quaenam materia necessaria et libera seu sufficiens Sacramenti Poenitentiae 260—262, peccata *directe* et *indirecte* remissa 259. Remissio peccatorum venialium 256. Non potest unum mortale sine aliis mortalibus remitti 255, potest mortale sine venialibus, veniale unum sine aliis venialibus remitti 259. Vid. *confessio*, *casus reservati*.

**P e c c a t o r** publicus, an ei Sacramenta possint ministrari 150 et seq., 526—527, in periculo mortis (concubinario) 407, quid si jam sensibus sit destitutus 405. An ministranda Sacramenta peccatori occulto 152.

**P e r c u s s i o** clericorum v. *privilegium canonis*.

**P e r e g r i n u s** quoad confessionem 330, casus reservatos 348.

**P e r i c u l u m** peccati, quid 380, periculum mortis, quando adest 333.

**P l a n e t a** (Casula) in Missa 91, significatio 95.

**P o e n i t e n t e s** pii, quomodo dirigendi 390 et seq.

**P o e n i t e n t i a** ut virtus 250, ut Sacramentum 252 et seq., ejus natura 253, effectus 254, necessitas 256, materia remota 259, proxima 261, forma essentialis 321, ritus 322. Vid. *contritio*, *confessio*, *satisfactio*, *jurisdictio*, *absolutio*.

**P o e n i t e n t i a r i a** 518.

**P o l l u t i o** ecclesiae 77. An pollutio corporalis Communionem impediatur 112, 235.

**P o l y a n d r i a** et *polygamia* 504.

**P o t e s t a s** clavium, quid sit 326. V. *Jurisdictio*.

**P r a e d i c a t i o** audienda, medium virtutum 564 et seq.

Praeparatio sacerdotis ante Missae  
 celebrationem 109 et seq. Quid, si  
 sacerdos sit ligatus reservato 115.  
 Preces ad lucrandas Indulgentias  
 433, 436, jaculatoriae 556.  
 Presbyteratus, Sacramentum 470,  
 ejus officia et dignitas 475, ritus  
 479—482.  
 Presbyteri ordinati cum episcopo  
 ordinante Missam legere debent 484.  
 Missae eis impositae 485. Virtutes  
 eorum 494, 495.  
 Privilegium altaris 442.  
 Privilegium canonis, poena in  
 violantes 586.  
 Privilegium Paulinum 506.  
 Processiones quid, earum effectus  
 et mysteria 558—559, cum ss. Sacra-  
 mento 245.  
 Proclamationes nuptiarum, obli-  
 gatio parochi, et fidelium 513—515.  
 Procurator, matrimonium per pro-  
 curatorem 502.  
 Procurantes abortum, poena in  
 eos 590.  
 Propositum, quoad confessionem  
 280, ejus conditiones 281—282.  
 Prudentia confessarii 361.  
 Pueri et puellae in confessionali 397.  
 Purificatorium 90, 91.

### R.

Ratum matrimonium 498, quomodo  
 solvatur 506.  
 Recidivi, qui dicantur 385, quid  
 quoad absolutionem 386 et seq.  
 Reconciliatio ecclesiae 77.  
 Reductio Missarum 69.  
 Regulares, quoad approbationem  
 327, jurisdictionem 331, 339, reserva-  
 tionem 346, dispensationem Eucha-  
 ristiae 219, Extremae Unctionis 461.  
 Reincidentia in censuras 352.  
 Reliquiae altari inclusae Mar-  
 tyrum esse debent 79.  
 Remedia, generalia et particularia,  
 a confessario poenitenti proponenda  
 367—368.  
 Renovatio ss. Sacramenti 244.  
 Reservata, v. *casus reservati*.

Ritus, v. *Caeremoniae*.

Ritualia 162.

Rubricae, generatim 41. Rubricae  
 Missalis, an praeceptivae, an directi-  
 vae 42—43.

### S.

Sacramentalia, eorum notio et  
 divisio 548, effectus et operandi  
 virtus 550, relatio ad Sacramenta  
 551, usus 554.

Sacramentum, quid 126, numerus  
 127, institutio 128, effectus 129 et  
 seq., divisio 131. Sacramenta mor-  
 tuorum per accidens possunt con-  
 ferre gratiam secundam, Sacramenta  
 vivorum gratiam primam 131—132.  
 Signum sacramentale 133.

Materiae et formae unio in Sacra-  
 mentis 134, mutatio 135, forma con-  
 ditionata 137. Minister 141, in eo  
 quid requiritur ad confectionem  
 Sacramentorum validam 142 et seq.,  
 licitam 145 et seq. An excommuni-  
 catus valide et licite administret  
 Sacramenta 148. Obligatio mini-  
 strandi 149, denegandi indignis 150.

Subjectum capax 154, quid in eo  
 ad validam et licitam susceptionem  
 requiratur 155 et seq. An licet petere  
 Sacramenta ab indigno, excommuni-  
 cato, haeretico, schismatico 157.  
 Sacramenta valida, sed informia  
 (gratia destituta) 158. De caere-  
 moniis Sacram. 161.

Sacrificium in genere 14. Vid. *Missae*.

Sanatio matrimonii in radice 537, 546.

Sancti, Dei cooperatores in homi-  
 num salutem 3, eorum cultus pro-  
 movendus 557.

Sancti, Beati, Ven. SS. D., quorum  
 exempla adducuntur.

B. M. V. 7, 540, s. Joseph 540,  
 ss. Angeli 6, 7, ss. Apostoli 7,  
 ss. Ostiarii 490, ss. Lectores 491,  
 ss. Exorcistae 492, ss. Acolythy 493,  
 ss. Subdiaconi 493, ss. Diaconi 494,  
 ss. Presbyteri 495.

S. Aloisius 569, s. Alphonsus 118,  
 374, 449, s. Antonius 565, 571, s.



- Augustinus 450, 475, 564, 572. — S. Balisissa 540, s. Benedictus Labre 450, s. Bonaventura 393 Not. 1. S. Cajetanus 53, 118, s. Carolus B. 197, 449, s. Catharina Januens. 393 Not. 1, s. Chrysanthus 572, s. Conradus 540, s. Chunegundis 540, s. Cyprianus 474. — S. Dionysius 568, s. Dominicus 393 Not. 1. — S. Eduardus 540, s. Ephraem 475, s. Evildrida 540. — S. Franc. Sales. 53, 118, 226, 449, Seraphicus 475, 564, Xaverius 450, 570. — S. Gallus 475, s. Gertrudis 450. — S. Henricus 540, s. Hippolytus 568. — S. Ignatius 116, 363, 368, 393 Not. 1, 572, s. Joan. Berchmans 569, s. Joannes de Cruce 475, de Deo 564, Franc. Regis 475, Gualbertus 555 Not. 1, de Matha 475, Nepomuc. 569. — S. Julianus 540. — S. Leonardus de Portu Maur. 449, s. Ludovic. Bertrandus 233. — S. Malachias episc. 467, s. Maria Magd. 266, s. Maria M. de Pazzis 393 Not. 1, s. Martinus 475, ss. Martyres Gormonienses 568. — S. Petrus Ap. 266, s. Paulus a Cruce 475, 495, s. Philippus Nerius 475, 570, s. Pius V. 571, s. Petrus Claver 476, 570. — S. Rosa Limana 578, s. Raymundus 141. — S. Stanislaus Kostka 141, s. Stephanus Grandim. 475. — S. Theresia 450. S. Thomas Aquinas 474, 569, a Villanova 495, 566. — S. Vincentius a Paulo 53, 474. — S. Wenceslaus 474.
- B. Clemens M. Hofbauer 293, 399, 449, 450, 469, 570. V. S. D. Caspar del Bufalo 198 Not. 1.
- Satisfactio**, ejus indoles, divisio et materia 310, impositio 312, impletio 316, commutatio 319. An liceat imponere poenitentiam publicam 313, opus internum vel cessationem a Communionem 314. Imponere poenitenti pro satisfactione precem aut pium opus indulgentiis ditatum, optimum est 449, 450; et ex resolutione S. C. Ind. 11. Jun. 1901 confirmata per S. Pontificem constat, sic posse poenitentem simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.
- Schedula confessionis**, an negari possit sponsis 399, aliis 413.
- Schisma**, reservatum papale 582.
- Scientia confessarii** 361.
- Scrupulus**, quid et unde sit 392, quomodo curandus 393—394.
- Semifatui quoad communionem** 220.
- Sigillum sacramentale** 411, obligatio 412, objectum 413, subjectum 414, violatio 415—416. An cadat sub sigillo ipsum factum confessionis 414.
- Signa dispositionis ordinaria** 374, extraordinaria 387—388.
- Signum sacramentale**, ejus compositio et institutio 132—134. Signum crucis, Sacramentale 550, 552.
- Simonia**, reservatum papale 587.
- Simulare Sacramentum**, quid sit et num liceat 153.
- Sollicitatio ad turpia** 358 et seq.
- Species peccatorum mortalium confitentiae** 296.
- Spiritus ecclesiasticus** 568, quomodo reparatur 579.
- Sponsalia**, quid 510, obligatio et dissolutio 512, clandestina 513.
- Sponsi**, quoad confessionem, si indispositi, si in occasione proxima, peccato reservato gravati, impedimento matrimonii implicati 399—401. Religiosa eorum dispositio 520, puritas intentionis 521. An liceat matrimonium inire cum haeretico 521, cum publico peccatore 522, cum excommunicato 523, dissentientibus parentibus 523. Cognitio religionis 524. Confiteri nolentes 525.
- Stipendium Missae** 58, ab episcopo taxandum 58. Plura stipendia nec pro una integra Missa, neque pro diversis Missae unius fructibus accipere licet 60. Sacerdos suscepto stipendio ex justitia obligatur ad Missam celebrandam 61, infra modicum tempus, fideliter implendo,

quae de loco, ritu etc. adjuncta sunt 61. Stipendia manualia sine diminutione alteri tradantur 63, exceptiones quoad Missas fundatas etc. 65, quid quoad onera perpetua Missarum 66. Negotiatio stipendiorum 67.

**Stola** in Missa 91—93, ejus significatio 95.

**Studium doctrinae sacrae**, subsidium vitae christianae 567—570.

**Subdiaconatus**, Ordo 470, non Sacramentum 471, officia et dignitas 474, ritus 478, virtutes, sancti Subdiaconi 493.

**Supplere jurisdictionem**, quando solet Ecclesia 334—337.

**Surdus**, surdaster, quoad confessionem 403, Indulgentias 433.

**Suspensiones**, reservatae S. Pontifici 592, aliae 593.

**Suspensus**, an valide et licite absolvat 338, matrimonio assistat 528.

**Suavitas confessorii** 364, 418.

### T.

**Tabella Secretarum** in altari 82.

**Tabernaculum**, quomodo comparatum esse debeat 244.

**Talaris**, v. *Vestis*.

**Tempus pro Baptismo** 184, Confirmatione 199, dispensatione Eucharistiae 221, Extrema Unctione 465, Ordinatione 483.

**Tempus celebrationis Missae** 71—74.

**Titulus coloratus**, existimatus quoad jurisdictionem 335. Tituli varii ad indulgentiam in articulo mortis lucranda 444.

**Tonsura**, est praeparatio ad Ordines 470, 472, ritus 473, virtutes tonsurati 490.

**Tussi laborantes**, quoad communionem 233.

### U.

**Unctio** in Baptismate 188, in Confirmatione 195, in Extrema Unctione 455, an in hac omnes unctiones sint de necessitate Sacramenti 456, quomodo fieri debeant 458—460.

**Unio fidelium cum Christo** per Communionem 205, 208, 214.

**Unitas Eucharistiae** 205, Extremae Unctionis 460, Sacramenti Ordinis 471, matrimonii 504.

### V.

**Valor sacrificii Missae** 23.

**Vasa sacra** in Missae celebratione 88.

**Vestis talaris** in Missae celebr. 112, candida in Baptismo 188.

**Vexilla tantum religiosa** in ecclesiis admittuntur 78.

**Via purgativa**, illuminativa et unitiva 8 et seq.

**Viaticum**, quando et a quo suscipiendum 231, an pluries, a non jejunio 232, casus speciales 233.

**Vicarius generalis** non tenetur applicare pro populo 54, habet jurisdictionem ordinariam 331.

**Virtutes**, quae singulis congruunt Ordinibus 490 et seq.

**Visitatio ecclesiae** quoad Indulgent. 433, in Jubilaeo 436.

**Vita comtemplativa**, activa et mixta 5 et seq.

**Vomitibus laborantes**, quoad communionem 233.

## Errata.

|      |         |        |              |                       |
|------|---------|--------|--------------|-----------------------|
| Pag. | 59 lin. | 5 inf. | pro „summum“ | legendum est: summam. |
| „    | 178     | 7 sup. | „numeri“     | muneri.               |
| „    | 228     | 10     | „sulutem“    | salutem.              |
| „    | 241     | 17     | „3.“         | 3. —.                 |
|      | 298     | 23     | „scientiae“  | conscientiae.         |
|      | 471     | 18     | „pluritas“   | pluralitas.           |
|      | 473     | 3 inf. | „diligentur“ | diligenter.           |

- Apologetische Studien**, herausgegeben von der Leo-Gesellschaft  
I. Band, 1. Heft: »Christus und Buddha« in ihrem himmlischen Vorleben  
Von Dr. W. Ph. Englert, o. ö. Professor an der Universität Bonn. 1898  
8°. 124 S. Preis K 2.40 = Mk. 2.20. — I. Band, 2. Heft: »Die immer-  
währende Philosophie.« Eine Skizze. Von Dr. Ernst Commer, o. ö. Professor  
an der Universität Wien. 1899. 8°. 128 S. Preis K 2.40 = Mk. 2.20. —  
I. Band, 3. Heft: »Das Reich des Geistes und des Stoffes.« Von Dr. Alois  
Otten, Professor der Apologetik und Geschichte der Philosophie in Pader-  
born. 1899. 8°. 100 S. Preis K 2.40 = Mk. 2.20. — I. Band, 4. Heft: »Die  
Unsterblichkeit der Seele.« Bewiesen aus dem höheren Erkennen und  
Wollen. Ein Beitrag zur Apologetik und zur Würdigung der thomistischen  
Philosophie. Von Dr. Ph. Kneib, Seminarprofessor in Mainz. 1900. 8°.  
135 S. Preis K 2.40 = Mk. 2.20.
- Berthold**, Die Wissenschaft und das Augustiner-Chorherrenstift  
Klosterneuburg. Ein Beitrag zur österreichischen Literaturgeschichte. 1900.  
Gr. 8°. 67 S. K 2.40 = Mk. 2.20
- \*Das sociale Wirken der katholischen Kirche in Österreich.**  
Im Auftrage der Leo-Gesellschaft und mit Unterstützung von Mitarbeitern  
herausgegeben von Univ.-Professor Hofrath Dr. Franz M. Schindler,  
General-Secretär der Gesellschaft. I. **Diocese Gurk** (Herzogthum Kärnten).  
Von Prof. Dr. Alois Cigoi. 1896. Gr. 8°. X. und 222 S. Preis K 4.— =  
Mk. 3.40. — II. **Diocese Seckau** (Herzogthum Steiermark). Von Alois  
Stradner. 1897. Gr. 8°. X. und 274 S. Preis K 5.— = Mk. 4.50. — V. **Erz-  
diocese Salzburg**. Von Christian Greinz. 1898. Gr. 8°. XIV. und 308 S.  
Preis K 5.60 = Mk. 4.80. — VII. **Diocese St. Pölten** (Niederösterreich).  
Von Prof. Karl Fohringer. 1900. Gr. 8°. XV. und 421 S. Preis K 7.— =  
Mk. 6.—. — IX. **Diocese Budweis** (Königreich Böhmen). Von Prof. Dr. Willi-  
bald Ladenbauer, O. Cist. 1899. Gr. 8°. 335 S. Preis K 5.60 = Mk. 4.80. —  
XII. **Diocese Königgrätz** (Königreich Böhmen). Von Dr. Ferdinand Beneš.  
1897. Gr. 8°. 237 S. Preis K 5.— = Mk. 4.50
- Ehrhard**, Dr. Albert, Univ.-Prof., Die Grundsätze der christ-  
lichen Volksbildung. 1901. 16°. 31 S. K —.30 = Mk. —.30
- Franco P. Secondo S. J.**, Handbuch populärer Antworten auf  
die am meisten verbreiteten Einwendungen gegen die Religion. 2 Bände.  
(Neue Auflage in Vorbereitung.)
- Genelli S. J.**, Leben des heiligen Ignatius von Loyola, Stifters der  
Gesellschaft Jesu. In neuer Bearbeitung herausgegeben von P. V. Kolb S. J.,  
1894. Gr. 8°. (XVI. und 404 S.) Mit einem Stahlstiche K 6.— = Mk. 6.—
- \*Gianonni**, Dr. Karl, Paulinus II. Patriarch von Aquileja. Ein  
Beitrag zur Kirchengeschichte Österreichs im Zeitalter Karls des Grossen.  
1896. 8°. 127 S. K 2.40 = Mk. 2.40
- \*Gsell**, Dr. Benedict, Stiftshofmeister und Archivar. Das Gülten-  
buch des Cistercienserstiftes Heiligenkreuz aus dem Ende des 13. Jahr-  
hunderts mit anderen schriftlichen Urkunden verglichen. 1866. (VIII. und  
157 S.) 8° K 3.— = Mk. 3.—
- König Leo**, S. J., Dr. Die päpstliche Kammer unter Clemens V.  
und Johann XXII. Ein Beitrag zur Geschichte des päpstlichen Finanz-  
wesens von Avignon. 1894. 8°. 87 S. K 2.50 = Mk. 2.20
- Kolb Victor S. J.**, Conferenzen über die sociale Frage. 2. ver-  
mehrte Auflage. 1891. 8°. XLII. und 114 S. K 2.— = Mk. 1.80
- — Bernhard von Clairvaux. Predigt zum 800jährigen Ge-  
dächtnisfeste der Geburt des heil. Kirchenlehrers, gehalten in der Kirche des  
Cistercienserstiftes Heiligenkreuz am 23. August 1891 K —.40 = Mk. —.40
- \*Kostersitz Ubald**, Archivar, *monumenta sepulchralia eorumque  
epitaphia in collegiata ecclesia B. M. Virginis Claustroneoburgi*. 1881. Gr. 4°.  
(XV. und 317 S.) mit 46 Stein- und 2 Lichtdrucktafeln K 8.— = Mk. 8.—

- \***Kröss** Alois, S. J., Der selige Petrus Canisius in Österreich. 1898. 8°. (IV. 214 und IX. S.) K 4.20 = Mk. 3.80
- Müller** Ernesti, † episc. Linciensis, theologia moralis. 3 volumina. I./II. ed. VIII. 1899. (XXIV, 520 p. et XII, 626 p.) à K 6.— = Mk. 6.—  
III. ed. VII. 1902 (XIV et 606 p.) K 6.— = Mk. 6.—
- \***Pelesz** Julian, Dr. Rector. Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom von den ältesten Zeiten bis auf die Gegenwart. I. Band: Von den ältesten Zeiten bis zur Wiederherstellung der Union der ruthenischen Kirche mit Rom (1595). 8°. 640 S. 1878. II. Band: Von der Wiederherstellung der Union mit Rom bis auf die Gegenwart (1596—1879) 8°. (XXIV und 1095 S.) 1880 K 10.— = Mk. 10.—
- Pitzipios - Bey** Jak. G., Gründer der christlich-orientalischen Gesellschaft. Die orientalische Kirche. Geschichtliche Darstellung ihrer Trennung, dann Wiedervereinigung mit der römischen Kirche und stetiges Übereinstimmen beider Kirchen in den Dogmen des Glaubens. Fortbestand der Union etc. etc. Deutsch von Dr. Heinrich Schiel. 2. Ausg. Gr. 8° VI und 447 S. 1865 K 2.40 = Mk. 2.40
- \***Vorträge und Abhandlungen**, herausgegeben von der Leo-Gesellschaft (in zwangloser Folge). 8°. 1. »Die Agrarfrage und das internationale Grosscapital«. Vortrag von Dr. G. Ruhland. Mit einer graphischen Darstellung der Normalpreise. 1895. 23 S. Preis K —.60 = Mk. —.50. — 2. »Der Reichthum der katholischen Kirche«. Vortrag von Dr. Aug. Rösler, C. SS. R. 1896. 26 S. Preis K —.60 = Mk. —.50. — 3. »Das Cartellwesen vom Standpunkte der christlichen Wirthschaftsauffassung«. Vortrag von Dr. Richard Weiskirchner. 1896. 15 S. Preis K —.40 = Mk. —.40. — 4. »Die neuesten Richtungen der Malerei«. Von Heinrich Reinhard. 1896. 35 S. Preis K —.80 = Mk. —.80. — 5. »Die Armenpflege einer Grossstadt vom Standpunkte der christlichen Auffassung der Armenpflege«. Vortrag von Dr. Richard Weiskirchner. 1896. 22 S. K —.40 = Mk. —.40. — 6. »Die industrielle Production, ihr Wesen und ihre Organisation«. Von Dr. Friedrich Freiherr von Weichs-Glon. 1896. 28 S. Preis K —.60 = Mk. —.50. — 7. »Die geistige Bewegung im Anschluss an die Thomas-Encyclica Leo XIII. vom 4. August 1879. Von Dr. Thomas M. Wehofer. 1896. 25 S. Preis K —.60 = Mk. —.50. — 8. »Der Terminhandel im Getreide«. Von Dr. Victor Kienböck. 1897. 30 S. Preis K —.80 = Mk. —.70. — 9. »Die modernen Strafrechtstheorien vom Standpunkte der christlichen Staatsauffassung«. Von Josef Biederlack, S. J. 1898. 13 S. Preis K —.40 = Mk. —.40. — 10. »Die lateinische Stadtschule in Krems, ein Culturbild aus Österreich«. Von Dr. Karl Ferd. Kummer. 1898. 33 S. Preis K —.60 = Mk. —.50. — 11. »Der Darlehenszins«. Von Josef Biederlack, S. J. 1898. 43 S. Preis K 1.— = Mk. —.80. — 12. »Die Entwicklung zur Weltwirthschaft und der österreichisch-ungarische Ausgleich«. Von Franz Graf von Kuefstein. 1899. 69 S. Preis K 1.40 = Mk. 1.20. — 13. »Die wirthschaftliche und historische Bedeutung der Gemeinde«. Von Dr. Heinrich Misera. 1900. 23 S. Preis K —.60 = Mk. —.50. — 14. »H. Stewart Chamberlain's Grundlagen des 19. Jahrhunderts«. Von Dr. Albert Ehrhard. 1901. 25 S. Preis K —.60 = Mk. —.60. — 15. »Neue Wendungen in der Leichenverbrennungsfrage«. Von Dr. Heinrich Swoboda. 1901. 24 S. Preis K —.60 = Mk. —.60. — 16. »Über den Beginn des Notendruckes«. Von Dr. Josef Mantuani. 1901. 29 S. Preis K .70 = Mk. —.70. — 17. »Die kirchliche Vorcensur und das Particularrecht«. Von Dr. Karl Hilgenreiner. 1901. 38 S. Preis K —.80 = Mk. —.80
- Wolfsgruber**, Dr. Cölestin O. S. B., Die Schönheit, Heiligkeit und Wahrheit der katholischen Kirche. 3 Predigten. Mit der Roma von Führich. 1901. Gr. 8°. 27 S. K —.60 = Mk. —.60

---

\*) Commissionsartikel.